JOHN CARTER BROWN
LIBRARY

Purchased from the
Trust Fund of
Lathrop Colgate Harper
LITT. D.

Var 73

+

Plates Ex of Balenberg

" " Egmont & Horn

" monument to Alva

Portraits Charles V. Alva

Philip II. & III. " his son

Margaret of Austria Ford

Cardl. Granvelle.

Pr Orange. Mendoza

Montmorency Barbazon

Requesens Egmont

John of Austria.

[illegible] Civil war
[illegible]

[illegible]
[illegible] 22 [illegible]
([illegible] 1573) the [illegible]
[illegible]
v. Barbosa

2 vignette front. 3 engravings
14 parts.

[illegible]

This Book I am informed is in great request in Holland ve. the chief scene of action; where it always fetches a high price, whenever it occurs for sale.

J. B.

ORIGO & HISTORIA

BELGICORVM TVMVLTVVM.

Jmmaniſſimæque crudelitatis per Cliviam & VVeſtphaliam patratæ

Fideliſsime conſcripta & tabellis æneis repræſentata: Accedit Hiſtoria Tragica de furoribus Gallicis.

Auctore

ERNESTO EREMVNDO FRISIO.



LVGDVNI BATAV.
Apud Bartholomeum *vander* Bild,
Ad inſigne Pegaſi. clↄ. Iↄ. c. xix.

JCB

Origo & Hiſtoria

BELGICORVM TVMVLTVVM,

fideliſsimè conſcripta, & tabellis æneis repræſentata.

Continens præter Hiſpanorum Regum ſanguinaria Diplomata, & ſacræ Inquiſitionis arcana Conſilia; tyrannides ipſorum, cædesq́ ac crudelitates per univerſam Belgicam, ipſamq́ Cliviam, & Weſtphaliam immaniter patratas, ſub Legatis, & Pro prætoribus Regum Philippi II, *& Philippi* III.

Præterea eorundem Regum, & Principum Icones, qui Hiſpanorum nomine Provincias durius, atque inclementius adminiſtrarunt.

Icones itidem eorum Principum, qui ex Confœderatis pro Patriâ, & Religione fortiter pugnando, pulchram, ſed iniquam, mortem oppetierunt.

Accedit poſtremò

HISTORIA TRAGICA DE FVRORIBVS GALLICIS;
Deque cæde ADMIRALII *Narratio.*

Auctore Erneſto Eremundo.

Illuſtriſſimis, Ampliſſimis, ac præpotentibus Dominis

Ordinibus

Confæderatarum Belgii provinciarum,

nec non

Excellentiſſimo invictiſſimoque

HEROI

MAVRITIO

D. G.

PRINCIPI.

Arauſionenſium, Comiti Naſſaviæ, &c. ſummo per fæderatum Belgium terra marique militiæ duci,

Se atque ſua dicat ſacratque
Bartholomeus *vander* Bild.

ILLVSTRISSIMI
POTENTISSMIQVE
Domini,
Princeps Inuictiſsime,

NON vtar vulgari illo, ac trito plurimorum exordio, quo diu multumque de eligendis huic Hiſtoriæ meę Patronis cogitanti, vos in primis adſeram occuriſſe; vendicatis enim iure veſtro hoc quidquid eſt operis, ita vt deliberationi locus eſſe, non poſsit. Vos eſtis quorum præclare facta memorantur, quorum providentia ac virtute, miſera ſervitus ſæuiſsimaque Hiſpanorum tyrannis, a cervicibus noſtris depulſa, redditaque felici poſtliminio patriæ aurea libertas: Tu vero in primis Princeps Illuſtriſsime, qui pater-

paterna virtute maior, ruentem eius occaſu patriam ſubiectis humeris ſuſtentaſti, qui obiectu virtutis tuæ ſtitiſti ingruentem Hiſpanorum furorem, ac ſæuitiam, retudiſti ſtrictas in nos gladiorum acies, propulſaſti denique ab aris, ac focis, ab vxoribus, ac liberis noſtris immanem crudeliſsimæ gentis audaciam. Arbitrabantur præcipitatos in calamitoſam ruinam miſeros Belgas, trucidato infami latrocinio felicis memoriæ inuictiſsimo Principe Wilhelmo Patre tuo, ignari profecto eius quod dicitur

Fortes creantur fortibus, & bonis,
Eſt in iuvencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Falli eos opinione ſua Docuiſti, exortus e felici arbore felicior ſurculus, in eamque repente adultus magnitudinem, vt ramorum tuorum obtentu vniuerſum

Bel-

Belgiũ obumbrares, atque ab hoſtilis, Sæuitiæ ardore defenderes. Teſtes ſunt tot profligati Hiſpanorũ exercitus, tot conciſę acies, albentibuſque hoſtium oſsibus campi infecti, cruore flumina; Teſtis Belgica vniuerſa, quæ te toties fortis imperatoris, ſtrenuique militis fungentem officio, hoſtilique ſanguine perfuſum adſpexit: Teſtes denique hę miſerę temporum conditiones, quas conſilio, virtute, prudentia, fortitudine animi, e depoſitis propemodum ac deploratis, in eum qui hodie cernitur ſtatum reduxiſti; vnde te merito Patrem, Patrię, nulliq; veterum ſecundum appellamus. Quibus de cauſis, quin debeatur nomini veſtro Illuſtriſsimi DD. Princeps inuictiſsime, hoc belgici belli monumentum, nemini dubium eſſe poteſt. Videbitis in eo ſubiectam oculis anteceſſorum veſtrorum, veſtramque virtutem, ac tu Excellentiſsime Princeps, martij illius Herois Wilhelmi Patris tui, quem tamquam verum belli

ful-

fulmen Hiſpanicæ turmæ trepidarunt, acuenturque animi veſtri, ad propugnandam fortiter, quæ tanti ſtetit, libertatem. Suſcipite itaque Illuſtriſsimi Potentiſsimique D D. Princeps Excellentiſsime, ſub tutela ac Protectione veſtra hoc Opuſculum meum, quo fretum audentius, contemptis malevolorum calumnijs, in lucem prodibit; meque clientem veſtrum ad maiora, ad publicam vtilitatem, gloriamq; veſtram adgredienda imppelleretis. valete ac viuite.

Ad Veros

Amanteſque Patriæ Belgas

PRÆFATIO.

INſatiabilis auaritia, inſana ambitio atq; immanis Hiſpanorum ſævitia vltimo hoc ſeculo quo exteris nationibus Dominari cæpere imprimis apparuit. Senſere eam inter gentiles innoſcentes Indi, ac poſt ipſos inter Chriſtianos miſeri Belgæ, poſtquam Principis matrimonio delapſa ad eos Belgicarum provinciarum poteſtas, atque imperium. Non latuit maiorum noſtrorum prudentiam fore aliquando vt ſanguineis lachrymis ſe Hiſpano ceſſiſſe Belgia deploraret. Senſimus tempori-

bus

bus hiſce quæ ipſi prævideruut, cum ſeuera illa edictorum exequi coepta ſub Philippo Secundo introducta Hiſpanica inquiſitione, ita vt nihil præter infelicum Belgarum ſupplicia quotidie cerneretur. Nemo capitis ac fortunarum diutius ſecurus erat, quam donec alicui hæreſeos eum arguere lubitum eſset: qui deſerta patria, boniſque, voluntario exilio pauperem, afflictamque vitam in exteris regionibus degebant, felices in primis habebantur. Proceres patriæ, Ordineſque provinciarum, cernentes hanc miſeram deſolationem, quemadmodum ex officio tenebantur, exhibito ſupplici libello immanem hanc crudelitatem a Principe deprecati, Maieſtatis condemnati ſunt, bonaque ipſorum fiſco addicta. Quæ ſententia, vt commodius effectũ ſortiretur, miſſus in Belgiam cum Hiſpanico exercitu tyrannorum ille crudeliſſimus Ferdinandus Aluares de Toledo Albæ Dux, nihil ſanandus omiſit quod ad integram Belgicæ deſolatione omiſit quod ad integram Belgicæ deſolationem ac ruinam pertinert: adeo vt ipſe optimus immanitatis ſuæ præco, iactaret pluſquam octodecem millia Belgarum iuſſu ſuo carnificum mani-

manibus interfecta: repleta erant patibula, arbores, aliaque loca reorum cadaueribus, fora omnia rogorum fumo, ac nidore complebantur, impediebatur fluminum, Torrentiumque curſus ſubmerſorum corporibus. Obſidebantur civitates, & deditione captæ adverſus pacta diripiebantur, non ætati, non ſexui parcebatur. Iam proſtrata Belgica iacebat, & ad extremum deducta exitium, nulla humana ope erigi poſſe videbatur, quemadmodum ipſe Tyrannus erecta ſibi ſtatua quæ Belgium calcaret teſtabatur. Sed tandem aliquando aliter Divinæ Maieſtati viſum, cũ miſerationis ſuæ oculis deplorãdã hãc calamitatem intueretur, Illuſtriſſimi Principis Auriaci, aliorumque procerum nonnullorum atque ordinum opera, has Provincias ab exitio erexit. Sunt etiamnum in viuis oculati ſæviſſimæ Tyrannidis teſtes, ſed quia breuis ac fluxa hominum vita, ne cum ea intercidat vtilis tantæ rei memoria, operæ pretium exiſtimaui, collectam ex varijs hiſtoriam, totiuſque rei ordinem ſub oculos veſtros ponere, vt eius lectione veri Belgæ tum ad agen-

das

das diuino numini gratias,quod nos a miſerijs hiſce benignitate ſua vindicavit, incitentur: tum etiam ad colendam eorum memoriam,quorum opera tant ares effecta. Denique vt cognita Hiſpanicæ gentis crudelitate,ac perfidia adlaborent propulſare a ceruicibus ſuis iugum ipſorum. Boni igitur conſule amice lector hunc laborem meum & felix ac ſoſpes freure. Vale

ORDO

trium æ nearum tabularum.

Supplicium D.D. a Batenb. num 1 fol. 208.
Suppl. Egmondani & Horn. num 2 fol. 212.
Tropęum Ducis Albani, fol. 218.

Historia
BELGICORVM TVMVLTVVM

Ab ipſâ origine ad Inducias vſque duodecennales.



Romanij Imperij ceſsit mihi ſumma poteſtas,
Et vires ſenſere meas, Papa, Gallus, Iberus,
Saxo, Heſſus, Clivius, Turcæque exoſa prapago.
Felix, heu nimium felix! ſi turbida tantum
Numquam læſiſſent noſtros diplomata cives.

TVMVLTVVM IN BELGIO Origo & progreſſus.

POſtquam Carolus, Quintus eius nominis Romanorum Imperator, Anno 1555. xxv. Octobris, Philippo II. filio ſuo, univerſis Belgij provinciis, deinde exiguo interjecto tempore, cæteris ditionibus ſuis regniſque ceſſiſſet, retentis modo annue centum aureorum millibus ad ſuum familiæque ſuæ uſum. Idem Philippus Hiſpaniarum Rex ipſo imperij ſui exordio, iiſdem quibus Pater ſuus, Anno 1521.1522.1526.1529.1531. 1533.1534. 1535. 1540. 1549. & 1550. præſidiis, uſus fuit ad cogendos eos qui à Romana & Catholica fide deſciverant. Quippe annis 1556. 1560 1563.1564.&c. non confirmavit modo quæ Pater duriora edicta vulgaverat 56. ſed auxit etiam multis in rebus, adeoq; ſevere executus eſt, ut multorum vita & ſanguine ſanciverit. Verum quoniam ex hoc capite ac fonte profluxerunt quibus poſtmodum Belgica calamitatibus miſeriiſque jactata eſt, haud abs re futurum exiſtimo, ſi à primis initiis rem altius repetentes enarremus.

Carolus Imperator filio ſuo Philippo Belgicis provinciis cedit.

Renovatio edictorum adverſus reformatam Religionem.

Cum varia regna ac Provinciæ à Romana religione deficerent, & purum putumque Dei verbum ſectarentur, accidit ut Belgica quoque crudelibus quamquam edictis; & ſæua eorum executione firmatum Romanæ Eccleſiæ jugum excutere conaretur: Nec obſtitit multa ſanguinis effuſio, quin potius eo tamquam ſemine imputa terra, uberiorem ſementem tulit, conſecuta con-

feſtim publica in Anglia, Scotia, Dania, Suecia, religionis immutatione, quas demum Gallia & reliquæ Belgij finitimæ regiones ſecutæ ſunt. Cæterum quia frequens inter dictarum regionum populos, Belgaſque uſus ac conſuetudo, & ultro citroque commercia, magis magiſque invaluit nova religio, altioreſque in animis eorum radices egit, non parum ad eam rem facientibus libris ac ſcriptis, quæ quotidie à dictę religionis doctoribus ſpargebantur. Iamque eo ventum erat ut occultis exhortationibus, aliiſque ſecretis exercitiis, in eum reformatæ fidei amorem exardeſcerent plerique, ut cum ex regiis edictis ad capitale ſupplicium abriperentur, renidente vultu, tripudiantique ſimiles, haud aliter ad necem quam ad nuptiale convivium feſtinarent. Incedebant alacriter, pſalmos hymnoſque modulantes, monebantque populum, ut deſertis Romanæ Eccleſiæ ſacris ad ſuos ſe ritus religionemque transferret.

Invaleſcit in Belgica nova religio.

Creſcente indies & numero & ardore deficientium, perſecutio quoque crudelitaſque creſcebat, quæ res potiſſimum avertit plebis animos, itaque juxta ac dolore accendit. Cernebant quotidie rapi ad ſupplicium innoxios alioquin, nulliuſque culpæ conſcios, ſimpliciore tantum Zelo veram fidem ſalutemque ſuam quærentes. Cæterum in eam nonnulli audaciam proruperant, ut adſiſtentes ſuppliciis civium, palam negarent ſe talia ulterius eſſe paſſuros: alij nihil non tentabant ut fractis carceribus emitterent capitis damnatos; quidam etiam carnificum lictorumque manibus violenter erepti: unde ingens metus erat ne civilium bellorum incendio cuncta flagrarent. Implacabile vero populi odium anno 1550. demum exarſit, edicto quod Carolus quintus Imperator Bruxellæ 29. Aprilis de inquiſitione decrevit; tum enim apparuit id agi ut Eccleſiaſtica inquiſitio induceretur, ſecularium Magiſtratuum poteſtate auxiliiſque vallata. Quamquam autem dictum diploma in diverſis provinciis & civitatibus nulla difficultate, recepto more promulgatum ſit, ſuſpicionem tamen metumque omnibus incuſſit,

Caroli quinti Cæſaris edictum.

incuſſit; unde quarundam urbium Magiſtratus id accuratius examinantes, tamquam certam reipublicæ perniciem allaturum publicari vetuerunt.

Antverpienſes edicto reſiſtunt.

Antverpienſes inprimis, niſi prius ab Imperatore auditi forent edicti promulgationem abnuêre: videbant enim mercatores ſuos quorum commercio floret hæc civitas diplomatis huius ſeveritate perterritos ceſſare à coëmendis diſtrahendiſque mercibus, imo jam convaſare pleroſque, unde civium paupertas, deſolatio urbis totiuſque nobiliſſimi emporij interitus imminebat. Prudentibus itaque viris commiſſa cura, ut quidquid malorum ex inquiſitionis timore hactenus ortum erat, & oriturum videbatur, diligenter inquirerent, auditis ad eam rem primariis mercatorum ac ciuium, quibus imperatum ut ſententiam ſuam ſcripto conſignarent. Quæ univerſa, una cum aliis patriæ privilegiis libello ſupplici inſerta, per legatos ſuos bonæ memoriæ Mariæ Hungaricæ, cæteriſque principibus & conſiliariis obtulerunt, oſtendentes quantarum calamitatum origo futura eſſet, oranteſque ut qua pollebant autoritate, perniciem à civibus ſuis propulſarent, juberentque ut ea civitas quæ à talibus iudiciis hactenus immunis extiterat, in poſterum privilegiis libertateque ſua ne privaretur.

Antverpienſes, ad aulam legatos mittunt.

Senatores ac Conſiliarij Brabantiæ, reputatis ſecum accuratius rerum omnium ponderibus, pro libertate patriæ ſteterunt, inquiſitioni edictoque repugnantes, ut Antuerpienſium animos in cæptis ſuis confirmarent: quorum exemplum ſecutæ cæteræ vrbes promulgari apud ſe diploma noluerunt. Tandem cum civium querelæ ac metus, mercatorum diffidentiæ, urbiumque anxietates, uſque adeo invaleſcerent, ut præſens patriæ totius exitium imminere videretur; ut erat ſuavis ac mitis, amanſque patriæ regina, ad Imperatorem fratrem ſuum Auguſtę Vindelicorum in comitiis exiſtentem ultro profecta eſt, tantumque perſuaſione ſua effecit, ut edicti huius aliqua parte mitigationem impetrarit. Attamen Antuerpienſes adhuc edicto reſtiterunt, (idque eo præ-

Regina Hungariæ ad Imperatorem fratrem ſuum proficiſcitur.

ſertim quod intelligerent, Eccleſiaſticos quoſdam occulte à Cæſare inquiſitores eſſe conſtitutos) donec ſancta promiſſione firmaretur, eos non obſtante hoc diplomate, nulli tamen inquiſitioni ſubiectos fore, ſed privilegiis libertateque ſua, ut hactenus, ita in poſterum eſſe fruituros, quod ante edicti publicationem duplici publico ſcripto teſtati ſunt, ſcilicet quarto & quinto die Novembris anno 1550.

Nomina inquiſitorum in Belgio.

Quamquam factioſæ plebis ſeditio ac tumultus jam ſedata videbantur, in multorum tamen animis inquiſitionis juxta ac perſecutionis odium magis magiſque gliſcebat, & una cum crudelitate perſequentium augebatur numerus eorum qui deſerta Romana Eccleſia ad novæ Religionis ſacra tranſibant. Quo maxime eos impellebat, quod cernerent, ſpretis omnibus conditionibus ac pactis, quoſdam (ut Ruardum Tapperum, & Remigium Drutium) omni ope eniti, ut iniunctum ſibi à Pontifice & Imperatore inquiſitorum munus exequerentur, idque non modo per ſeipſos, ſed etiam per M. Titelmannum, VVilhelmum Lindanum, Franciſcum Sonnium, alioſque ſubſtituros ſuos: quorum aliqui in quibuſdam provinciis, in quibus diploma promulgatum erat, auſi ſunt apprehenſos novæ religionis ſectatores capitali ſupplicio afficere, idque inprimis in Flandria, Hollandia, Hannonia, Arteſia, Tornaci, Inſulis, aliiſque locis, quod incredibilem populo dolorem inuſſit. Adjuvabant inquiſitorum novæ ac peregrinæ conſtitutiones, eorumque crudelitas & avaritia, qua fugatis averſiſque incolis provinciæ deſolabantur. Hæ vero primæ Belgicarum calamitatum origines extiterunt.

Inquiſitorum avaritia & crudelitas.

Magnus



Magnus eram, ſervata mihi ſi iuſſa parentis,
Adiecta imperio reparat Luſitania damnum
Quod Tunis erepta dedit, ſed Belgica noſtros
Ductore Auriaco theſauros bella tulerunt.

PHILIPPI SECVNDI Hiſpaniarum regis gubernatio.

REbus ita conſtitutis aduenit annus 1555. quo Imperatoria Maieſtas pertæſa curarum & fracta laboribus, ac ſeceſſum in Hiſpanias cogitans, Philippo filio ſuo, vti memoratum eſt Belgicas provincias tradidit. Cum autem ea tempeſtate novæ à recenti Domino conſtitutiones expectarentur, Antonius Perenottus Epiſcopus Atrebatenſis poſtmodum Cardinalis Granvellanus, effecit, vt occultæ inquiſitorum commiſſioni, publica edicta, & patentes litteræ ſuccederent in Decembri 1555. quibus, vniverſi Præſides & Magiſtratus, Inquiſitoribus in muneris ſui executione præſto eſſe iubebantur, ſtatuta in tranſgreſſores cum priuatione officii arbitraria pœna. Cuius edicti exempla ad provincias vrbeſque miſſa, publicataque ſunt Lovanii, ſilvæducis, aliiſque locis. Verũ Proceres ſenatuſque Antverpienſis vbi ſenſerunt hoc edicto violari ea quæ anno 50 de inquiſitione conuenerant, publicatione ſuſpenſa, confeſtim Legatos ad aulam miſerunt, qui eorum memoriam renouarent, docerentque ſe ex pacto ad talia edicta non teneri. Cæterum adeo rei huius indignitatem oſtenderunt, vt dictum diploma non ab Antverpienſibus modo, Sed à tribus præterea præcipuis Brabantiæ vrbibus, ſine vlteriori vexatione revocatum ſit. Etſi autem his cæptis ſuauiter hoc modo obuiam itum eſt, minime tamen latuit populum, ad inducendam inquiſitionem, commodum tempus & occaſionem expectari, conniueri tantum, eo quod exactionibus ac vectigalibus, & Antverpienſium inprimis auxilio ad Bellum Gallicum opus eſſet.

Antverpienſes repugnãt edicto.

Inſtru-

Inſtructio autem inquiſitorum ſic erat.

Primo vt Inquiſitores ſumptibus Majeſt. ſuæ inquirerent, adverſus omnes Belgicarum Provinciarum hæreticos. Vt omnes citati ad ferendum Teſtimonium cuiuscunque dignitatis ac ordinis, id præſtare teneantur, niſi ſuſpecti haberi malint. Duorum Teſtimonio conuictus hæreſeos, prehendatur, procedaturque adverſus eum ſumma diligentia, absque figura proceſſus, alias Iudices ſuſpicionem incurrēt: nō ſufficientibus autē contra ſuſpectos informationibus, à iudicibus ad inquiſitores remittantur. In dubiis & gravioribus rebus ducem gubernatricem admoneant. vt ijdem inquiſitores vitæ contaminatæ vicarios mutato habitu dimittere poſſint vna cum concubinarijs & doctrinæ ac eruditionis expertibus atque ignaris, vt examinent diſtractiones librorum. Denique vt redhibeatur inquiſitoribus quidquid in vllis apprehenſionibus ſumptuum fecerint.

Et vero quia non raro in hac narratione mentio Inquiſitionis occurret, multiq; ſentiant invectionem illius omnium malorum & civilis tumultus originem extitiſſe: Iuuabit hoc loco breuiter recenſere naturam operationesque eius, & à quo demum fonte profluxerit; vt liber à paſſionibus affectuque animi lector iudicare poſſit, num iniuria belgæ illi obluctantes in eam ſe miſeriarum calamitatumq; voraginem præcipitaverint, quam huius Hiſtoriæ contextus aperiet. *Quid ſit inquiſitio.*

Inquiſitio igitur eſt examinatio quædam, & percontatio fidei, facta à viris cui id munus commiſſum, quos Inquiſitores ſeu Patres Sancti officii appellant, ijs medijs & adverſus eos quibus ipſis viſum fuerit; præſertim ſi qui delati aut ſuſpecti ſint vel minimi adverſus Catholicam Romanam Eccleſiam erroris, quos pro cauſæ gravitate, capitali ſupplicio bonorumque omnium confiſcatione caſtigant.

Verùm vt paulo fuſius clariuſque enarremus, & illuſtrius lector intelligat, ſcire oportet Hiſpanicam inquiſitionem vocari, quod in Hiſpania primum cœperit, vt breviter oſtendam ex Reginaldo conſalvo Montano, & Georgio Nigrino, qui late deſcripſerunt eam rem, multisque Hiſtoriis, exempliſque confirmarunt. Antiquiſſimis Iudæorũ annalibus traditum eſt Iudæos poſt Hieroſolymæ excidium, à Tito Romanorum Imperatore tamquam mancipia in Hiſpaniam relegatos, ſumma conſcientiæ religioniſque ſuæ libertate vixiſſe.

Hiſpanica inquiſitio adverſus Iudæos & Mahometiſtas.

Poſtquam vero Ferdinandus Arragonius, & Iſabella, Catholici, Rex & Regina Hiſpaniarum, finem impoſuiſſent bello quod aduerſus mahometanos gerebant (quodque 778 plus minus annos tenuerat, pluſquam ſepties cètenorum millium hominum cæde memorabile) eiectis è regno vrbeque Granatenſi hoſtibus, Hiſpaniæque rebus compoſitis, ad purgandam in Regno ſuo religioné, ſtabiliendumque diuinum cultum ſe conuerterunt, impulſi propterea quod (poſt tam diuturni belli tumultus) non ſolum ſubiectis ſibi mauris, ſed Iudæis etiam, quorum multa millia cedere regno, & per Gibelterræ anguſtias tranſire coegerant, indulſerant reditum in Hiſpaniam, modo ſuſceptis Chriſti ſacris à Iudaica ſuperſtitione deſciſcerent. Plurimi igitur reverſi, baptiſmo ſuſcepto Chriſtiani fiebant, non tam novæ fidei, quam bonorum ſuorum amore ducti. Iam vero ut hi neophyti, Chriſtianæ religionis præceptis imbuerentur, fratribus ordinis prædicatorum cura commiſſa, qui jam tum ſummæ autoritatis erant in regia, imo uſque ad intima ſecretorum penetrabant. Iuſſis itaque Ferdinandus Rex his Monachis novos Chriſti Tyrones ab antiquis erroribus, & ſuperſtitione deducere, ſedem eis ſtatuit hoc titulo inſignem: ſacrum Tribunal Hiſpanicæ inquiſitionis. Trahebantur huc miſeri mortales, verberibuſque ac plagis, aut grandi pecuniæ multa inſtruebantur. Vel minimæ ceremoniæ ex Iudaiſmo Mahometiſmoque obſervatio ſufficiebat, ut ad ignominiam, anguſtias, tormenta

Revocantur in Hiſpaniam Iudæi & Mauri.

menta, mortem denique raperentur: verum hæc in Mahometanos modo, Iudæoſque cæpta poteſtas, demum extendit ſeſe in omnes eos qui vel latum unguem à Catholicæ fidei & Eccleſiæ ſtatutis, præceptiſque deflecterent. Sixtus quartus Pontifex hoc Regis inventum Apoſtolica autoritate firmavit. *Confirmatur à Pontifice inquiſitio.*

Cæterum hanc inſtitutam hoc modo à prædicto rege, confirmatamque à Pontifice inquiſitionem, Arragonij, antiqua maiorum regis hæreditas, accipere recuſarunt, oppoſueruntque ſe regi ipſo ſtatim initio proceres regni, docentes novum hoc commentum non tam purgationem religionis, quam privilegiorum libertatiſque regni jacturam inducere. Vbi vero violenter agi ſecum, violarique jura ſua viderunt, pro libertate arma ſumpſere, nec umquam hoc in regno ſuſcepta inquiſitio, niſi cum multo utrimque fuſo ſanguine tandem vi invecta eſt. *Arragonij recuſant inquiſitionem.*

Sed vero ut exponam breviter quibus modis & qua ſubtilitate procedatur, ſciendum eſt, inquiſitores delatione alicuius accepta, unum aliquem ex numero eorum quos paratos ſemper, inſtructoſque habent (familiares appellant, id eſt amicos famuloſque inquiſitorum) mittunt, qui denunciet ut certa hora ad Inquiſitores veniat, habere ipſos quod eum interrogent. Sic vocati ſiſtant ſeſe oportet abſque mora, niſi gravius quid experiri malint. Comparet itaque citatus, & ſumma diſſimulatione ab Inquiſitoribus rogatur nomen ſuum, quid petat? num quid habeat quod coram Sancto hoc officio de ſeſe aliiſve exponat? Si ea ſit conſtantia animi, ut ſubtilibus eorum percontationibus apte reſpondeat, nec fateatur quidquam, ad ulteriorem informationem dimittitur, addita excuſatione ſe neſcire an is ſit quem citaverint, num forte errore lapſi ſint. Sin vero de ſe aliiſve aliquid incogitanter effutiat, elati gaudio inquiſitores ad terrorem eius, modo ſeſe mutuo, modo ipſum acriter fixiſque oculis intuentur, auribus invicem immurmurant, denique jubent ut in vincula ducatur. *Ratio ac modus procedendi inquiſitorum.*

Nihil

Nihil autem fatentem dimittunt, ut dictum eſt, notatum diligenter ſpectatumque à delatoribus qui poſt tapetes latent, ſi forte inquiſitoribus vultu ignotus eſſet, ſcriptoque prius nomine & cognomine eius, certi ſuo tempore non evaſurum, liberum abire jubent. Accidit ſubinde ut cum aliquibus connivere videantur inquiſitores, nec niſi elapſis pluribus diebus aut hebdomadis iterum citari prehendive jubeant, ſed ad extraneos non extendit ſe hoc beneficium, ad illos modo, qui cũ eo loco fixi ſint, facile è manibus ipſorum elabi non poſſunt. Cum de alicuius delati captivitate concluſerunt, advocato Epiſcopi ſuffraganeo, qui Proviſor ſeu vicarius aut Ordinarius dicitur, oſtendunt acta adverſus accuſatum, iiſque ut ſubſcribat efficiunt, ne alienam Oviculam abſque Paſtoris conſenſu attigiſſe videantur, verum non raro, exiſtente jam in vinculis reo, certi de voluntate eius inquiſitores Proviſorem accerſunt. Mirabile vero eſt quanta cura ac diligentia, quibus inſidiis, perſequantur eos qui forte è carcere evaſerunt, mittunt exploratores, de ætate, forma, ſtatura corporis, vultus, capillorum ac barbæ, tota denique ſpecie fugitivi probe edoctos, depictas inſuper in linteis eius imagines diſtribuentes, adeoque nihil intentatum relinquunt, ut de ſumma fortuna ſibi gratulari poſſit qui eorum manus evaſerit, præſertim ſi opibus aut dignitate polleat. Comprehenſo aliquo, omnium extemplo ſerarum clauſtrorumque claves exigunt, miſſoque domum eius notario cum familiaribus aliquot, (hi ſunt miniſtri inquiſitorum) omnium rerum inito numero, catalogum conſcribunt. Quo facto univerſa opulentiori ex vicinis in cuſtodiam traduntur, exacto prius de reſtitutione ubi petita fuerit, rationeque reddenda juramento. Cæterum Captivus, ablatis ſi quæ ſecum habet, in ſquallentem, tenebriſque ac fætore teterrimum carcerem detruditur, exactiſque in eo octo aut quatuordecem diebus, carceris cuſtodem ſubmittunt inquiſitores, qui moneat captivum ut ardenter audiri expetat, quod ab ipſo rogatus cuſtos nomine

Diligentia inquiſitorum in perſequẽdis fugitiuis.

Iubetur petere audientiam reus.

eius exorat. Stans igitur ante judicem reus orat expediri cauſam ſuam, qui viciſſim admonetur, criminum ſuorum confeſſione exonerare conſcientiam, oſtenſa veniæ ſpe ſi reſipiſcat: neque tamen ut audies confeſſione ſua liberatur. Negantem rurſus in carcerem ducunt, addito, tum audiri expoſcat, cum fateri ultro culpam ſuam animum induxerit, nec efficit quidquam ſi ſecundo audiri deſideret, imo ne aperitur quidem ipſi cauſa cur teneatur in vinculis, eo quod propria eum confeſſione convincere exoptent.

Propria Cōfeſsione convincere tentant.

Tertia audientia iterum reus adducitur, rogaturque an ſponte, & vltro veritatem fateri induxerit animum, alioquin grauia eſſe paſſurum. Quòd ſi quædam aperiat ac fateatur, aiunt non ſufficere eam confeſſionem, plura ab eo metus cauſa taceri: itaque rurſus in carcerem demittunt, aggravantes paulatim exaggerantesque rem, eoque plures audientiæ dies celebrantes, quo magis magiſque eum fateri aduertunt. At vero, ſi forti animo conſtanterque reſpondeat reus, nihil ſibi eſſe quod fateatur, verſa ſubito ratione procedendi, novo eum inuento adgrediuntur, Iuſiurandum ab eo exigentes, prolata Crucifixi Imagine, nigro aliquo ſeu panno, ſeu byſſo inuoluta, ad maiorem reuerentiam, incutiendumque terrorem, ſeu leuiter ſeu falſo præſtandi Iuramentum. Peracto ex eorum voluntate Iureiurando, vario reum examine percontationibuſque diſcutiunt. Vnde trahat originem? ex qua patria, aut regno, diœceſi, ciuitate aut pago? quibuſnam auis aut maioribus ortus? quæ eorum nomina? num fratres Sororeſque habeat? qui parentes? quod eorum nomen? quis vitę modus? num ipſe alias vel quiſquam ex genere familiaque eius in manus Inquiſitorū inciderit? qua cauſa, quoq; modo ab eis pœnā incurrerit? quot anni vitæ eius, quæ exercitia? Vlterius interrogāt quibuſcū ei amicitia & familiarior vſus intercedat, Interceſſeritq; hactenus? ſuauibus primo blandiſque verbis hortantes, poſtea vero ira ac minis, ut vltro veritatem aperiat, nihil dubitans, ſe nunquam aliquem abſque ſufficienti Teſtiū

Iuſiurandū ante crucifixi imaginē à reo exigitur.

Variæ inquiſitiorum inter rogationes.

nume-

numero ac pondere iuſtaque cauſa prehendere: Quo fa-cto ſive confiteatur ſive neget rurſus in vincula tetrumque carcerem abripitur.

Minæ inquiſitorum. In quarta audientia denuo exigitur iuſiurandum, iubeturque rurſus proferre quæ nouit, alioquin ſeuerius cum ipſo actum iri, fiſco tanquam accuſatore intentante crimen. Quod ſi ne tunc quidem à conſtantia ſua dictiſque deflectat, tum demum exhibetur ipſi ſcripta accuſatio, falſis vt plurimum, & quorum illi nunquam venit in mentem punctis criminibuſque compoſita. *Exhibetur ſcripta accuſatio.*

Primæ eæque conſuetę obiectiones hæ ſunt. Reum quanquam ſacro baptiſmatis fonte tinctus, ſinceruſque ac fidelis Romanæ Eccleſiæ filius exſtiterit, doctrina tamen eius inſtitutiſque deſertis, hæretica Lutheri, Calvini aliuſue ſectæ prauitate imbuiſſe animum, nec eo contẽtum, alios etiam mortales, ſeu docendo, Inſtruendo, aut concionando, in eundem ſecum traxiſſe errorem, multorumque ea ratione hæreticorum autorem, ac veluti parentem exſtitiſſe. Hac aut ſimili verborum gravitate ac magnificentia utuntur in iudicio, vt ſimplicioribus terrorem incutiant.

Scripto conſignant quæ dicit reus. Deinde obiecta dilvere conatur reus, ſinguliſque articulis reſpondens, abnuit aut fatetur. Quæ uniuerſa à clerico cui id muneris iniunctum eſt, ſcripto Conſignantur.

Callida inquiſitorum interrogatio. Inſidioſo præterea commento reum adgredi conſueverunt, interrogantes, à quo tandem didicerit, audieritque talium dogmatum nouitatem? Quo in libro inuenerit? An cum, vel coram aliis contulerit de ijs rebus? qui illi fuerint? & ſi quid aliarũ circumſtantiarum, conditionumque eſt. Neque vero ij quos audiſſe modo, præſenteſque exſtitiſſe conſtiterit, vacant periculo. Non abnuitur autem reo ſibi de patrono aduocatoque prouidere, qui cauſam eius innocentiamque defendat, omni tamen mutua collocutione ſiue communicandi rerum, ſeu conſilii capiendi gratia, niſi præſentibus dominis inquiſitoribus & clerico interdicitur. *Prohibetur reus cum advocato ſuo ſecreto colloqui.*

Poſtquam eo ventum eſt, vt deficientibus animi iuxta ac corporis viribus, miſer captiuus calamitatum ſuarum finem vel ipſa morte quærat, & falſa pariter ac vera faſſurus eſſe videatur: tum denique citatur ad iudices, rogaturque cum obiurgatione qua demum cauſa rerum ſuarum non ſatagat? Vt exinde veritatem eloquatur; plurimas deinde admonitiones adiungunt. Quibus exactis hac eadem vel ſequenti audientia, dominus fiſcus tanquàm actor, exhibito ſupplici libello, proferri teſtimonia poſtulat. Legitur ergo quicquid adverſus eum teſtes depoſuerunt, nominibus tamen eorum ſilentio tectis.

Cæterum ſcitu dignum eſt hoc loco, vnum aliquem inquiſitorum miniſtrum (quem patria lingua Alcaldum appellant) duorum Teſtium loco haberi. Qui præſens oculatuſque teſtis extiterit, ſufficit vt peragat reum quē detulit, quod ſi vero auditione modo perceperit, ingens reo tormentorum & ſeuerioris quæſtionis periculum imminet, niſi adverſus illum ab ipſo reo ſuſcipi nequeat. *Vnus inquiſitorum miniſter pro duobus teſtibus eſt.*

Exacto deinde trium aut quatuor dierum ſpatio, iubetur adeſſe reus, vt ſeſe purget ab ijs quæ intentata ab actore, teſtiumque calculo comprobata ſunt, cui etiam patronus eius adſiſtit. Defenſionem autem nullo niſi deo adiutore inſtituat oportet. Poſtquam iam omni qua potuit, Sedulitate diluere criminationes conatus eſt aduocati ſui tandē auxilio vtitur; qui coram dominis inquiſitoribus captiuo clienti ſuo ſuggerit, quæ potiſſimū teſtimonia illum oppreſſura videantur, deinde quinam adverſus eum maxime conſtent articuli, poſtremo nihil aliud ſupereſſe aut remedii aut conſilij, quam vt diligenter ſecum ipſe reputet, coneturque coniicere cuius præſertim opera ad miſeriam hanc calamitatemque deuenerit, vt ſi qua poſſit, replicando aduerſus eum excipiat. Hic vero caueat ſibi oportet aduocatus, ne quidquā vltra doceat clientem, niſi dominorū judicū indignationē velit incurrere: hortatur modo, vt pluribus diebus reputet cum animo ſuo, ac diligenter examinet, quibuſcum ſibi *Solus defenſionem ſuam parare reus debet.* *Monetur coniicere reus quis accuſator fuerit.*

odia

odia aut graviores inimicitiæ fuerint, poſſe enim contingere acerbitate animi, odioque adductum aliquem inimicorum ſuorum, hanc adverſus eum accuſationem inſtituiſſe; quod ſi dominis iudicibus probabili ratione liquere poſſit, ſufficere eam rem vt omnis generis homines à Teſtimonio ferendo arceat; monet vlterius, negari poſſe, abrogarique fidem teſtibus, ſi aut contradicant invicem; aut non omni ex parte conſentiant, modo pluribus Teſtimoniis contrarium eorum quæ obiecta ſunt poſſit oſtendere. Et hoc fere auxilium eſt quod clienti ſuo advocatus valet impertiri. Tum denuo in carcerem reus abducitur, admonitus primo ab Inquiſitoribus, vt veritatem aperiat, tormentorum alioquin crudelitate quæſtionumque ſævitia eſſe cogendum. Poſt paucos deinde dies coram iudicibus profert reus nomina eorum à quibus ſe delatum eſſe coniecit: ſi aberrauit a vero perſiſtit adverſus eum accuſatio, ſin vero tetigit rem, percunctatur ex eo advocatus qua contra eum quem modo nominavit exceptione vti poſſit, celato nihilominus num recte an perperam de adverſario ſuo coniecerit: Audita deinde exceptione, nominatiſq; à reo teſtibus qua illam confirmet ac ſtabiliat, ſuſcipit in ſeſe curam aduocatus conficiendæ interrogationis, num ad ſe perfecte purgandum poſſit oſtendere, ſe Eccleſiaſticis amicum, conſtitutionum ac ceremoniarum Romanæ Eccleſiæ ſedulum obſervatorem exſtitiſſe, ſacramento confeſſionis repurgaſſe animi ſordes, ſacroque Chriſti corpore eſſe refectum, debitum ſanctis honorem impertiſſe, coram crucibus ac vexillis aliiſque ſimilibus, cum publica proceſſione circumferuntur, flexiſſe genu, nudatoque capite reverentiam exhibuiſſe, denique ita vniverſas vitæ ſuæ inſtituiſſe rationes, vt nulla in eum hæreſeos ſuſpicio cadere vllo modo poſſit. Hæc omnia ſi ſe firmaturum rationibus, ſufficientique Teſtimonio probaturum eſſe pollicetur, novem dierum ſpatium Indulgent iudices, quibus comparare poſſit ea que ad præſtandam promiſsi fidem requiruntur. Hæc gratia purgandi ſeſe & obiecta

Abrogatur fides teſtimoniis quæ invicem non conſentiunt.

Exceptio rei contra adverſarium.

Signa veri Catholici.

Non omnibus captivis conceditur gratia ſe purgandi.

obiecta diluendi, non omnibus vniverſe captivis indulgetur, iis modo quorum accuſatio conſentiente Teſtimoniorum fide roborata non eſt, quorum enim conformi teſtium fide vallata delatio, nullũ purgandi ſui eamq; repellendi tempus aut mora conceditur, permiſſa modo contra aduerſarium exceptione vt dictum eſt.

Conceſſa deinde quãta patribus viſum eſt quiete, citatoque rurſus ad iudices reo, inquiſitor eum in hunc modum alloquitur. Accepta iam eſſe Teſtimonia illorum quos ad purgationem ſuam nominaverat, proferat ſi quid habet vltra ad dilutionem eorum quæ obiecta ſunt. Elocuto deinde pro conſtitutione cauſæ ſuæ reo, ipſo concludente Dominus etiam fiſcus concludit, patreſque inquiſitores cum conſilio & aſſeſſoribus ſuis ſententiam pronuntiant, hunc in modũ. A Theologis monachis & Eccleſiaſticis diligenti examinatione perpenſum iri omnia quæ de fide doctrinaque ſua reus elocutus eſt, eaque ſecundum eorum ingenium ac eruditionem iudicanda explicandaque eſſe. Hunc actum qualificationem doctrinæ, vel dogmatum quæ reus ſectatur demonſtrationem appellant.

Sententiæ pronunciatio.

Qualificatio doctrinæ ſeu dogmatum.

Quod ſi præcedenti purgatione reus ſatis ſuperque docuerit ſe nunquam Lutheranæ hæreſeos labe non modo non infectum, ſed ne affinem quidem fuiſſe, verum in omnibus Catholicæ Eccleſiæ dicto audientem filium, abſoluitur & ab obiectis criminibus alienus eſſe iudicatur, aut ſaltem ut frequentius fieri aſſolet, lenitur aut aggrauatur pro cauſæ diuerſitate ſententia. Hanc tamen tanquam certam regulam conſuetudinemq; inuiolatam obſeruant, vt ne quemquam dimittant è manibus ſuis, niſi alias ſeſe examinatum ab inquiſitoribus luce clarius poſſit oſtendere. Verum enim vero ſi in firma ac conſtanti eorum quæ ſibi intentantur negatione perſiſtat reus, ad ſeueriora tormenta quæſtionemque condemnatur.

Ducitur itaque ad locum tormentorum, tenebris plerumque horribilem & ſubterraneam ſpecum, quo

Tormenta & quæſtiones. ubi per varia oſtiola ventum eſt, conſidentibus in cathedra inquiſitore, proviſore, & clerico ſanguinis, faces & lumina accenduntur, ingreſſiſque omnibus quorum neceſſaria huic actui præſentia, adeſt etiam tortor, pulla veſte, linea ad terram uſque, cinctaque ad lumbos toga, plane eorum in modum, qui ea nocte quæ ſanctum diem veneris præcedit, flagellis in terga ſua ſæuiunt. Conſidentibus jam dominis, monetur iterum ut ſponte fateatur, alioquin ſibi imputet ſi rupto crure brachio aut alio membro, vitam etiam in tormentis amittat. *Inverecunda virginum denudatio.* Stantem itaque hoc modo veſte detracta nudari jubent, teneras etiam aliquando, & pleniſſimas verecundia ac pudore virgunculas, tectis tantum breui linteo pudendis; tum oculorum nictu, quibus miſerum tormentis afficiat, tortori ſignificant. Religatis poſt tergum manibus uterque pollex tenui fune coniungitur, utraque deinde corda magna ac tenuis quibus manus ac pollices colligati ſunt, per trochleam cum rudente tranſmiſſa, firmatur, alligatiſque compedibus ac pondere viginti quinque librarum in altum attollitur, tum demittitur iterum ut duplicetur affixum cruribus pondus, additis minis non ante à tormentis ceſſaturos, donec aut exhalet animam, aut obiecta fateatur. *Quæſtionum acerbitas.*

Contumelia in reum. Tertia dein vice addito pondere quamuis pæne exſpirantem attolli jubent, adiicientes tormentis graves iniurias contumeliaſque quibus enim duræ cervicis, obſtinatique animi hæreticum appellant.

Si ſolui petat patiens, indicans ſe fateri velle, non modo confeſſione ſua non liberatur, ſed ad vehementius torquendum eos impellit. Nona ante meridiem hora, uſque ad duodecimam aut primam fere in quæſtione perdurant; tum diſcedentes hiſce verbis patientem toto corpore laceratum atque convulſum conſolantur. Sufficit modo, delibera tecum ipſe quid fateri velis, alioqui certo ſcias exigua eſſe quæ tuleris hactenus, comparatione eorum quibus ad extremum uſque ſpiritum te cruciandum eſſe ne dubites. Tum illis diſcedentibus, *Quæſtionum diuturnitas.*

dentibus,

dentibus, carnifex miſeri hominis junćturas & membra coniungit; non minori cruciatu ac dolore quam ſoluerat: deinde veſtibus ſuis tectus ducitur aut verius raptatur ad carcerem.

Quem vero vlterius tormentis quæſtionique ſubiiciendum judicant, tertio die cum acerbiſſimus eſt membrorum dolor, vocatur ad audientiam; vbi rurſus niſi hæreſim ſuam, ſocioſque quibuſcum de ea egerit fateatur, noua tormenta cruciatuſque & minantur & inferunt, ſed ſeueriora plerumque: femora enim & tibias tenuibus quidem ſed duris ac fortibus cordis circum ligant, quas impoſito inter genu utrumque ligno magis magiſque conſtringunt, donec carne patientis abſconſæ incredibilem ei dolorem incutiant; alio deinde quęſtionis genere utuntur.

Nouum tormenti genus. Ligneum ſcamnum eſt canalis inſtar concauum, ut hominem in dorſo ſuo jacentem capere poſſit, circa medium, rotundum baculum tranſfixum habet, cui impoſitus hominis dorſus, canalem ſeu ligni concauitatem non ſentit; pedes vero eius capite ſublimius eminent. Sic proſtrato patiente, brachiorum tibiarumque oſſa duris ſed tenuibus cordis aut fidibus circumligantur, quæ intortæ ſimiliter, perrupta carne ad oſſa penetrant, donec ſpectantium oculos effugiant. Præterea tortor tenui lino os ac nares ſic miſere jacentis rei obturat, ut ſpiritum per eas prohibeatur emittere, *Aliud.* dum interim aqua in os per tenue illud linteum certa menſura, à judicibus conſtituta immittitur.

Si patribus ulterius in tormentis procedere viſum fuerit, poſt unum alterumue menſem, acrius aut remiſſius quæſtiones adhibentur. Videlicet allato igne, jubent *Ingens tormenti acerbitas.* plantas patientis larido munctas ante eum torreri. Denique ſexcentis aliis quæſtionum generibus ex captiuis, ea quæ deſiderant elicere conantur.

Dies præparationis recte in Paſcha incidit. Pridie diei oſtenſionis, inclinata jam luce, Domini inquiſitores viros omnes in duo maxima carceris conclauia congre-

gari iubent, fæminasque ſeparatim, diſcriminis quidem vitæ ſuæ expertes, poſtera tamen die omnium hominum ludibrio exemploque exhibendos vt pœnitentiam à iudicibus iniungendam accipiant. Illi vero vtriuſque ſexus, quos crudelior ſententia cogit ad capitale ſuppliciũ, ad ſola cubicula diuiſi abducuntur, quos nona aut decima noctis hora, ſuus quoſque monachus accedit qui triſtem adferat nuncium eorumque confeſſiones excipiat.

Mittitur pridie ad morituros confeſſarius.

Sequenti vero die ubi primum illuxit, ad ſolemne ſacrificium familiares id eſt accenſi ſeu famuli inquiſitorum vndique accurrunt, ut quiſque officio ſuo rite fungatur, adornant eos qui ſpectaculo futuri ſunt. Si quis ingenti animo atque conſtantia in fide ac religione ſua perſtiterit, ad ipſum uſque rogum, flava togula indutus incedit, tetris vndique diabolorum imaginibus depicta, capiti inſtar tiaræ pileus ex papyro imminet, expreſſa in eo hominis effigie, quem in ardenti flamma conſtitutum, vndique fomenta rogo materiamque adhibentes diaboli excruciant. Hoc ornatu patiens ad excelſum primo vt ab omnibus conſpici poſſit tabulatum, indeque ad ignem accedit; domini interim Inquiſitores ingentẽ erga captiuos miſericordiã clemẽtiamq; præ ſe ferre nituntur.

Signum in reformata religione pertinacium.

Hæc oſtenſionis aut ſacrificii dies, ingenti pompa comitatuque celebratur. Præcedunt ſcholares vniuerſi, deinde rei ſeu pœnitentes, ordine ita à ſe mutuo ſeparati, vt ij quos minima manet pæna, proxime ſtudioſos inſequantur, geſtantes plerumque manibus non ardentes candelas, circundatis collo fũnibus, frenato ore, cartaceis galeris, ad peccatorum ſuorum oſtenſionem. Poſt pœnitentes ſuccedunt ij qui flavis vti commemoratum eſt togulis induti ſunt, poſtremo ſequitur igni & ſacrificio deſtinatum agmen. Quiſque patientium inter binos armatos incedit, quibus propinqua iam mortis hora bini monachi adiungũtur. Poſt captiuos ſenatus vrbis ingreditur, comitante nobilitate ac magiſtratibus, deinde Eccleſiaſtici. Poſtremo inquiſitores eo ordine vt inter ipſos ac præcedentes ſpatium interſit, in quo inquiſitionis

Pompa ac comitatus ad ſupplicia euntium.

tionis fiſcus ſolus incedit, ante expanſum ſanguinis vexillum, id eſt damaſcenum rubei coloris auro argentoq; laboratum, internitentibus gemmis. Hinc inde Pontificis, Regiſq; Ferdinandi inſignia, aureiſque litteris acu picta nomina præferens: hi enim primi inquiſitionis auctores, quam hic inuenit, ille iudicio ſuo & auctoritate ſanciuit. Exiguo interuallo domini inquiſitores, denique vniverſi populi agmen incedit. Hoc in primis ſtatu atque ordine ad excelſum Theatrum ducuntur rei cui domini inquiſitores oppoſiti ſedent. *Sanguinis vexillum.*

Conſidentibus vniverſis, orator aliquis ſanctum hoc officium pro concione commendat, inuehiturque quanta poteſt acerbitate in hæreſes, eoſque qui Catholica religione deſerta ijs infici animum ſuum patiuntur. Peracta concione pœnitentibus ordine ſententia ſua pronunciatur: tum fuſis aliquot à præcipuo Inquiſitorum orationibus, vniverſi ſacerdotes, monachi, ac clerici, pariter quinquageſimum primum Pſalmũ Miſerere mei Deus &c. ordiuntur. *Laudatur pro concione inquiſitio & hæreſis damnatur.* *Preces Clericorum.*

Præterea ab omni populo qui ſpectaculo præſens adſiſtit, ſolenne ſacramentum exigunt, ſeſe in Catholica religione Romanæque eccleſiæ obedientia perpetuo vitam acturos, eamq; à ſe omnibus in rebus, fuſo etiam ſi opus ſit vita ac ſanguine defenſum iri, idẽ quoq; ſacro officio impenſuros; ad cuius rei maiorem fidem ac certitudinem ſe invicem teſtes appellant. *Exigitur iuſiurandum à populo.*

Quod ſi inter pœnitentes eccleſiaſticæ perſonæ ſint, degradantur. Primo ac ſi ad miſſam celebrandã accincti eſſent induũtur, ſpolianturq; rurſus e veſtigio ſacro habitu, deinde manus, labia & corona capitis, vitri fragmento aut acuto cultello radunt, vt ablatum hac abraſione quo prius uncti erant oleum oſtendant, idque in conſpectu & ingenti circũſtantium corona qui peregrinas haſce ceremonias inſuetamque actionem intuentes, ingenti ſtupore juxta ac trepidatione percellũtur. Qui vero capitis dãnati nõ ſunt, verbis modo profanantur, id eſt ſuſpẽduntur ab officio aut ſtatu, donec põtifici viſum fuerit. Lecta jã ſententia, *Eccleſiaſticorum degradatio.* *Profanatio Eccleſiaſticorum.*

tentia, degradatiſq; aut profanatis aliquibus, damnati capitis ſeculari poteſtati traduntur ducunturque ad ſupplicij locum. Accidit non raro vt fune ſtrangulantes, ſpiritum intercludant religatis ad palum, vociferenturque ad populum eos in extremo vitæ articulo ingenti peccatorum contritione ad Romanam eccleſiam eſſe conuerſos, eoque ardentis ignis non ſenſiſſe incendium. Alij quorum capitale ſupplicium crimina non merebantur, reducuntur ad carcerem, vt ſequenti die per plateas ac vicos virgis cæſi rapiantur, quorum pleroſque triremes carcereſue perpetui excipiunt. Diutius propoſito hæſimus in hac materia, verum quandoquidem inquiſitionis terror præcipua miſeriarum calamitatumq; Belgicæ origo exſtitit, operæ pretium mihi feciſſe videor, quod paulo fuſius communem tum Catholicorum tum reformatorum formidinem explicarim.

Ad triremes & carceres perpetuos damnantur.

Pauli quarti Pontificis mors.

Exſtincto Romæ, Anno 1559, menſe Auguſto, Paulo quarto pontifice, ex domo Caraffarum oriundo, plurimiſque eius morte gaudentibus, ipſis præſertim Romanis, tum ob bellorum exactionumque quibus populum grauabat multitudinem, tum vero etiam propter eam quam aduerſus omnes bonos (ſub religionis prætextu) perſecutionem inſtituerat. Ciues & incolæ vrbis, publica ui, in domum inquiſitionis irrumpentes, eam igni ſuccenderunt, liberatis captiuis, vulnerato ſupremo inquiſitorum & complicibus eius ſociiſque fugatis: Statuam præterea imaginemque pontificis in Capitolio erectam terræ allidentes in Tyberim proiecerunt. Quo eodem incendio clauſtrum Mineruæ conflagraſſet, eo quod fauerent inquiſitoribus, niſi Marcus Antonius Columna, & Iulius Cæſarinus, eximiæ autoritatis viri populi furorem verborum ſuorum ſuauitate ſedaſſent.

Ciuium in domum inquiſitionis irruptio.

Statua Pontificis in Tyberim proijcitur.

Rex feſtum aurei velleris celebrat.

Tertio Kalendas Auguſti, quatuorque inſequentibus diebus, Regia Maieſtas in urbe Gandauo feſtum aurei velleris ingenti magnificentia celebrauit, eodemque vellere impertiuit Galliæ Regem, Carolum principem Hiſpaniæ, Archiducem Auſtriæ Carolum, Ducem Arſcho-

caſconium, Ducem Naieranum, Mantuanum, Vrbinatemque Duces. Salmonæ Principem, Marcum Antonium Columnam. Marchionem de Rentij. Comitem de Lignij. Comitem Hoogſtratenſem, Ducem Arſchotanum, & Dominum de Montignij, ſicuti antea anno 1556, idem aurei velleris feſtum Bruxellæ ipſo ſancti Andreæ celebrans, eodem donarat illos, qui ſequuntur. Emanuelem Philibertum Sabaudie ducem Belgicarum prouinciarum gubernatorem. Principem Auriacum, Comitem Egmondanum. Comitem de Horn, Dominum Lalain, Dominum de Molenbais, Dominum de Glayſon, & Dominum de Barlaimont.

Parat diſceſſum in Hiſpaniam Rex.

Peracta hac ſolemnitate, Rex ea quæ ad Hiſpanicam profectionem opus erant ſumma diligentia parari juſſit, propterea quod ingenti tumultu ac ſeditione turbata omnia, præſentiam eius expoſcebant. Augebatur in dies occultis incrementis noua ac Lutherana religio, non obſtante inquiſitionis ſeueritate ac diligentia, adeo ut ex nobilitate quã plurimi ac præcipui etiam viri eam ſectari putarentur. Verum priuſquam de diſceſſu eius referamus de fidei ac religionis in Belgica ſtatu dicemus.

Motus in Hiſpania & incrementum Lutheranæ religionis.

Auerſi erant non parum ſubditorum, & patriæ incolarum animi, tum commemoratis jam cauſis, tum Hiſpanicæ inquiſitonis terrore perculſi. Quamquam autem non pauci in hiſce partibus reformatæ religioni adhæreſcerent, vix tamen milleſimæ Catholicorum parti numerus eorum reſpondebat: verum æque inuiſa utriſque inquiſitio. Dolebant tantam indies multitudinem cauſa religionis occumbere: murmurabant itaque optabãtq, crudelia edicta reuocari. Verũ quia augebatur quotidie inualeſcebatq; crudelitas, indelebilis pectoribus eorum auerſio odiumque exarſit, cui incendio fomentum adiecit cauſa quæ ſequitur. Quoniã Regia Maieſtas poſt Belgicarum prouinciarum ſuſceptionem quatuor circiter annos in iiſdem commoratus fuerat, qui cum Maieſtate ſua, ad corporis eius cuſtodiam, una Hiſpani deſcenderant, in prouinciis remanſerunt hinc inde in limitibus,

Catholicis æque & reformatis inuiſa inquiſitio.

Relinquuntur in Belgica quatuor Hiſpanorum millia.

tibus, quæ ad Franciam vergunt, nomine Regis in præſidio relicti, eiuſque ſuſtentati ſtipendiis, horum ad quatuor milla numerus aſcendebat, qui etſi populo regionis illius jam tum graues eſſent, quia tamen regis in Hiſpaniam vt comitarentur iter exſpectare credebantur, ante diſceſſum Regis eos quiete paſſi ſunt. Poſtquam tum primum aduerſum eſt illos cum ducibus ſuis relinqui in Belgica, vt eis fortiſſima quæque patriæ munimenta traderentur, abrogata in poſterum incolis fide, diuerſique Hiſpanorum jactabundi, varias earundem prouinciarum dignitates munera, officiaque ambirent, vulgi præterea ſermone ſpargeretur, ab Hiſpanicis conſiliariis inductum regem, vt confeſtim à profectione ſua, alia octo Hiſpanorum millia in Belgicam mitteret, additis viginti millibus VValonum, conſuetiſque Belgarum agminibus; vt eorum præſido non modo finitimos populos coercere, ditionique ſuæ ſubiicere, verum etiam Hiſpanicam inquiſitionem inuehere, & ſubditos quibuſcunque viſum eſſet modis vexare poſſet.

Hiſpani in Belgica iactabundi officia ac dignitates ambiunt.

Suadetur Regi vt Hiſpanis Belgicā impleat.

Hinc ingens murmur & ſeditio exorta, non inter communem modo vulgum, ſed ſtatus etiam, conſilia Magiſtratuſque patriæ quibus ſeſe principes & nobilitas adiunxerant, exiſtimantes quo prouinciis obſtricti erant à ſe violatum iri ſacramentum, ſi ea paterentur quæ adeo aperte cum patrio more priuilegiiſque pugnarent. Quæ jura ac priuilegia ex principum ſuorum pactis, vel libera voluntate ac conceſſione acceperant, & quorum inuiolatam conſeruationem initio gubernationis ſancte principes jurejurando promittebant, quod etiam Rex Philippus ipſe præſtiterat.

Seditio Belgarum, Hiſpanorum militū præſidia recuſantium.

Vt vero quibuſnam priuilegiis, quaque libertate Belgia fruatur aperiam, à propoſito noſtro non videtur alienum pauca hic de iis inſerere. Brabantia in primis ſex eximiis priuilegiis à principibus ſuis honorata eſt, præter alia in quibus reliquæ etiam prouinciæ participare contendunt.

Iura ac priuilegia Brabantiæ.

Primum

Primum eſt : vt patriæ princeps Eccleſiaſticum ſtatum, vltra conſtitutam à maioribus ſuis , uſuque comprobatam rationem ne extollat,niſi duorum aliorum ſtatuum, nobilitatis nempe ciuitatumque conſenſu.

II. *Vt non liceat principi quenquam ſubditorum ſuorum aut in ditione ſua commorantium, ciuili vel criminali modo perſequi, niſi conſueta, libera,publica iuſtitia, patriæ iure, vbi excuſare ſe reus aduocatorum opera & defendere valeat.*

III. *Ne vectigalia aut exactiones ſubditis ſuis imponat ſine ſtatuum patriæ conſenſione.*

Peregrini in Belgia, à publicis muneribus arcentur.

IV. *Peregrinos aut alienigenas ad nullum in Brabantia publicum munus poſſit evehere, exigua tantum exceptione:videlicet ei in aula inter conſiliarios, binos (eiuſdem tamen linguæ) exteros collocare permittitur , poteſt etiam qui in Brabantia natus non ſit,modo aliquo tempore liberum in ea dominium poſſederit ad præſidis in eadem aula dignitatem aſcendere.*

V. *Cum princeps conuocat ſtatus,ut quidquam ab iis , ſive pecuniam,auxilium,aut aliud quiduis , exigat, Brabantiæ aliarumque provinciarũ ordines extra provinciam ſuam proficiſci aut quicquam extra eam exiſtens concludere non obligantur.*

Quibus caſibus Belgæ à ſacramento principi facto abſoluantur.

VI. *Quodſi privilegia eorum princeps aut vi aut alia ratione conuellere tentet,eo ipſo Brabanti præmiſſis proteſtationibus abſolvuntur à ſacramento, & tanquam vere liberis ac abſolutis,rebus ſuis prout ſibi viſum fuerit conſulere permittitur.*

Plurimæ aliarum Belgicæ prouinciarum , hæc ſibi priuilegia quoque vendicant , vt quæ inito cum Maximiliano Romanorum Rege anno 1488 , decimo ſexto Maij , pacto , conceſſa ſint , vt patet ex vigeſimoquarto eiuſdem tractatus articulo, aliiſque quæ poſtmodum inter prouincias conuenerunt.

Ordines oblato regi ſupplici libello petunt diſceſſum militum hiſpanorum ex belgio.

VErum vt ad propoſitum redeamus, congregatis Gandaui generalibus Belgicæ ordinibus, conſcenſuro jam nauem Regi, oblato ſupplici libello oſtenderunt, è re patriæ minime futurum, ſi ea quæ diximus quatuor Hiſpanorum millia in limitibus permanerent, obſecrantes Maieſtatem ſuam, ut vel eos ſecum abducere, vel mittere in Hiſpaniam velit. Quamquam autem diſpliceret Regi hæc eorum oratio, vt quæ Cardinalis Granuellani conſilia euerteret, quæ Regi dederat non poſſe eaſdem prouincias à Maieſtate ſua retineri, abſque ingenti Hiſpanorum multitudine ac præſidio, quibus patriam violenter inuaderet & pro libitu voluntateque ſua gubernaret, abſolutus primum à Pontifice ſacramento quo obſtrictus ordinibus erat, addiderat præterea eo nunquam perueniri poſſe, niſi ſublatis è medio quatuor aut quinque præcipuis prouinciarum capitibus. Nihilominus Rex cernens generalium ordinum in ſua libertate conſtantiam, conſtantiaque libertatem, nec ſuo ſe jure, priuilegiiſque priuari paſſuros, intelligens præterea extremum alioquin prouinciis ſuis exitium ſtragemque imminere, petitioni eorum conceſſit, patuit tamen omnibus quanto poſtea tempore permāſerint Hiſpani, quibus inſidiis qua ſubtilitate ac diligentia, eos in Belgia retinere tentaverit Rex, quibus provinciæ, occaſione eorum exactionibus oneratæ, & in diſceſſu illorum ſumptibus gravatę ſint: Ex quibus ſane diverſam omnino Regis intentionem voluntatemque fuiſſe, nec, niſi eorum opera in limitibus adverſus turcas à quibus ingenti clade affectus fuerat Rex indiguiſſet, tam facile reuocaturum fuiſſe conſtat. Hinc vehemens illa populi alienatio, auerſioque animorum, vt vel ſolū inquiſitionis, edictorumq; nomen horrerent, quæ pluſquam quinquaginta hominū millibus, miſerabilis ac calamitoſæ cauſa mortis exſtiterant. Nonnulli exiſtimabant ex hoc primū fomite Regiæ maieſtatis hiſpaniciq; conſilii in Belgas odium exarſiſſe.

Granvellani Cardinalis conſilia.

Rex concedit petitioni ordinum belgicæ.

Odium Regis adverſus aurei velleris equites qui ſupplici libello ſubſcripſerant.

Neque vero id abhorrens à veritate videri poteſt, cum enim aurei quoque velleris domini ac proceres, ſupplici

ordi-

rdinum libello ſubſcripſiſſent,accidit vt primarius quidam ex conſilio Regis Hiſpanus, certo die poſt meridiem comitis Egmondani aulam Gandani ingreſſus ſit, cum quo ei familiarior vſus arctioriſque amicitiæ vincula intercedebant. Hic vt primum ingreſſus Egmondanum comitem Principem Auriacum, alioſque comites & Belgicos proceres inuenit ludo latrunculorum intentos. Vobis vero inquit ludere vacat? petentibus illis quidni vacaret; adeone rerum veſtrarum ſatagitis inquit conſcij ſupplicis libelli quem Regi obtuliſtis:varioque deinde ſermone vltro citroque habito,diſceſſit. Princeps Auriacus cuius animum dicta penetrarant, haud temere ea ab Hiſpano prolata eſſe contendebat, verum Egmondanus Comes ea contempſerat, niſi prudentior Auriacus, tantum perſuaſione ſua apud circumſtantes effeciſſet, vt communi omnium conſilio ad Hiſpanum mitteretur Egmondanus, qui pro eo quod cum ipſo habebat amicitiæ iure quid ſibi voluiſſet exquireret,à quo accepit eo die in conſilio Regis de omniũ qui ſupplici libello ſubſcripſerant nece eſſe concluſum, exinde quidquid ex Hiſpania venit apud aurei velleris dominos ſuſpicione non caruit.

Atrox conſtitutio facta in conſilio regis.

Machia-



Machiauelle tuas quid me tentaſſe per artes
Indociles frænari animos, & maſcula corda
Belgiadûm iuuit ? Vario iactata tumultu,
Meſſe gubernaclum octaua defeſſa reliqui.

GVBERNATIO MARGARETAE AVSTRIACÆ, Principis Parmenſis.

Præcipuus illius conſiliarius erat verſutus ille Antonius Perenot Cardinalis Granvellanus.

NOn ita multo tempore ante ſuum ex Belgica in Hiſpaniam diſceſſum, Rex Margaretam Auſtriacam Ducem Parmenſem ſororem ſuam accitam ex Italia, Belgicæ quidem vniuerſim, Brabantiæ vero inprimis cum ſumma poteſtate præfecit, loco Emanuelis Philiberti Sabaudiæ ducis, quem compoſita cum Gallis pax reſtituerat in patriam, juſſis ei tanquam ipſi Regiæ Maieſtati obedire omnibus patriæ ac prouinciarum ordinibus.

Gauerenſem inſuper Principem Comitem Egmondanum, &c. Flandriæ Arteſiæque præpoſuit. Principi Auriaco ceſſit Hollandia, Zelandia dioeceſiſque Trajectenſis. Comes de Megen Geldriæ ac Zutphaniæ. Comes Arenbergenſis Friſiæ Groeningæ Tranſiſelaniæque præpoſiti. Marchioni Bergenſi Hannonia, Domino de Montignij Tornacum, ditioque illius, aliis præterea alia ceſſerunt, adiunctis annuis reditibus ac ſtipendiis. *Rex varios gubernatores prouinciis præficit.*

Poſt hæc Regia Maieſtas Gandauo Vliſſingam in Zelandia profectus, inde ingenti claſſe ex Belgica Hiſpaniam verſus flexit iter, adeo propitio ſecundoque ventorũ flatu vſus, vt decimaquarta die, octauo videlicet *Diſceſſus regis ex Belgio in Hiſpaniam.*

Septem-

Septembris Laredi in Biſcaia portū feliciter inuectus ſit.

Comburuntur in Hiſpania reformati.

Vigeſimo quarto eiuſdem, Hiſpali (id nobile in Hiſpania emporium eſt) innumeram hominum utriuſque ſexus ob religionem captiuorum multitudinem publico triſtique ſpectaculo flammis abſumpſit, inter quos non pauci eximiæ dignitatis ac ordinis, unus in primis Iohannes pontius Lugduni in Gallia ortus, comitis de Baglena filius. Octobri ſequenti Valliſoleti in ſuo aulæque ſuæ conſpectu non pauciores inter quos plurimos equites Nobileſque viros, haud ſine ingenti circumſtantium terrore ignibus addixit. Exiguo poſt Regis ex Belgia profectionem exacto tempore emerſit in lucem, ſparſumque eſt in vulgus, quicquid ante diſceſſum Rex cum ſuis de religione tractauerat, & primo quidem de ſeculari Magiſtratu ac judicibus & quoniam nulla perſecutionis acerbitas creſcentem hæreſim extirpare potuerat hactenus, compoſita miſſaque ſunt nomine Regis in Auguſto, Anno 1559. tam ſeuera mandata litteræ & inſtructiones, ad omnia conſilia, Magiſtratus ac judices patriæ, vt plurimi quos in neutram partem animi affectus rapiebat, eorum & mirarentur ſeueritatem & crudelitatem horrerent. Quod autem ad Eccleſiaſticos, poſtquam experientia conſtiterat quicquid ſubtilitatis ac inſidiarum à quadraginta jam annis excogitatum fuerat, nunquam efficere valuiſſe vt euellendæ penitus hæreſi inquiſitio floreret, nouo commento alia via ſine nomine inquiſitionis inquiſitionem populo antequam aduerteret ſecretis occultiſque mediis ac rationibus inuehere tentarunt.

Seuera Regis edicta.

Et ad hunc finem Cardinalis Granuellanus ſubtilium quorundam factorumque ad deceptionem articulorum auctor exſtitit, quæ cum ipſius inquiſitionis & naturam haberent, & effecta producerent, carebant tamen nomine eius, vnde illa perfacile nullo negotio à ſe inuectum iri ſperauerat. Quorum hic exemplar exhibemus, quod Tubingæ anno 1568 apud Vdalricum Morhart impreſſum erat.

Ego



Ego Cardinalis Granvel Archiepiſcopus,
Livore fætum cuius, iraque tumidum,
Cruenta pectus conſilia & ipſam peperis
Belgis ruinam. Crimi nis ſed Rex mei
Mercede, ſceptri Neapolis vices dedit.

Titulus erat, Copia certorum tredecim articulorum, hoc titulo, Hiſpanorum de preſenti Belgicæ ſtatu judicium, fictum ſeu compoſitum per Cardinalem Granvellanum, vt eo loco inquiſitionis vtatur, ad vindictam inimicorum ſuorum, parui æſtimans, hoſce articulos magis quam vnquam inquiſitio cum libertate patriæ priuilegiisque pugnare, qua de cauſa tot modo ruinis Belgia miſeriiſque jactatur.

Cardinalis Granuellani commenta.

Certæ ſententiæ ac demonſtrationes pro Regia Maieſtate ad certitudinem ſtatus, ac beneficij eius, & generali patriæ ſalute.

I. Articulus.

ET primo, *Vt Majeſtas ſua redactis in formam Regni provincijs, earum ſe Regem coronari iubeat, addito titulo quo Belgicæ ſeu inferioris Germaniæ Regnum appellet. Metropolim ſiue locum aulæ ſtatuens urbem Bruxellenſem, vt Lutetia in Gallia, in Anglia Londinum.*

II. *Articulus. Vt Majeſtas ſua generalem aliquem politicumque Magiſtratum vniuerſo regno præficiat cui quies & conſeruatio Catholicæ noſtræ religionis incumbat, vt autem prædictus ille Magiſtratus fideliter conſtitutus ſit, totius populi, omniumque regni ſtatuum provinciarumque conſenſu, ne tamen vllo modo inquiſitionis nomine appelletur, propterea quod hæc licet honeſta ſanctaque ſit, ſummo à Belgis odio ac horrore fugiatur.*

III. *Articulus. Vt Rex certum Epiſcoporum eximia integritate vitæ ac eruditione fulgentium numerum ſeligat, qui ſuis quique locis perpetuo reſideant, quia nihil magis communem vulgum ad ſeditionem ac tumultus impellit, quam ſeduli paſtoris abſentia, vt ex ijs quas hactenus paſſi ſumus calamitatibus liquido apparet.*

Articu-

IV. *Articulus. Vt in omnibus prædicti regni ſui locis ac ciuitatibus Rex abroget formam illius, quod amplum conſilium appellant, cùm ſatis ſuperque conſtet eius conſilij motus ac inconſtantiam; omnium populi tumultuum ac factionum fontem extitiſſe, idque præcipue in vrbibus, Antverpia Amſtelredamo Valencenis, quorum eouſque creuit audacia, ac temeritas; vt ſuo ſe Regi legem impoſituros arbitrarentur.*

V. *Articulus. Vt in omnibus huius regni Vrbibus ac locis conſtituatur à Rege innocentia iuxta prudentiaque eximius vir, qui capitaneus ſeu vicarius Regis appelletur; & ex vi muneris ſui libere univerſis conſilijs ac congregationibus vrbis illius aut loci cui præſidet adeſſe poſſit, vt præſentia eius prohibiti nihil vnquam Regiæ Majeſtati adverſum pronunciare aut ſtatuere audeant.*

VI. *Articulus. Vt Majeſtas ſua in quibuſdam aptis locis à quibus timeri poſſit, arces ac munimenta erigat, valido tormentorum ac militum præſidio inſtructas, vt ea ratione & futuram prohibeat, & præteritam caſtiget audaciam: nihil enim adeo efferam compeſcit plebem, docetque principis voluntati ac imperio colla ſubijcere, quam ſi omnem eis armorum vſum atque conſpectum abſtulerit.*

VII. *Articulus. Proinde Rex arma, tormenta, & quicquid ad belli uſum pertinet, auferri prædicti regni populis (exceptis modo ijs qui in limitibus verſantur) & in arcibus, ac munimentis accurate cuſtodiri mandet, vt ſi qua neceſſitas poſtularit; ea apte ex Regis voluntate diſpenſari valeant: nihil enim magis factioſum vulgus, quam Regem ac dominum omni armorum genere probe inſtructum verentur. Cæterum natura comparatum eſt; egentes hominum, diuiteſque armis, rerum novarum auidos eſſe, & optare præſentis ſtatus mutationem, quam opulenti contra armorumque inopes vehementer abhorreant.*

Belli armorumque uſus Belgis auferendus.

VIII. *Articulus vt Regia Majeſtas armamentarium ad eorum quæ Venetiis, Conſtantinopoli, Olyſſiponæ, &*

Pari-

Armamentarium regni. *Pariſijs viſuntur, exſtrui ædificarique curet, eodem quo illa iam dictis Regnis, huic etiam futurum auxilio. Hoc autem armamentarium in vrbe Mechlinienſi ſtatuatur, vt quæ in Regni centro ſita & tam mari quam terra dulcibuſque aquis percommoda facillimam efficiat armorum ad quævis loca in neceſsitate diſtributionem. Locus autem ædificationi deligatur, is, vbi iam veſtalium quas beginas vocant aula viſitur, quo in loco exiguis ſumptibus, totius Chriſtiani orbis fortiſsimam validiſsimamque munitionem erigere aquarum paludiumque opportunitate perfacile eſt. Hæc autem trium inprimis rerum certum Regem efficient. Primo quidem fortiſsimi ac inſuperabilis in Regni ſui centro munimenti, deinde vero de copia armorum, quibus quadraginta vel quinquaginta millium hominum exercitum inſtruere armareque valeat, poſtremo etiam de ſubditorum ſuorum quiete: nihil enim eſſe quod timeat, moturos arma quibus abſtulerit: Cæterum experientia conſtat inſitum eſſe à natura belgis, vt nitidam domi ſuppellectilem, magis quam fulgentia in caſtris arma deſiderent.*

Terna Regis ex huius conſilij effectu ſecutura ſecuritas.

Nec obſtabit Beginarum numerus, qui in alias vrbes aut domos commode diſpenſari poteſt.

Claſsis comparanda ad Belgicæ cuſtodiam.

IX. *Articulus. vt Rex triginta omnis generis nauium claſſem inſtruat quæ tam pacis quam belli tempore à Mercatoribus ſuſtenteiur, aliorum principum exemplo, qui ſuas hoc modo ditiones & regna ad occiduum in primis mare deſendunt ac tuentur, Neque vero huic rei quidquam aliud, hoc regno opportunius, idque negotiationum ac mercatorum copia, qua nulli in orbe loco cedit hæc patria. Auſim enim affirmare, & Magiſtra rerum docuit experientia, quas ab hinc ſeptem annos Regiæ Majeſtatis ſubditi, Anglorum piratarum prædationibus ac rapinis, merces opesque amiſerunt, ad diuturnam claſis illius ſuſtentationem ſatis abundeque futuras fuiſſe, cuius auxilio vel ipſum Angliæ regnum acquiri poſſe ſpes eſſet, vbi iam ne minima quidem recuperandorum bonorum appareat;*

pareat: Praterea quantumlibet terra valeat Rex, ſi mari deficiat, potens appellari nequit, nec ſubiectos ſibi populos à piratarum iniuria incurſioneque defendere. Accedit quod vicinorum contemptui, bonorumque iacturæ erunt obnoxij, quam, vnam ſubinde mari grauiorem patientur, quam vt toto vitæ ſuæ tempore, acquirere terra poſſint.

X. Articulus. Vt Regia Majeſtas arces munitionesque ſuas, quas in medio regni exſtructurus, eſt, Hiſpano ac peregrino milite impleat, vt Italis Burgundionibus, & Germanis, conſtat enim qui in regis præſidijs peregrini ſunt, longe, intolis fidelitate præſtare, huius vero patriæ populi, magis ad commoditates ſuas quam ad bella propendent.

Hiſpani ac peregrini milites arcibus ac munitionibus imponantur.

X I. Articulus. Vt per vniuerſum hoc regnum viſitata iura ac privilegia, renovarique rex iubeat, ſtatuatque & publicari curet, vt eadem magiſtratuum, priuilegiorum, Religionis & ceremoniarum forma, idem quoque menſuræ ponderum monetæque modus obſeruetur ab omnibus, eo quod fere in regnis, ex harum conformitate rerum, oriatur mutua quoque animorum voluntatumque conſenſio, cum obedientia erga Regiam Majeſtatem, & vera tranquillitate coniuncta.

Priuilegiorum abolitio.

Omnium conformitas rerum cauſa mutuæ conſenſionis.

X I I. Articulus. Vt Regia Majeſtas iura libertatesque nonnullas communi negotiationi quam maxime opportunas omnibus huius regni provinciis ac civitatibus largiatur, & confirmet: quia reuera experimur, univerſæ nobilitatis totiusque regni fortunas præſertim ex negotiatione pendere, qua, tũ ob naturalem ſitum commoditatemque loci, tum ob populi iura ac libertatem terra marique negotiandi, imprimis floret hæc patria omnium nationum gentiumque commercio.

Belgica commerciis florens.

Vt Majeſtas ſua generali ac publica remiſsione, ſtultitiam, ignorantiam, tumultus, ſeditionesque populi ſepeliat, revocetque eos qui ob illas cauſas patrio ſolo relicto in exteras nationes profugerunt: mediocri tamẽ auctores ac capita factionum punitione caſtiget: decet enim conuenitque

Magis decet principem clementia quam ſeneritas.

Regis poteſtati clementia, vt Iulius Cæſar confirmat, inquiens; fortitudinem potentiamque Principis, plus in amica peccatorum populi ſui remiſſione, quam ſevera caſtigatione conſiſtere. Nihil enim pulchrius eſt gubernatori ac Principi, quantus demum ſit, quam vt virtutis, opumque ſuarum edat ſpecimen, & poſtquam vi ſubiecerit clementia ac bonitate conſervet. Itaque concludo, nihil in Principe pulchrius nihil excellentius excogitari poſſe quã miſericordiam, cum iuſtitia & veritate coniunctam.

Cardinalis cum ſuis legatum ad Pontificem mittit.

Perſequente hoc pretextu & modo, negotia Belgicæ prædicto Cardinale Granuellano, quorundam ſuorum Hiſpanicam inquiſitionem in has Prouincias omnino inducere volentum ope auxilioque adiuto, concluſerunt in conſilio ſuo ad Paulum quartum Pontificem mittere doctorẽ quendam Louanienſem Franciſcum Sonnium, qui ſuſcepta ſumma animi voluntate prouincia, vt Romam peruenit pro vt ſibi commiſſum erat deſcriptam Belgicæ magnitudinem exhibuit, adiungens quantum exiguo tempore populi diuitiarumque copia potentiaq; excreuiſſet. Ingentes præterea Prælatorum & Epiſcoporum patriæ diuitias retulit, queſtus, minime ſufficienti cura laborari, vt inualeſcenti plurimumque jam auctæ hæreſi reſiſtatur, extremum in ſanctitatis ſuæ prouidentia ac paterna cura eſſe remedium: Videat itaqne, ne quod grauius Eccleſia detrimentum accipiat: breuiter tanta ſedulitate tamque proſpero euentu iniuncta ſibi legatione functus eſt, vt id quod à Pontifice de diuiſione nimirum Epiſcopatuum nouorumque Epiſcoporum inſtitutione poſtulabat impetrarit, vt patet ex bullis Pontificum, Pauli quarti decimo nono Maij anno 1559. & Pij quarti octauo Martij anno 1560 datis. Concluſerũt itaq; de Epiſcopatuum ſeparatione, quatuorque prioribus Cameracenſi, Atrebatenſi, Tornacenſi, Vltraiectino, quatuordecem recentes adiunxerũt vt ita pariter ad octodecẽ Epiſcopatus adſcẽderint, cõſtitutis inter eos tribus Archiepiſcopatibus. Hunc autẽ maxime in modũ facta diuiſio.

Diviſio Epiſcopatuum in Belgica.

Primo Archiepiſcopatui Colonienſi, Epiſcopatum Vltrajectinum abſtulerunt; tum quod nimium extenderetur Archiepiſcopatus, tum etiam quod pronunciata Coloniæ lingua vulgari judicia, à multis ſubditorũ non intelligerentur, deniq; quia ab Archiepiſcopo Colonienſi jam pridẽ debita populi viſitatio facta nõ fuerat. Eundẽ etiam Vltraiectinum Epiſcopatum in Archiepiſcopatum commutarũt, ſubiectis ei de nouo quinq; aliis Epiſcopatibus, videlicet Dauentrienſi in Tranſiſelania, Harlemenſi in Hollandia, Leouardienſi in Friſia, Middelburgenſi in Zelãdia, Epiſcopatu Groeningano, in patria Groeningẽſi, deinde Cameracenſem quoq; ad Archiepiſcopatũ extulerunt, Remenſi prius in Gallia Archiepiſcopatui ſubiectũ: ſub hoc quatuor alios ſtatuerunt: nempe in Arteſia Atrebatenſem, & Sancti Audomari, Epiſcopatus, in Tornacẽſi patria Epiſcopatum Tornacenſem, in Comitatu Namurcenſi Namurcenſem. Deniq; ex Mechlinienſi Epiſcopatu Archiepiſcopatum ſtatuerunt, ſex ei ſubiecerunt Epiſcopatus; nimirum in Brabantia Antuerpianum & Siluæducenſem, in Geldria Ruremundanum, in Flandria Gandauenſem, Brugenſem, & Iprenſem, Epiſcopatus, ſtatutumq; vt Archiepiſcopatuum ſupremus Mechlinienſis eſſet. Annuis inſuper ſex florenorum millibus, ad Epiſcopalis dignitatis ſuſtentationem ex opulentis Abbatiis dotarunt Epiſcopos, Mechlinienſi vero decem milla attributa, quæ vniuerſa ex Abbatiis vt dictum eſt ſumpta ſunt. Et primo quidem Mechlinienſi Archiepiſcopatui Affligemenſem in Brabantia opulentiſſimam inter alias Abbatiam attribuerunt, cuius Abbas ad quinquaginta florenorũ millia annuo reditu poſſidebat. Sancti Bernardi abbatia Antuerpienſi Epiſcopatui ceſſit. Tõgerloenſis Siluæducano, Sancti Bauonis Gandauenſi. Præpoſitura Sancti Donatij Brugẽſi, Sancti Martini Abbatia Iprenſi, Præpoſitura juxta & Abbatia Sancti Bertini Audomarẽſi Epiſcopatibus aſſignata. Decimas Abbatiæ & Monaſteriorum Comitatus, Namurcẽſis Epiſcopatus vendicauit. Harlemẽſi Monaſteriũ in Egmont, Middelburgẽſi Sancti

Abbatiarum bona attributa Epiſcopis.

Petri, Leouardienſi hortus Mariæ & Lidlum, Groeningenſi Boluerda, Ruremundano regulares, Dauentrienſi Sancti Leuini Præpoſitura ceſſerunt. Poſtremo ſtatuerunt ut horum Epiſcoporum penes Regem electio penes Pontificem confirmatio eſſet.

Tumultus populi ob diviſionē Epiſcopatuum.

Hinc varium populi murmur & ſeditioſę voces exortæ: videlicet peregrinam hanc eſſe inauditamque novitatem, inductam ſine ordinum, ciuitatum, provinciarumque conſenſu: vehementer eſſe metuendum, ne gravioris mali prorumpat occaſio; alienari hoc modo antiquas fundationes, & provincias conſuetis ſuis Abbatijs monaſterijſque privari, præſideri in congregatione ordinibus, ab Epiſcopis, quos alienigenas eſſe fas ſit, monaſteriorum bona attribui alijs, ceſſaturas quibus hactenus pauperes adiuti erant Eleemoſynas, quæ vniverſa cum antiqua provinciarum libertate privilegijſque pugnarent: præterea tegi ſub hoc prætextu tanquam pallio involutam inquiſitionem. Etſi autem non deeſſent plurimi qui diverſa populo ſuadere conarentur, nunquam tamen aut plebi aut ordinibus & Gubernatoribus patriæ perſuaderi potuit, idque eo in primis quod ex habita Romæ ea ſuper re ſeptē Cardinalium conſultatione, miſſiſq; bullis, luce clarius apparebat, huc omnia eſſe directa: prçterea quod ſinguli Epiſcopi in Cathedrali ſua Eccleſia novem beneficia ſeu præbendas vt vocant, alijs adiungerent, quibus gaudentium, fideli in inquiſitionis negotio opera vterentur, imo vt duo illorum ipſimet Inquiſitores eſſent. Quæ ſcripta ſive bullæ, vt in lucem, & hominum ora oculoſque emerſerunt, omni dubio ſublato penitus eſt confirmata ſuſpicio, præſertim cum patuit non niſi Lovanienſes Inquiſitores aut Theologos eſſe conſtitutos Epiſcopos, aut alios, agendis rebus, tractandiſque principum negotiis, quam inſtruendo populo, habendiſque concionibus aptiores; vt Cardinalis Granvellanus, Præſer Viglius, Cancellarius Nigri: Quorum ille, Mechlinienſibus Archiepiſcopus, hi Gandauēſibus, Antverpienſibusque Epiſcopi præfecti. Verum poſtmodum

Aptos oportet eſſe Epiſcopos magis vt populum doceant quā vt cum principibus agant.

dum qui ſequuntur conſtituti ſunt.

Primo quidem in Archiepiſcopatu Mechlinienſi collocatus eſt dictus dominus Antonius Perenot Cardinalis Granvellanus.

2. Ad Antwerpienſem Epiſcopatum nominatus erat Cancellarius Nigri: verum intercedente longiore mora antequam in ſede ſua ſtatui poſſet, ſubſtitutus eſt Doctor Franciſcus Sonnius primo Silvæducenſis Epiſcopus.

3. Ruremundano Epiſcopatui præpoſitus eſt Dominus Guilhelmus Damaſi Lindanus.

4. Ad Epiſcopatum Silvæducenſem Electus erat iam dictus Sonnius, verum eo Antverpiam evocato, Dominus Laurentius Metſius Sanctæ Gudulæ Decanus ſucceſſit.

5. Gandaui conſtitutus Dominus Cornelius Ianſenius.

6. Brugis Dominus Petrus Curtius, & poſt eum Dominus Remigius Druitius, primo Epiſcopus Leouardienſis.

7. Ipris Dominus Martinus Rithouius.

8. Groeningæ Dominus Iohannes Knijff ordinis minorum.

9. Leouardiæ primum Remigius Druitius, eoque poſtmodum Brugis conſtituto, Dominus Cunerus Petri.

10. Harlemij Dominus Nicolaus à noua terra.

11. Dauentriæ Dominus Ægidius vanden Berge ordinis minorum.

12. Middelburgi Dominus Nicolaus de Caſtro.

13. Atrebati Dominus Franciſcus Richardot.

14. Tornaci Dominus d'Oignies.

15. Namurci Dominus Antonius Hauetius.

16. Poſtremo in Epiſcopatu Sancti Audomari conſtitutus eſt Dominus Gerardus ab interencourt.

HIſce de cauſis renovatæ rurſus tumultuum quibus Anno 1549 & 1550 Belgica flagraverat occaſiones, verum eo validius quod tandem aliquando conſtare cœpiſſet, omni perfidia ac inſidiis peti Belgas, conarique Regem vt illectos in fraudem Hiſpanicæ Inquiſitionis iugo oneraret. Iamque in immenſum creſcebant murmura ac ſeditio populi, propterea quod ad querelas civium ac preces, nihil vnquam ex aula conſolationis adferebatur, niſi tantum Regiæ Majeſt. voluntati eſſe parendum.

Rebus ita conſtitutis, novi paulatim Epiſcopi in Eccleſiarum ſuarum poſſeſſionem intruſi ſunt, ne rogato quidem ordinum conſenſu, ſed pulchris ad ſpeciem magnificiſque promiſſis. Hac ratione præter Iprenſem Epiſcopum, Brugenſis & Namurcenſis, deinde Harlemenſis & Middelburgenſis, denique etiam Archiepiſcopus Mechlinienſis inducti ſunt: poſtremo tamen, longoque poſt alios intervallo, haud ſine ingenti incolarum tumultu Silvæducenſis Epiſcopus. In aliis vrbibus idem præſtare erat in votis, ſed obſtabat fortitudo ciuium ac libertas, qui profeſſi erant ſe violari iura ſua & antiqua privilegia, ac ſimilibus Epiſcoporum & Inquiſitionis novitatibus divexari minime paſſuros. Imo eouſque aliquorum audacia provecta eſt, vt mortem Epiſcopis minitari non vererentur. Hiſce & ſimilibus ſeſe inuicem animabant incitabantque, ad iura libertatemque ſuam, omni qua poſſent ope protegendam.

PErdurantibus hoc motu & difficultate circa Epiſcopatuum executionem & effectum cum ſecularibus (qui ideo averſo ab Eccleſiaſticis animo erant) inter ipſos etiam Eccleſiaſticos ſimultas exorta eſt: quippe non modo veteres Archiepiſcopi & Epiſcopi patriæ, qui dignitate ſua excidebant, ſed capitula etiã ac parochiæ, quæ in Cathedrales mutabãtur Eccleſias; præterea Abbatiæ ac præbẽdæ quarũ bona & poſſeſſiones Epiſcopis aſsignata erãt, de peregrina iſta novitate querebãtur; quod novorũ

Querelæ Eccleſiaſticorum.

Epiſco-

Epiſcopatuum inſtitutione, juriſdictione ſua priuarentur, alij vero quod abſque vlla ratione & cauſa, particulari tantum aliquorum priuatorum ſollicitantium vtilitate, ſpoliarentur juſta ſua poſſeſſione ac exemptionibus, & alieno nouoque ſubiicerentur imperio, diuerſæ præterea eorum querelæ exaudiebantur; quibus in animis multitudinis concepti odij mirum quantum creuit acerbitas.

Inter alios eccleſiaſticos qui nouis illis conſtitutionibus repugnarunt, fuere inprimis Tongerloenſis & Sancti Bernardi, Abbatiæ, quibus ſe poſtea affligemenſes in Brabantia adiunxerunt. Hæ Abbatiæ cum Prælatorum ſuorum morte, carerent Abbatibus, & diu multumque inſtitiſſent in aula, vt ad nouam ſuo more electionem peruenirent, nec quidquam hactenus impetrare valuiſſent, conſilij Brabantiæ ſententia adiutæ, aliis primo Brabantiæ Abbatibus, deinde etiam Nobilibus, ac primariis vrbibus, tres eiuſdem prouinciæ ordines repræſentantibus indicarunt, obſecrantes vt ſecum preces ſuas apud Ducem Brabantiæ Gubernatricem coniungerent. Quo facto, acceptoque reſponſo non eſſe in Celſitudinis ſuæ poteſtate eam rem, quam ſibi Regia Maieſtas ipſa ſeruauerat, judicarunt iidem ordines, è re communi futurum, hac de re ad Maieſtatem ſuam legationem in Hiſpaniam mittere. *Abbatiæ Tongerloenſis & S. Bernardi primæ reſtiterunt.*

Comes de Horn, Regiam Maieſtatem de his omnibus antea certiorem fecerat, datis decimo nono Decembris anno 1561 litteris, & ſignificauerat, Brabantiæ ordines ad Maieſtatem ſuam certum hominem qui Abbatum cauſam ageret eſſe miſſuros eoſque bonorum ab Abbatiis ad Epiſcopatus tranſlationem omnino abnuere; alios vero ordines nihil etiamnum opponere, Germanos, Galloſque affirmare, auferendæ ſibi quam in Belgio habent juriſdictionis Pontifici non eſſe poteſtatem; præſertim cum id abſque Colonienſis & Remenſis Archiepiſcoporum conſenſione contigerit. Germani (ſcribit ipſe) allegant, etſi conſenſerit Imperator, *Litteræ comitis de Horn ad Hiſpaniæ regẽ.*

niſi Principes electores Imperiique ordines ſubſcripſerint, nullius momenti futurum. Galli vero aiunt, conſentiente Remenſi, Regis tamen Galliarum ſententiam voluntatemque neceſſariam, tanquam qui eccleſiarum Regni ſui patronus ac defenſor exiſtat. Hæ (ſcribit ille) quas allegant rationes, paululum quid ſeditionis in populo excitarunt; quandoquidem abſque duarum nationum illarum conſenſu ac voluntate tentatur, in quarum medio hæ Prouinciæ ſitæ ſunt, inualidæ profecto, vt ſe aduerſus quamlibet earum tueantur, &c.

Legatio Ordinum ad Regem. Ordines etiam Brabantiæ vt concluſum erat in Ianuario, anno 1562 legationem ad Maieſtatem ſuam in Hiſpaniam miſerunt: legati erant Tſerclaes & Niis, qui conſignatam ſcripto cum rationum ponderibus ac momentis, ordinum petitionem Regi obtulerunt, quibus manifeſte docebant, non juſtitiæ ac æquitati ſolum, ſed priuilegiis etiam, tum Brabantiæ ipſius, tum Abbatiarum aduerſari, ſi ille traditæ in aliorum manus, conſueta ſua electione priuarentur. Quibus altero ſcripto confeſtim *Reſponſum regis.* Rex reſpondit, nihil ipſorum intereſſe, modo illis de Paſtoribus Prælatiſque prouiſum ſit, imo ingentes inſuper ſibi gratias deberi, quod ſacras eorum familias illo honore dignaretur, vt Prælatos ipſarum Epiſcopali dignitate decoraret, vt videre eſt in apoſtilla vigeſimæ ſeptimæ menſis Februarij, anni 1562. Hoc Regis reſponſum, ordinibus, præſertim vero monachis Prælatiſque diſplicuit, varioſque ſermones excitauit in vulgo. Neque tamen quieuerunt Abbatiæ, imo non ita multo poſt, cum Brabantiæ ordinibus, in judicio aduerſus ea audiri à Regente poſtularunt, ſed repulſam tulere, vt patet ex ſupplici libello & reſponſione 5. Maij 1562.

Neque vero Antuerpienſes Magiſtratus ac Rectores operam ſuam deſiderari paſſi ſunt; verum vt aduertetunt minui in dies commercia, aliaſque ſimiles difficultates oriri, quales annis quadrageſimo nono, & quin- *Antuerpienſes ſeſe opponunt.* quageſimo erant experti, metuentes hac noui Epiſcopi inductione vna inquiſitionem inuectum iri, Guberna-

trici ſcripto exhibuerunt, quicquid ex noui ibidem Epiſcopatus erectione malorum ſequeretur; in primis vero latere inquiſitionem, qua eos in poſterum nunquam vexandos pacto conuenerat. Cui ſcripto reſponſum eſt vigeſimo quarto Ianuarij Anno 1562 nihil tale ſubeſſe, honorari tantum Epiſcopo dignam ciuitatem, hanc populo ſuo demere falſam animi impreſſionem conarentur, ſi tamen rem ſecus intelligant, cum Gubernatrici omnis de eo ſtatuendi poteſtas ablata ſit, ſe perlubenter petitionem ipſorum in Hiſpaniam eſſe miſſuram. Accepto deinde ex Hiſpania ſimili reſponſo, decimæ octauæ Martij, Anno 1562, exortiſque inter Mercatores & ciues tantis perturbationibus, vt nihil niſi ruina ciuitatis, & factioſæ plebis tumultus, ſeditioneſque, ſecutura viderentur, Legatos ſuos ad Maieſtatem ſuam in Hiſpaniam deſtinarunt, vt eidem tam verbo quam ſcripto, vniuerſum rei ſtatum, extremamque neceſſitatem oſtenderent. Prætor Vrſſelius, VVeſembeciuſque Legati fuere, qui ibidem præſente ipſo Rege vndecimo Iunij 1562 auditi ſunt, verbiſque & ſcripto aduentus ſui cauſam Regiæ Maieſtati expoſuerunt. Ad quæ poſt longas ſollicitationes ac preces, in Auguſto prius, tum verbo tum ſcripto reſponſum accepere, omnino conſentiens cum eo quod à Gubernatrice pridem acceperant. Quoniam autem à legatis aduerſum eſt, prius in Belgicam miſſa, quam ſibi data fuiſſe reſponſa, poſtularunt à Rege eo uſque in Hiſpania commorari permitteret, donec de Dominorum ſuorum voluntate certiores eſſent, remediumque aliquod reperire conarentur, quo & ſatisfieri poſſet Regiæ Maieſtati, & nobiliſſimum illud Emporium ab exitio ruinaque defendi, quam Epiſcoporum inductio certo allatura videretur, niſi mercatoribus & incolis perſuaderi valeat, minime ſub ea latere inquiſitionem. Quo impetrato, expreſſo nuncio Dominos ſuos de omnibus docuerunt, miſſo etiam Regio reſponſo; quibus deinde acceptam alte-

Legatio Antverpienſium ad Regem.

Regis reſponſum.

Epiſcoporum inductio perniciosa vulgo videtur.

rum

rum ſupplicem libellum Regi obtulerunt; à quo, *licet* omni opera ac labóre in id incumberent, quinque menſium ſpatio, nihil quidquam reſponſi accepere. Interea cum Prætor in valetudinem incidiſſet, intellexiſſetque ab ipſo Rege, nolle eum Antuerpiam ſuam inquiſitione aliqua vexare, vigeſimo Decembris Anno 1562 rediuit in patriam, aliis duobus in Hiſpania relictis, qui poſt diuturnam tandem diligentiam ac longas preces, vigeſima octaua Aprilis 1563 ſimile iterum reſponſum acceptum miſerunt ad ſuos, interim obſecrantes vt Maieſtas ſua ſuſpendere negotium dignaretur, donec vel coram ipſa intueretur anguſtias, vel ſaltem à fidelibus & in neutram partem iniquo animi affectu propenſis commiſſariis de his probe eſſet inſtructa; vt ne ea contingant, quibus poſtmodum occurri non poſſit. Octauo Maij 1563 iterum reſponſum eſt Maieſtatem ſuam per Gubernatricem certiores facturum Magiſtratus, antequam cum negotio procederetur. Poſtremo poſt multa vltro citroque habita, Anno 1563 eos Regia Maieſtas cum apoſtilla tertiæ Auguſti, dimiſit, vlteriori verbis ſpe facta, quod certis de cauſis inſtitutionem Epiſcopi in ea vrbe ſuſpenderet. Quo nuncio per VVeſembecium magna celeritate accepto, Antverpienſes recreati ſunt. Aliorum quoque Epiſcoporum ſuſpenſa in alias ciuitates inductio, quamquam electis Epiſcopis eam ſummopere exoptantibus.

Rex promittit Antuerpiam ab inquiſitione immunem fore.

Suſpenditur Epiſcopi Antuerpienſis inductio.

Cum maximè illæ perturbationes ac motus, magis magiſque quotidie augerentur, odiumque tam aduerſus Epiſcopos quam hanc perſecutionem, inquiſitionem, aliaque relata ſuperius; vt jamjam miſerabilis deſolatio, effuſio ſanguinis, extremaque calamitas impendere viderentur, niſi ipſis obſtaretur initiis. Res in ordinum conſilio agi cœpta, oſtenſiſque apud magnos magiſtros, ordiniſque equites difficultatibus ac periculis, cepere conſilium, qua

potiſſi-

potiſſimum ratione ad Maieſtatis ſuæ obſequium ſalutemque patriæ vniuerſa dirigi poſſent, tam in hoc quam in aliis articulis. Et vero quia horum multa judicabant accidere, propterea quod de plurimis rebus perperam inſtructus Rex, iis ſummam rerum commiſerat, qui capite conſilioque ſuo & perverſo animi affectu ac paſſione cuncta perrumpere tentabant; expedire illis viſum eſt ſi Maieſtas ſua ab aliquo ipſorum coram doceretur, & rerum omnium rationes ac momenta perciperet: miſſus itaque ad Regem Baro de Montignij, anni 1562 menſem Auguſtum in Hiſpania exegit, quo exacto, abſque pretio operæ rediuit in Belgium. Iuvit ad turbas ac motus quæ inter patriæ primores magis magiſque quotidie gliſcebat offenſio, ac diſſenſiones: quidam enim ſuo tantum ſenſu vniverſa gubernare, multaſque violenter aduerſus antiqua jura nouitates tentabant inuehere, quibus ſeſe opponebant alii: vnde ingens aulam tumultus diſſenſioque concuſſit. Qua creſcente quotidie, tandem Princeps Auriacus, Egmondanus & Horn Comites, litteris ſuis vndecimæ Martij Anni 1563 Regi ſignificarunt Belgarum plurimos, nimia, qua Prouinciarum negotia Cardinalis Granuellanus authoritate tractabat plurimum offendi, nec Maieſtatis ſuæ res ex ipſius Regis & ſua voluntate ceſſuras, quamdiu Cardinalis ſe harum negotiis prouinciarum immiſceret, tanto eum ab omnibus odio haberi: Proinde Maieſtas ſua de Granuellani ex Belgica diſceſſu ſtatuere velit, ſummam alioquin prouinciarum ſtragem calamitatemque ſecuturam. Vt autem Regia Maieſtas, aliorum ſuggeſtione, ne exiſtimaret hæc à ſeſe ambitionis aut propriæ vtilitatis gratia fieri, orabant, vt ſi Maieſtati ſuæ videretur, ſeſe quo hactenus functi erant conſiliariorum ſtatus munere liberaret; neque enim Regiæ Maieſtatis obſequio, nec honori exiſtimationique ſuæ

Peruerſi Regis conſiliarij malorum origo.

Mittitur ad Regem Baro de Montignij.

Auriaci, Egmondani & Horn querela de Cardinale Granuellano.

ſuæ conducere, vt vltra in eodem conſilio permaneant, ſi Cardinalis in inſtituta ratione agendi perſeveret. Poſtremo Majeſtatem ſuam obſecrant, vt ea quæ ſcripſerunt boni conſulere, & ſincero erga obſequium ſuum affectu profecta credere velit. Verum cum Rex, Epiſtola ſexto Iunij eiuſdem Anni data, reſpondiſſet, non dubitare ſe, quin ex Zelo ardentique erga obſequiũ ſuum amore, quem re ipſa hactenus ſatis oſtenderant, proficiſci quam præ ſe ferebant curam: cæterum moris ſui non eſſe,gravare aliquem famulorum ſuorum abſq; iuſta cauſa, qualem illi nullam in litteris ſuis attulerint &c. Rurſum prædicti domini ad Regem ſcripſerunt vigeſimo nono Iulij, Anno Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio,non eſſe propoſiti ſui,Cardinalis adverſarios agere,aut aliquam actionem intentare: ſed ſperare ſe ſimplicem illam & brevem malorum imminentium demonſtrationem,abſque alia accuſatione, ſufficere ad permovendam Majeſtatem ſuam, vt honeſtam aliquam facilemque iuſtis ſubditorum querelis ſatiſfaciendi rationem excogitet, aliis in rebus vtens opera Cardinalis in quibus ſecundum vocationem profeſſionemque ſuam maiores fructus faciat. Non agimus inquiunt de onerando; ſed potius onere liberando Cardinale,quo non gravatur modo,& laborat imparibus humeris,ſed quod vlterius ſine graui perturbationum ac tumultuum timore ſuſtentare non poſſit. Cæterum quod nullas nominatim cauſas attuliſſent non accidiſſe defectu illarum; verum quod ſtudioſe cauiſſent abſtinuiſſentque earum relatione, ne egiſſe aduerſus eum viderentur acerbius. Sed ſi Maieſtati ſuæ viſum eſſet, ampliorem earum inſtructionem admittere, non niſi nimiam earum multitudinem grauitatemque reperturum. Se vero optare vt Maieſtati ſuæ placeret, ab aliis non item vt ipſi ſuſpectis, totius rei ſtatum intelligere: non dubitare ſeſe, quin tum demum Maieſtas ſua iudicatura ſit, non abſque graui cauſa, adeo publicas & communes querelas deponi: ipſam totius Belgicæ inquietudinem, ſeditio-

Reſponſum Regis.

neſque

neſque ac tumultus, ſatis ſuperque teſtari, illius præſentiam, autoritatemque pernicioſam eſſe. Harum omnium habita ratione, & exigui quoque fructus quem in ordinum conſilio faciebant, iniuriæque ac contemptus quo afficiebantur, orabant Maieſtatem ſuam ſuppliciter, hoc eis indulgere dignaretur, vt in ordinum conſilio ne adeſſent, donec Maieſtati ſuæ, ſubditorum ſuorum ſaluti prouidere, quocumque viſum eſſet modo, placuiſſet; interim ſeſe non commiſſuros, vt opera ſua requiratur in iis quæ ad Regis obſequium, gubernatricis auxilium ac conſilium ſpectare poſſint; tantum ne in conſilio ordinum comparerent, donec aliter prouiſum eſſet, &c.

Abſtinent Conſilio ſtatus Auriacus, Egmondanus & Hoorn.

Prædicti itaque Domini, oblata prius ſcripto Gubernatrici demonſtratione, ordinum conſilio abſtinuerunt, ita vt tandem Gubernatrix ſecretarium ſuum, Armenteros, expreſſe ad Regem ablegarit, poſt cuius reditum, Cardinalis Granvellanus in Belgica factionis caput, inde revocatus eſt Anno 1564.

Diſcedit ex Belgio Cardinalis Granvellanus.

Verum cum ſpargeretur, eos qui Cardinali adhæſerant non aliter quam eo præſente in cæptis perſiſtere, non ceſſavit vllo modo, ſed potius crevit acerbitas, in primis contra Præſidem Viglium & Dominum de Barlaimont, quos Cardinalis creaturas appellabant, qui eo in ſeſe augebant odium, quod ſpargerent, haud diu abfuturum Cardinalem, ſed cum longe maiori autoritate Poteſtateque rediturum.

Simultas inter Angliæ Reginam & Ducem Parmenſem.

Adhæc aliquorum vtrimque ingeniorum opera, inter Angliæ Reginam, & Gubernatricem, vel ſaltem Conſilium Regis in Belgica ſimultas exorta: vnde ingenti ſubditorum damno, commerciorum vltro citroque integro anno ſuſpenſio conſecuta; quod reliquis acerbitatum dolorisque occaſionibus haud exiguum incrementum acceſſit.

Præterea oleum igni addidit quoque, quod Concilij Tridentini ſtatuta in Belgio obſeruari juberentur. De quo diu multumque deliberatum eſt, grauiterque in primis

primis animos hominum voluntateſque violavit,& odio Eccleſiaſticorum incendit, propterea quod eo non modo Eccleſiaſtici iudicij & Epiſcoporum cauſa, verùm inquiſitio etiam perſecutioque confirmaretur; multi etiam ſtabilirentur articuli, quos non pauci per errorem in Eccleſiam irrepſiſſe contendebant, aliique præterea, cum iure patriæ, privilegijſque pugnantes. Atqui, licet hoc tempore vltra non vrſerint eo tamen plures diverſa ſectabantur, præſertim poſtquam idem concilium omnibus poſtea locis publicatum eſt, vel non memoratis quibus Maieſtas Regia conceſſerat exemptionibus, vel à populo minime intellectis.

Eadem quoque æſtate omni ope laboratum eſt; vt Leovardienſibus, Groeningenſibus, Daventrienſibus & Ruremondanis, omni verborum ſuavitate Lenocinijſq; perſuaderetur, vt in Epiſcoporum ſuorum admiſſionem vltro conſentirent: ſignificatum ipſis; non eſſe mentem Regis, eorum libertati privilegijſque detrahere, quin potius ea per Epiſcopos curaturum vt accurate ac diligéter obſervent. Præſtituros Epiſcopos iuſiurandum ſe omni qua poterunt cura ac diligentia effecturos, vt à privilegiorum obſervatione ne recedatur, ad vltimum ſummo illis emolumento futurum, parſuroſque ijs ſumptibus, quos tum mittendo Vltraiectum aliquo Eccleſiaſtico ordine inſigniendos, tum etiam in appellationibus & delegationibus, Abbatum quoque conſecratione faciebant; imo plane neceſſarios ipſis eſſe Epiſcopos; eo quod Archiepiſcopi iam tum ſuffraganeis ſuis, quo in ijſdem Provinciis fruerentur iure ceſſiſſent. Quod ſi vero Archiepiſcopo, iure ſuo ſibi reſervato, ijs in locis reſidere placuiſſet, non poſſe obſiſti voluntati illius; ſi igitur Archiepiſcopo reſidere cupienti repugnari non poſſit, cur ſuffraganeis eius obſiſtatur? Cæterum nec his, nec vllis alijs rationibus, quod optabant vnquam perſuadere valuerunt, quin imo potius odio ac acerbitate magis accendit animos, quod tantopere cernerent laborari, vt vna cum Epiſcopis deteſtatam adeo Inquiſitionem acciperét.

Auxit

Iuuit hoc odium, nouorum Epiſcoporũ cum Capitulis, Eccleſiis, ſubditiſq; ſuis ſimultas ac diſſenſio, exorta; quod illi inuadere poſſeſſionẽ, hi vero retinere pugnarẽt. Acceſſit his & alia murmurationis cauſa; nimirum cùm videretur ægre Antuerpienſibus intrudi poſſe nouus Epiſcopus, aliquorum ſuaſu deliberatum eſt, de ciuitate illa vna cum aliis Brabãtiæ vrbibus, vt Bruxella, Louanio, &c. Mechlinienſi Archiepiſcopatui, (cui Cardinalis Granuellanus præpoſitus erat) Gallo Brabantia vero Namurco ſubiicienda; quod non minus patriæ ac ciuitati illi aduerſum erat, quam ſi in ipſa vrbe nouus conſtitutus fuiſſet. Quæ ſimul ac eruperunt in vulgus, nouam rurſus perturbationem excitarunt. Brabantiæ vero ordines ſummopere reſtitere offerentes ſubinde libellos ſupplices: quibus in Hiſpaniam miſſis, etſi vehementer inſtarent, nihil tamen vmquam reſponſi impetrare valuerunt, niſi poſt menſes ſex dilatoriam Apoſtillã, remittentẽ ad regẽ in Hiſpania negotium, nec quidquam amplius ardenti eorum petitioni conceſſum, affirmante Gubernatrice, nihil dũ ad litteras ſuas à Rege reſpõſum. Hac de cauſa aucta turbatio, & ſeditiones in populo, ingens quoq; à Romana Eccleſia ad reformatam religionẽ facta defectio; videbant enim adeo exoſum Epiſcoporum & inquiſitionis negotium omnibus ſtudiis per fas & nefas vrgeri.

Nouũ commentum de ſubijciendis Mechlinienſi Epiſcopatibus.

Hac fere tempeſtate Philippum Regem impulit Pontifex, vt Hiſpanicam inquiſitionem Mediolanum inueheret, ſed confeſtim Mediolanenſes aduerſus Hiſpanos arma ſumpſere; verum cum nullos inter ſeſe reformatæ religionis ſectatores eſſe oſtenderent, maioris mali fugiendi cauſa ab incepto Rex deſtitit. Idem quoque à Venetis Pontifex poſtulauit, qui reſpõdere à ſe ſufficienter, etſi non Hiſpanico modo reformatos caſtigatum iri, quo Pontificem contentum eſſe oportuit. Neapoli paulo ante idem fruſtra tentaverant.

Mediolanẽſes & Venetã recuſant inquiſitionem.

Principio Anni Milleſimi quingenteſimi ſexageſimi ſexti, graviores in Belgica rerum omnium perturba-

turbationes exortæ: quas vt ſedulo perfectèque mandemus litteris, neceſſarium videtur, ad faciliorem eorum quæ tunc agebantur intellectum breuiter referre, id quod inclinato jam, ac pœne præcipiti Anno milleſimo ſexageſimo quinto inchoatum quidem, nondum tamen effectum erat, verum Anni ſequentis initio vrgebatur vlterius. Noſſe itaque oportet, menſe Decembri Anno 1565 à Regia Maieſtate ex Hiſpania, ad Ducem Parmenſem Gubernatricem veniſſe litteras, quibus Regis voluntas ac intentio continebatur, & quicquid in cauſa religionis in Belgicis hiſce prouinciis agi vellet; quarum exemplar ac compendium hic exhibemus.

Primo quo ad edicta ac conſtitutiones tam veteres quam novas ad religionem pertinentes, quod ſua Majeſtas, intellecto, quo in ſtatu Religionis res verſentur in his partibus, iudicet in edictis ijs ac conſtitutionibus nihil oportere mutari, verum tam ab Imperatoria quam Regia ſua Majeſtate exequenda eſſe, ſe quoque iam demum advertere, vnde tanta prodierint mala, quæ non niſi Iudicum negligentia, lentitudine, ac diſſimulationibus, in tantum pondus excreverint. Quod ſi aliqui reperiantur, qui formident, aut nolint, timore ſeditionis munus ſuum exequi, Majeſtas ſua certior reddatur, vt de fortioribus viris, ac ad executionem officii ſui magis animatis provideat: quorum in dictis Provinciis copiam non eſſe defuturam veroſimile eſt, in quibus tanta Catholicorum divinæ ac Regiæ ſuæ Majeſtatis obſequio devotorum multitudo verſetur. Denique quod hæc præſtando & prædicta exequendo diplomata, ſperandum ſit, facilius quam alia quauis ratione ingenti ruinæ gravibuſque damnis occurſum iri.

Secundo iubet Maieſtas Regia, mandatque Celſitudini ſuæ, vt ſanctæ fidei Inquiſitoribus adſit auxilio, quo freti, impoſitum ſibi munus, ad Religionis conſervationem exercere valeant: Regis enim hanc eſſe ſententiam, vt prædicti Inquiſitores, ſedulo inquiſitionem exequantur, vt hactenus

Vrget inquiſitionis negotium Rex.

factum

factum eſt, & tam civili quàm Eccleſiaſtico iure ad eos ſpectat. Quod nouum videri non debet; quandoquidem iam inde à Cæſarea bonæ memoriæ & Maieſtatis ſuæ temporibus, ſemper factum eſt: alias enim quæ timentur adverſa graviora fore, niſi per prædictos Inquiſitores, vi muneris ſui omniumque Magiſtratuum auxilio tutos, occurratur. Et vero quoniam Celſitudo ſua advertit, quantum interſit exacte curari eam rem, mandat illi Majeſtas ſua, vt in eo omnes animi ſui vires explicet, laboretque diligenter rem tantæ neceſsitatis efficere, nec vllo modo permittat aliud ſumi præ manibus, haud neſcia, Regiam Majeſtatem incredibile ex eo gaudium, ſummamque voluptatem eſſe capturam.

Tertio. Poſtquam Sanctum Concilium Tridentinum iam publicatum ſit, nihilque ſuperſit aliud, quam executio illius, quæ ad Epiſcopos ſpectat, mandat Regia Majeſtas Celſitudini ſuæ, vt quantum poteſt ſummo ipſis præſidio adeſſe curet, vt debitum ea res effectum ſortiatur. Præterea exequi iubeat ea quæ prædictum Concilium Tridentinum, de vitæ ac morum Eccleſiaſticorum reformatione conſtituit. Mandat itē Maieſtas ſua tam Celſitudini ſuæ, quam cunctis Magiſtratibus, Præſidibus, famuliſque ſuis, vt omni favore diligentia auxilioque præſto eſſe ne dubitent: Quod ſi autem neceſſe videretur in aliquo providere Maieſtatem ſuam, nullam in ſe moram eſſe patietur, in primis ſi Eccleſiaſticæ perſonæ, prædictæ reformationi ab Epiſcopis inſtituendæ reſtiterint.

Poſtremo ea que Regia Maieſtas Celſitudini ſuæ ſcripto mandavit, vnicum Religionis Provinciarumque Belgicarum ſalutis eſſe remedium, quo vitentur ea, quæ hactenus adverſa Belgicam affixerunt: Cum igitur Celſitudo ſua ignorare non poſſit, quanti interſit, rurſum petit Regia Majeſtas tales ab ea rationes ac media inſtitui, quibus prædicta felicem, boniſque omnibus optatum exitum ſortiri valeant, idque eſſe vnum, quo Majeſtatis ſuæ ani-

mum exhilarare inprimis, recreareque poſſint, tam Celſitudo ſua, quam Domini qui ei aſſiſtunt, quibus Celſitudo mandare, omnibuſq; modis perſuadere ſtudeat, vt omni cura ac ſedulitate, quidquid virium animorumq; habent impendant, vt impenſuros eſſe cōfidit Maieſtas ſua, eo quod nō fugiat ipſos, gratiſſimum ſe Regi eſſe facturos, murerique ſuo, vt decet tali præditos dignitate viros, egregie ſatis facturos, prout ab ipſis Diuinæ Regiæque Maieſtatis obſequium, curaque tum Prouinciarum tum propriæ ſalutis expoſcit.

Hac epiſtola à Regente in conſilio exhibita, plurimi in eam juere ſententiam, Regi eſſe parendum, quamquam cernerent has litteras multarum turbationum originem eſſe futuras, quam primum populo exhiberentur. Verum præſes Viglius ſentiebat, eas nondum vulgandas donec generalem Regi prouinciarum auerſionem ſignificaſſent: ſed quamuis ipſe quidquid offenſionis à Rege, tum Gubernatrici, tum conſiliariis impenderet, in ſe ſuſcepturum polliceretur, aliorum tamen ſententiis ſuperatus eſt. Miſſa itaque ad Prouincias epiſtola. Quæ in ſententia illa conſenſio, conſiliariis poſtmodum imputata eſt, vt ſuis antea conſiliis autoritatem ſemper defuiſſe gauderent.

Viglij Præſidis ſalutare conſilium.

Pronunciata jam, comprobataque in Conſilio, de Regiis mandatis ſententia, Gubernatrix litteras decimæ octauæ Decembris Anni 1565 ad Prouincias; ad Brabantiam vero 31 Decembris miſit, mandans vt ſerio exequantur ea, quæ prædictis Regis litteris continebantur, intentans ſi vel à minimo articulo deflecterent pœnam edicto comprehenſam. Et ad faciliorem ea accurate præſtandi rationem ac viam, juſſit ciuitatibus, aliquem ex conſiliariis ſuis conſtituere, cui id ſolum incumberet, vt ſacri Tridentini Conſilij decreta ab omnibus ſedulo obſeruarentur; iſque certiorem ſuam Celſitudinem redderet, quiſnam rerum ſtatus eſſet, ſingulis ad minimum ternis menſibus, & ad eam, vel ſecretum Maieſtatis ſuæ Conſilium, in neceſſitatibus difficultatibuſque

Litteræ Gubernatricis ad Prouincias.

buſque ſuis confugeret, ex quo quidam etiam conſtituerentur, qui ad id potiſſimum attenderent. Hæc eſt ſumma, Regij ad Gubernatricem mandati, quod ad Prouincias vrbeſque miſit: vnde vniuerſi inpoſterum tumultus exorti ſunt. Huius exemplaria Gandaui apud Flandriæ conſilium typis excuſa ſunt.

Interea vndique inquiſitoribus juſſum, vt ſeſe inſtructioni vndecimo Maij Anno *1565* datæ conformarent: vt licitum eis eſſet inquirere, procedere, corrigere, ac punire, degradare, & Iudici ſeculari tradere, vti carceribus, peragere reos, abſque conſueta forma proceſſus ac juris, eligentes modo aliquê è Regiis conſiliariis, qui ex eorum voluntate ſententiam ferre teneretur, vt Apoſtolica autoritate permiſſum eſt, non expectato ordinarij judicis Dioeceſis illius judicio. Hanc autem procedendi rationem inſtituant aduerſus eos qui hæreſeos ſuſpecti legunt prohibitos libros, aut congregationibus & conuenticulis in quibus de ſacra ſcriptura diſputatur interſunt. Conceſſum eis quoque citare, quoties eis libuerit, omnes & quoſuis Maieſtatis ſuæ ſubditos, cuiuſcunque autoritatis, potentiæ, ſtatus, qualitatis, aut cõditionis exſtiterint, ſiue Præſides, Conſiliarij, Conſules, Scabini, aut alio quoquam officio ac dignitate fungentes, vt juramentum ab eis exigant, aduerſus & de quouis, de quo ipſos interrogant, addita fautorum Hæreſeos punitione, in eos, qui his contraire præſumpſerint. Ad quem finem ſerio mandetur vniuerſis Gubernatoribus, Magiſtratibus, & in officio aliquo conſtitutis, omni ope, auxilio, ac fauore, inquiſitoribus ad muneris executionem adeſſe, quoties ab iis ad id rogati fuerint; niſi eandem punitionem velint incurrere. *Summa Inquiſitorum poteſtas.*

Conſilij Tridẽtini decretis cõprehendi volebant Eccleſiaſticorũ reformationẽ, vt quiſq; Paſtor, in parochia ſua, omnium familiarum nomina deſcriberet, quot eæ perſonarum eſſent, quãto tẽpore in ea cõmorarentur, illiq; qui recẽter aduenerant, Parochi ſui teſtimonium de Romana Catholica ſua fide exhiberẽt; ad hæc quomodo matrimo-

nio coniuncti ſint? eaq; omnia in librum rationeſq; ſuas referret. In cõfeſſione præterea, nomẽ & cognomẽ ac locũ habitationis exſcriberet, vt conſtaret num aliquiscõſcientiam ſuam non expiaret. Rationẽ quoq; haberet illorum qui de ſacro fõte ſuſcipiunt pueros. Nullos omnino ludi magiſtros, niſi de quorum fide certo cõſtaret admitteret, iiſque libros prælegendos præſcriberet. Pauperes qui Eleemoſyna ac hominum benignitate viuunt percunctaretur, num Romanæ Catholicæ Eccleſiæ doctrinam ſequantur? an ad diuini corporis epulum, & exomologeſeos ſacramentum accedant, alias à communibus eleemoſynis arceantur. Cameracenſis Archiepiſcopus, conuocato Prouinciali ſuo Concilio, non abſque ſummo labore ac difficultate perſuaſit, vt Concilij Tridentini reformationi ſubſcriberent. Capitula, aliique ſub Mechlinienſi Archiepiſcopatu Eccleſiaſtici nulla ratione induci potuerunt, vt & ſimiliter Traiectenſes, eo quod cum Epiſcopo ſuo diſſiderent. Miſſis vndiq; prædictis Regiæ Maieſtatis epiſtolis, cum mandato Regis ad Conſiliarios, alioſque Magiſtratus, confeſtim fama vulgata eſt, juſſiſſe Regem edicta ſua ſeuere ſeruari, publicarique inquiſitionẽ & Concilium: vnde ingẽs ſubito in omnibus Prouinciis turbatio, ac tumultus, anxietaſque Mercatorum, & conſternatio exorta, præſertim exterorum qui Antuerpię commercij cauſa verſabantur. Quorum plurimi, ciues Magiſtratuſque Antuerpienſes accedebant, vt quid rerum ageretur intelligerent, & quamquam affirmarent Magiſtratus, ſe nihil dum accepiſſe, vt res erat (litteras enim illas, paulo poſt, prius acceperunt Antverpiæ) nihilominus inducebant animum celari occultarique rem: quippe non erant ignari tales epiſtolas ad aliarum vrbium plurimas miſſas eſſe. Alij exiſtimabant ex Regio promiſſo Antuerpienſe Emporium immune ab his moleſtiis, liberumque relictum iri.

Conſternatio mercatorum Antuerpiæ.

Profecto hæc Regis voluntas ac ſententia infinitas poſtmodum turbas moleſtiaſque excitauit, nec prouido ſapientique in negotio illo conſilio vſus eſt.

Qua-

Qua propter haud male Iamblichus ait perverſa conſilia plurimorum malorum fontem exiſtere.

Creſcentes quotidie ſeditiones ac turbæ iam fere cuncta compleuerant, cum Antverpiæ, nocte concubia, inter vigeſimam ſecundam & tertiam diem Decembris, tribus quatuorue locis affixa eſt civium deſcripta nomine ad Magiſtratus querela, adverſus inquiſitionem paulo poſt ibi publicandam, quam exitio vrbi futuram certo conſtaret. Contra omne ius ac æquitatem, vim ſibi inferri, violarique privilegia ſua & regia promiſſa querebantur, rogantes Magiſtratum, vt ſibi auxilium protectionemque ſuam impertiri vellet, & ex iure ac Privilegijs patriæ, in cameram Imperij citare Regem, & ad revocationem impellere: In Brabantia ſitam Antverpiam membrum eſſe Romani Imperij, & ad onera illius contribuere eoque iuſtũ eſſe, vt eiuſdem quoque iure libertateque potiatur. Teſtabantur præterea, ſi per Inquiſitionis inductionem tumultus exſurgeret, non eſſe rebellionis loco ducendam populi libertatem.

Affixi Antuerpiæ famoſi libelli aduerſus inquiſitionem.

Poſtquam Magiſtratus vrbis horum ſcriptorũ aliqua accepiſſet, reputans ſecum communem tum burſæ, tum vniverſæ civitatis deſolationem ac ſolitudinem, expedire iudicavit, ſi è collegio ſuo aliquem ſumma feſtinatione ad Gubernatricẽ mitteret, vt clamores anxietatemq; ciuiũ declaret, aſſumptis ad auxilium ſuum, tum verſantibus in aula Antverpienſiũ deputatis, quibuſcum die inſequenti, videlicet 24 Decembris, audiri in aula poſtulavit, aperuitque in conſilio Ordinum, quæ ſibi commiſſa erant. Cui reſponſum eſt, graviter eſſe caſtigandos qui talia ſpargerent, quippe nec Majeſtatis nec Celſitudinis ſuæ eſſe propoſitũ, quidquã de Inquiſitione Antverpiam introducenda tractare. De ſcripto autẽ, omni diligẽtia ac celeritate inquirẽdos eius autores, publiceq; proclamandos, qui his & ſimilibus ad excitãdas ſeditiones incũberent, pronunciandum delatori præmium deniq; ipſos ad aliorum exemplum omni ſeveritate puniendos.

Deinde extemplo ijſdem Antverpienſis vrbis deputatis,

tatis, prædictæ Regis Hiſpaniarum litteræ oſtenſæ ſunt, omniaque illarum puncta articulique declarati, iuſſumque vt ſeſe ad eorum obſervationem accingerent, & quãtum ad inquiſitionem, vt illius executoribus ope auxilioque adeſſent. Verum deputati, ſumma tantæ iniquitatis admiratione perculſi, recuſarunt hoc onus, offerentes tamen ſcripti mandati Magiſtratibus ſuis oblationẽ.

Antuerpienſes deputati recuſant parere regiis litteris.

Adhæc Epiſcoporum invectio in Conſilio Ordinum ingenti cura ac ſtudio agitabatur, excogitabant qua ratione quibuſque medijs in ſuam quiſque civitatem eos induceret, relicta modò ad tempus abſque omni vexatione Antverpia, ex Regia promiſſione, quam vrbis illius Legatis in Hiſpania fecerat: cui fini deſtinatæ ſunt ad Provinciarum in quibus civitates ſitæ erant Gubernatores Epiſtolæ, vt autoritate præſidioque ſuo tranquillam quietamque Epiſcoporum inductionem efficerent.

Antverpienſes interea acceptis ex aula deputatorum ſuorum Epiſtolis, regionum vrbis, ac tribuum Magiſtris Capitibuſq; ad ſe vocatis, egerunt de ratione ac modo ſedandi tumultus factioniſque popularis, orantes vt hunc adeo pernicioſum civibus terrorem evellere conarentur, declarantes Gubernatricẽ pridie Nativitatis Domini pollicitam eſſe ſancteque confirmaſſe, nec Regem nec ſeſe hactenus de Epiſcoporum, inquiſitionis, aut ſimilium rerum nouitate Antuerpiam inuehenda cogitaſſe: qui enixe polliciti præſtanteſque operam ſuam, boni nuncij, ciues, vt quiſque occurrebat participes fecere. Proclamatum quoque Antuerpiæ ex Gubernatricis præſcripto aduerſus affixi libelli autorem; ſed latuit, imo tanta famoſorum libellorum aduerſus inquiſitionem, perſecutionem, Epiſcopos, & pro patriæ libertate (expreſſis etiam primariorum quorundam nominibus) multitudo, vndique Bruxellæ, Louanij, Siluæducis, Antuerpiæ, & alibi ea tempeſtate diſperſa eſt, vt nequidquam in autoribus indagandis opera luderetur. Neque vero Magiſtratus admonitio aut promiſſum ciues ad-

modum conſolatum eſt; jam enim fama perceperant, aliis omnibus in locis inquiſitionem violenter intrudi. Augebat ſuſpicionem ac metum, quod diebus illis in circuitu ciuitatis diligentiſſime ſcrutati eſſent, num qui forte de religione ſuſpecti laterent: hæc enim facies quædam & exordium inquiſitionis videbatur, quam vniuerſi pariter cuiuſcunque demum religionis, tanto horrore deteſtabantur, vt ſola illius mentio incredibili metu percelleret animos, nec quidquam acerbius accidere poſſe videretur, quam de futura inuectione illius cogitatio. Bruxellæ etiam quomodo animati eſſent erga inquiſitionem ciues apparuit, ex duorum libellorum ſparſione, in quibus præter alia, proditores patriæ vocabantur, quicunque inquiſitioni fauerent, expreſſo nominatim Cardinale Granuellano, Cancellario, Conſilio Brabantiæ & aliis.

Rebus ita conſtitutis & hærentibus inter ſpem metumque Antuerpienſibus, tandem ab ignoto quodam, allata epiſtola, ex Brabantiæ Conſilio, nono Ianuarij, quæ non parum Magiſtratui ſollicitudinis incuſſit, intellectum, idem aliis primariis vrbibus incredibili earum dolore ac moleſtia contigiſſe. Præmiſſa itaque matura deliberatione ac conſilio, quatuor præcipuarum Brabantiæ ciuitatum Magiſtratus ſtatuerunt, queri per legatos, & opponere in conſilio immunitates, priuilegia, factaſque ſibi in contrarium pollicitationes, præſertim quoad inquiſitionem, Concilium, & Epiſcopos, adiungentes mirari ſeſe Brabantiæ conſilium non vereri, jubere ea, quæ ſaluo quod patriæ præſtiterant juramento perficere non poſſent, vt quæ cum antiquo jure ac patriæ more pugnarent, quem tam Conſilium quam ipſi, imo etiam Gubernationis initio Rex, ſartum tectum conſeruaturos eſſe jurauerant: rogabant itaque vt litteras ſuas reuocare, omnique autoritate priuare vellent, alioquin à ſeſe aliis mediis occurſum iri. Decimo quarto itaque Ianuarij, in *Antuerpienſes Brabantiæ Cōſilium reprehēdunt.*

pleno Brabantiæ conſilio, haſce & alias rationes momentaque argumentorum allegantes, ad revocationem mandatorum inducere conſiliarios, ac perſuadere conati ſunt, vt primarias Brabantiæ civitates, à talibus iuſſis præceptiſque liberarent, addentes, vt primum in populi notitiam veniſſent hæ litteræ tantã ſubito ſeditionis tẽpeſtatem exortam, vt vix eam Magiſtratus celerioris revocationis ſpe mitigare valuiſſent. Conſilium itaque quam optime poterat ſe excuſans, allegabat Inquiſitionis articulum, ſolum intelligi, de ea, quæ hactenus permiſſa ac conſueta erat: quantum vero ad Concilium attinet, id eſſe cum ijs reſtrictionibus, quibuſcum illius publicatio ante conceſſa erat: ſuſtinentes hoc modo nihil patriæ libertati Privilegijſque detractum. Quibus ſequẽti die reſpondentes deputati, contrarium ampliſſime demonſtratunt, addentes tam Imperatoriam Anno quinquageſimo, quam Regiam Majeſtatẽ milleſimo quingẽteſimo quinquageſimo quinto, harum ſibi rerum immunitatem promiſiſſe: Denique ex hoc negotio vel tranquillum patriæ ſtatum ac ſalutem vel exitium ruinamq; pendere. Quod ſi quid adverſi contigerit, penes conſilium fore culpam, nec ſibi fraudi eſſe oportere, ſi qualia viſum fuerit remedia ipſi quæſierint. Ad hæc Conſilium iuſſit vt iudicium ſententiamq; ſuam ſcripto mandarent.

Dum hæc in aula agerentur, ingens per vniverſam Belgicam civitates omnes motus perturbatioque concuſſit; nec ſegniter laboratum, vt oſtenſa ſpe, pulcriſque promiſſis, in officio populus contineretur. Plurimi famoſi libelli & ſparſi & affixi, inter alios Antuerpiæ, ad Tribunorum domos appenſa de Magiſtratus promiſſiq; quod pridie Natiuitatis Domini fecerat vanitate querela. Qua ad ſenatum perlata, conuocatis Tribunis declaratũ, quantum jam tum effeciſſent, monitique ſedarent populum. Cæterum querelæ iſtius exemplar ad Regentem miſerunt. Aliud præterea prolixum Gallico idiomate ſcriptum ad Magnos Magiſtros, Dominos, Gubernatores, & Magiſtratus, Procerũ patriæ januis affixum; quo monebantur,

Sparſi & affixi famoſi libelli.

bantur, vt à fortitudine cõſtantiaq; ſua in tuenda patriæ libertate ne deflecterent. Et vt verbo dicam, eo creuit audacia, vt ipſi Gubernatrici ad templum ſe conferenti libellus obtruſus ſit. Brabantiæ Conſilium (vt & alia quoque Conſilia fecerant) jam tum ex Regentis præſcripto, vnum ex numero ſuo, videlicet M. Franciſcum de Lutetia Commiſſarium creauerant; verum quia vna cum aliis articulis Primariarum ciuitatum legati, Commiſſarium quoque recuſarant, munere ſuo ceſſit.

Poſtquam autem prædictæ Regis & Gubernatricis litteræ, vndique vulgatæ, quibuſdam etiam in locis typis excuſæ ſunt, neminem vltra latere potuit quid ageretur; vnde tantus furor exarſit, vt parum abfuerit quin Silvæducis in atrox factum erumperet, Prætoris aliorumque quorundam, litteras illas publicari volentum occaſione, quibus populus & maxima pars Magiſtratus obſtabat: ſed omiſſa publicatione, tumultus prudentia ac felicitate ſedatus eſt. *Ingens tumultus Silvaducis.*

Vigeſimo ſecundo Ianuarij, deputati cum ſumma diligẽtia ac labore inueſtigaſſent ea, quæ ſibi vtilia ad propoſitum ſuum fore exiſtimabant, conſignatas ſcripto querelas ac momenta rationum in conſilio Brabantiæ obtulerunt, his verbis.

NOs conſules Scabini & Conſilium quatuor primariarũ Brabantiæ vrbium, cum omni demiſſione ſignificamus, acceptas à nobis, diebus hiſce, Reuerentiæ Veſtræ litteras, ſeptima huiusmenſis Ianuarij, cũ certis quibuſdã Regiarũ litterarũ ad Gubernatricẽ extractis; exẽplar præterea Epiſtolæ ab eadem Celſitudine ſua, ad Reverentiam Veſtram datæ, ſuper prædictis extractis, tres inprimis articulos continentibus. Et primo quidem edictorum obſervationem extirpationemque hæreſeos. Secundo Eccleſiaſticæ Inquiſitionis executionem. Tertio denique Concilij Tridentini acceptionem. Quoniam vero Majeſtas ſua quidquid admiſſum eſt culpæ, videtur imputare Iudicibus, atque ita inter alios ſupplicantibus quoque, qui ſeſe peculiariter nota-

tos intelligunt, præſcriptorũ extractorum emiſſione, & Reverentiæ Veſtræ ad ipſos mandato, cumtamen ijdem ſupplicantes, quantum ad id attinet, omnis hactenus culpæ expertes fuerint, fecerintque ſatis officio ſuo in omnibus quæ ad ipſos ſpectant, vt quibus iudicare ſolum modo de ijs incumbat, quæ ad ipſos à Principis miniſtris remittuntur, quibus præcipua Iuſtitiæ adminiſtratio, & delinquentium accuſationes, informationes, apprehenſioneſque commiſſæ, præterea etiam tanta diligentia, & cura functi ſint officio, quanta fieri vllo modo potuit, vt Parochorum, aliorumque quibus id optime notum eſſe debet teſtimonio comprobari poteſt, in his prædictis civitatibus, Catholicæ Religionis ſtatum, à plurimis annis non fuiſſe meliorem. Rogant igitur prædicti ſupplicantes Reverentiam Veſtram (quorum cognitionem univerſi negotij ſtatus non effugit) vt Majeſtatem ſuam recte ac pro rei veritate dignentur inſtruere, & ſi quæ falſis malevolorum relationibus inhæſerit ſuſpicio eximere. Quod vero, ad ſecundum Articulum de Eccleſiaſtica Inquiſitione, & ad tertium de obſervatione Concilij attinet, ſatis admirari non poſſunt ſupplicantes, Reverentiam Veſtram acceptis cum Celſitudinis ſuæ Epiſtola prædictis extractis, non demonſtraſſe, dicta puncta in Brabantiam invehi obſervarique non poſſe, ſed Regiæ Majeſtatis nomine imperaſſe ſibi, vt ad eorum executionem accingerent ſeſe; & in omnibus accommodarent cum tamen ea, vario reſpectu, tam quo ad Eccleſiaſticæ Inquiſitionis, quam diverſorum prædicti Concilij articulorum inductionem, directo cum læto Regis ac Domini noſtri aduentu, & antiquo iure, conſuetudinibus, traditionibus, Privilegijsque pugnent; vt luce ipſa clarius, varijs optimis documentis oſtenditur, (tertio Articulo ſecundæ Epiſtolæ de læto aduentu) Eccleſiaſticos, nullo vnquam tempore, in Brabantia iuriſdictionem habuiſſe, præterquam Cameracenſem & Leodienſem Epiſcopos, idque inter ſeculares, tribus tantum de cauſis. Primo de Teſtamentorum valore & inefficacia.

ſecundo de largitate ſponſalitia. Tertio mortificatione bonorum abſque maiori vlla ex antiquo Brabantiæ iure de vllis rebus iudicandi poteſtate; prout Philippus Burgundiæ Dux, conſtitutione edictoque ſuo, tertio Ianuarij 1447 ſubditis Brabantiæ interdixit, ne quemquam ad Eccleſiaſticum Iudicem citarent, aut ius aliquo modo peterent, niſi prius Magiſtratum Primariarum in quarum ditione commorantur rei, civitatum certiorem effeciſſent, qua de cauſa coram Eccleſiaſtico Iudice litem inciperent, iudicaſſetque Magiſtratus, ſecundum Privilegia ac iura Brabantiæ, eo pertinere cognitionem, ac proinde conceſſiſſet, vt Eccleſiaſtico iure vterentur: addita in delinquentes præter aliam corporis pœnam, bonorum omnium confiſcatione. Quæ hoc modo à prudenti illo Principe conſtituta ſunt, vt ſubditi, Eccleſiaſtica iuriſdictione, Privilegijs ac iuri ſuo aduerſa, ne moleſtarentur, ſuperiorumque ac Principis ſartatecta conſervaretur autoritas. Similiter quoque bonæ memoriæ Philippus, Caſtiliæ Rex, deprehenſo, Eccleſiaſticos ſecularem ſibi autoritatem vendicare, 4 Octobris Anno 1500 edicto cauit, ne vllis in poſterum conſeruatorijs, quorum prætextu vſurparent autoritatem, vterentur, imitatus in eo maiores ſuos, qui conceſſerant Provincijs Privilegiisque ſancinerant ab Eccleſiaſtica iuriſdictione immunitatem, exceptis tribus illis cauſis, de quibus ſupra: ut inter alia conſtat ex litteris Philippi, Ducis Burgundiæ 20 Octobris, 1451 & 27 Novembris 1457. quibus Brabantiæ incolis pollicitus eſt, ab omni Eccleſiaſticæ iuriſdictionis vexatione liberos fore, nec ſe paſſurum, vt quiſquam, cuiuſcunque conditionis aut ſtatus, propter eam citetur, onereque aut moleſtia vlla afficiatur: & ſi quis in contrarium feciſſet, reſciſſurum, liberatoque ſubdito ſuo, debita pœna & caſtigatione multaturum, qui talia patraverit, ad aliorum exemplum. Cuius veſtigijs inſiſtentes qui ſecuti ſunt Brabantiæ Duces, præſertim vero piæ memoriæ Dominus noſter Imperator, Philippi Burgundiæ Ducis conſtitutio.

confir-

confirmarunt, de novo polliciti, à ſe alijſque ea accuratè ſervari curaturos, vt quoque Dominus noſter Rex poſtremo læti ingreſſus ſui articulo, iureiurando ſancivit. Inquiſitorum igitur admiſſio, Principis autoritati, iuriſdictioniq; detraheret, ac populum, adverſus prædicta antiqua iura & Privilegia patriæ, graviter oneraret, non modo quia diminuere ius autoritatemque ſuam, ſine ordinũ conſenſu Principi non licet; (quod nihilominus, in his Provincijs, Eccleſiaſticis in ſeculares maiorem quam ab antiquo habuerunt; autoritatem permittendo contingeret, & quod præterea Maieſtas ſua contrarium iuramento promiſerit) verum etiam quia proceſſus ac forma prædictæ Inquiſitionis, in ſeſe contraveniret, ijs patriæ Privilegijs, in quæ Princeps iuravit (vt patet ex dictis litteris Ducis Philippi, à Domino noſtro Rege cõfirmatis) ſe civitatibus, reliquiſque Brabantiæ locis eorumque incolis, ius daturum in conſuetis ab antiquo iudicijs, nec permiſſurum, vt ad aliud forum trahantur. Præterea, vigeſimo quinto læti Domini noſtri Regis ingreſſus Articulo, ſancitum eſt, neminem in Brabantiæ commorantem, abſque prævia informatione apprehendi poſſe, ad quã loci Magiſtratus obſtringitur, aliiſque Privilegijs qaod eundem tertio die ad iudicium admittere eiuſque defenſionem audire teneantur. Qua propter prædicti ſupplicantes, in animum ſuum inducere nullo modo poſſunt, Regiam Maieſtatem, in quæ iuravit antiqua iura ac Privilegia, factaſqne Provincijs pollicitationes; convelli violarique velle, & induci Inquiſitionem prædictumque Concilium obſervari vltra Eccleſiaſticorum reformationẽ alioſque Articulos Maieſtatis ſuæ autoritati ac patriæ privilegiis nullum præiudicium, aut detrimentum inferentes: Veluti etiam id quod dicitur in extracto, Maieſtatis ſuæ voluntatem eſſe vt à prædictis inquiſitoribus fieret Inquiſitio, expreſſe reſtringitur his verbis: quemadmodum eadem Inquiſitio facta hactenus obſervataque, quod in Brabantia nunquam accidiſſe in confeſſo eſt: ac pro inde exiſtimari

non

non poteſt, eam Principis eſſe mentem, vt generalis declarationis, ad Celſitudinem ſuam tanquam Belgicæ Gubernatricem miſſæ prætextu, aliquid in Brabantia innovetur, vt etiam clarius multo idem extractum oſtendit, vbi Maieſtas ſua expreſſe affirmat, non eſſe ſibi novationis aut antiqua mutandi voluntatem. Vnde facile conſtat, nolle Regem, nunquam hactenus vſitatam in Brabantia Inquiſitionem exerceri, niſi fateamur Maieſtatem ſuam ſiniſtre & adverſus veritatem perſuaſam, prædictam Inquiſitionem hic etiam aliquando viguiſſe, nec patriæ privilegiis adverſari; cuius contrarium adeo evidens eſt, vt probatione non egeat: conſtat enim, Anno quadrageſimo nono, cum de inducenda in Brabātiam Inquiſitione ageretur, vt in circumiacentes Provincias erat invecta, piæ memoriæ Domino noſtro Imperatore, & Regina Maria, vice ipſius Gubernante, ſolidis rationibus ac momentis effectum eſſe, vt penitus excluſa ſit: ſimiliter Anno quinquageſimo quinto poſtremum elapſo, cum Domini noſtri Regis de Inquiſitione edicta primum ad has Provincias perveniſſent, & ab exiſtente tum Cancellario, aut Conſilio Brabantiæ, ad prædictas civitates miſſa eſſent, eadem confeſtim poſt auditas Ordinum patriæ rationes revocata ſunt, vt quæ patriæ iura ac privilegia, communemque tranquillitatem ac ſalutem everterent. Dici ergo nequit ad prædictos Inquiſitores, de ſecularibus in Brabantia verſantibus cognitionem vllo aut Eccleſiaſtico aut civili iure ſpectare: præſertim cum ſeculares Principes ac Magiſtratus, ab omni hominum memoria, in ſubditos ſuos iuriſdictionem poteſtatemque vniverſam poſſederint, etiam in Eccleſiaſticis rebus, ſaltem quo ad iuriſdictionem cognitionemque iudicialem, ac correctionē: quemadmodum Teſtimonio ſuo clare confirmant non modo quam plurimæ Cæſaris Iuſtiniani optimæ conſtitutiones, aliæque complures, civilis iuris corpore comprehenſæ: verum etiam varia decreta, ac iuris canonici conſtitutiones, quibus ſecularibus pote-

poteſtatibus Magiſtratibuſque permittitur; neque poſtremis, eiuſdem Canonici Iuris conſtitutionibus ſeu novellis, ijs Magiſtratibus reperitur ablatum, in primis quo ad ſeculares perſonas, in quos nulla omnino, extra terras Eccleſia in Brabantia præſertim, Eccleſiaſticis iuriſdictio autoritaſque permiſſa eſt: vt liquido patet ex infinitis pœne, Principum huius patriæ optimis cõſtitutionibus ad Eccleſiaſticos etiam ſpectantibus, tam quo ad ſecularium bonorum acquiſitionem, decimarum collectionem. & iuriſdictionis illorum exercitium, quam quo ad hæreſim, eiuſdemq; evulſionem: quarum cognitio rerum ſecularibus iudicibus relicta, ſaltem quantum ad ſubditos ſuos ſeculares; aliaque complura, quorum hodieque viget obſervatio, ſublata Eccleſiaſticis quidquam adverſus ea tentandi poteſtate: veluti etiam nulla Apoſtolica reſcripta effectũ in hac Provincia ſortiri vllo modo poſſunt, niſi Principis voluntas ac conſenſus acceſſerit, cui repulſa illorum, ac pro vt viſum fuerit moderatio incumbit: quemadmodum etiam in omnibus quæ patriæ libertati, privilegijſque adverſantur, quotidie videre eſt. Quo iure, privilegijs, & libera adminiſtratione Iuſtitiæ, mirum quantum huius patriæ commercia, fortunatuſque ſtatus excreverit, & quam facile rurſus eorundem novatione, ac immutatione decreſcet. Vnde procul dubio miſera totius patriæ deſolatio ac ruina aliquando ſequeretur: vt vel ex eo ſatis apparuit, quod ſolo rumore Inquiſitionis perterriti alienigenæ mercatores, iam conuaſare cœperint, quorum tamen frequentatione Brabantia floret in primis, quemadmodum bonæ memoriæ Domini noſtri Imperatoris temporibus patuit, hodieque ſufficienter apparet. Novitas præterea illa patriæ Privilegijs adverſa eſſet, ſi nouus aliquis Commiſſarius ſine Ordinum conſenſu ac voluntate crearetur, idque multo amplius, ſi ex ſecreto Conſilio ſuperintendens ſtatueretur: cum bonæ memoriæ Ducis Philippi Privilegijs, Anni milleſimi quadringenteſimi quadrageſimi tertij, Provinciis promiſſum ſit

nihil

ihil unquam tale, neque factum, neque permiſſum iri. Quod ſi vero novitatibus illis commerciorum frequentia & mercatorum multitudo fugaretur; neceſſe eſſet civitates tque provincias quarum in eo ſalus univerſa conſiſtit deſolari omnino, ac perire funditus: quandoquidem non modo ivitates & pagi, verum etiam multi incolarum, qui redius bonaque ſua gravarunt, eo quod creverit auctumque ehementer ſit rerum pretium, ceſſante commercio, omnium œne facultatum ſuarum iacturam paterentur: atque ita on modo quatuor primariæ civitates, quas variæ, uæ Principibus præſtiterunt pecuniaria ſubſidia, ado onerarunt, ut vel minima redituum ſuorum dimiutione, non modo conſueta onera ſuſtinere non poſſent, veum etiam ad egeſtatem ac inopiam redigerentur: unde onfeſtim omnium incolarum, quorum ſuper illis civitatius fixi ſunt reditus, ruina ſuccederet. Quod ſane matura, eliberatione ac conſilio ponderetur neceſſe eſt, ſignificeturue Majeſtati ſuæ tamquam ſummi momenti negotium, uod ſemel neglectum, nulla deinde ſedulitate ac cura, ullis laboribus recuperari ullo modo poſſit: quare etiam icti ſupplicantes, animum ſuum inducere nequeunt, Reiam Majeſtatem, modo recte ſtatum univerſi negotij doatur, pro ea qua prædita eſt bonitate atque clementia uicquam effecturam, unde adeo ingens autoritatis ſuæ nminutio provinciarumque & incolarum extremum exium ac ruina ſequeretur, idque religionis occaſione, quæ on minus in circumiacentibus Regnis ac Provincijs, quam Belgica afflictionis patiatur; præſertim cum, ſi qui ſint efectus, abſque privilegiorum & antiqui iuris violatione oerceri reprimique valeant ab ordinariis iudicibus. Præicti itaque ſupplicantes, acceptis Reverentiæ veſtræ litteris nibus Regiæ Maieſtatis edictorum obſervationi ſe accomodare iubentur, (cum tamen in ijs nihil expreſſe mandeur Brabantiæ incolis) idque tum quo ad Inquiſitionem, um etiam accuratam obſervationē prædicti Conſilij, quan-

 doquidem

doquidem dictum, Maieſtatis ſuæ litterarum extractum neque iubet quidquam nec iubere poteſt intelligi, nequ etiam Maieſtati ſuæ, ex promiſſo ac proprio ſtatuto quo læti ſui in Brabantiam ingreſſus tempore conſtituit, ordinationes, ſtatuta, edicta aliaque præcepta aut leges conder abſque Reverentiarum Veſtrarum ſententia iudicioq; per miſſum eſt, ſupplicantes nuſquam alio querelas pre ceſque ſuas dirigere & prædictarum ordinationum aboli tionem rogare quam apud Reverentias veſtras potuerunt à quibus ſolum, accingendi ſui ad extractorum, quæ nibi quidquam eos attingunt obſervationem, mandatum accepe runt. Orant itaque ſuppliciter ut Reverentiæ Veſtræ ea ordinationes conſtitutioneſque abolere & ſe tanto onere li berare dignentur, ſaltem in quo patriæ libertati privilegiiſ que repugnat, tam Inquiſitio quam obſervatio Concilij, & declarare præterea quæ demũ eiuſdem Concilij puncta at que articuli poſſint abſque vllius in hac patria læſione ſer uari, vt in tanti ponderis momentique negotio, ne aberrent alioquin ex præſtito ſacramento cogendos, cum alijs patri membris atque ordinibus communicare rem, quod neq cum Principis vtilitate atque obſequio, neque cum ſuppli cantium optatis ac voluntate congrueret.

CEterum nulla ſedulitas ac cura, quantamcunqu impenderint, ante ſecundũ poſt ſupplicationis ob lationem elapſum menſem, reſponſionem vllam extor quere potuit. Vigeſimo quinto demum Martij, cum i deterius vergerent omnia, hoc reſponſum acceperunt.

Reſponſum Conſilij. *Conſilium inſpecta ſupplicatione, & matura delibera tione perpenſis omnibus, atque ad Gubernatricem Belgica Parmæ Placentiæque Ducem &c. relatis, ad tres ea com prehenſos articulos reſpondet, vt ſequitur. Primo quiden de obſervatione diplomatum, ad extirpationem hæreſeos eam nunquam Regiæ Maieſtatis, prædictæque Gubernatri cis fuiſſe, nec eſſe mentem, ſupplicanteſ aut quemquam ip*

ſorum

ṙum negligentiæ alicuius arguere, quantum ad executio-
em edictorum. Verum cum Regia Majeſtas & Celſitudo
ua, ingenti cura de Catholicæ religionis integritate ſollicitè
nt, & Magiſtratuum Iudicumque nonnulli, ea ſeduli-
ate qua par erat munere ſuo functi non ſint, generaliter
dmonere quidem omnes, neminem tamen notare volue-
unt; quemadmodum alias excelſæ memoriæ Caroli quinti
mperatoris, ſuæque etiam Majeſtatis temporibus non ra-
o factitatum eſt. Atque in eo quidem certo confidant ſup-
licantes, prædictam Ducem Gubernatricem vniverſos
Magiſtratus miniſtroſque Iuſtitiæ, officio ſuo ſatisfacien-
es, apud Regiam Majeſtatem plurimum ac perſæpe
ommendare.

Quod vero Inquiſitionē attingit, quia ab Anno 1550.
ulla eius in Brabantia executio facta reperitur, declarat
Conſilium, prout ipſi a Celſitudine ſua affirmatum eſt, num-
uam voluiſſe Regem, vt ex eius ad Gubernatricem litteris
pparet, quidquam novitatis induci, ſed potius iura, pri-
vilegia, conſuetudines, & antiquum Brabantiæ morem, pa-
rumque traditiones, ſartas tectaſque ſervari, & proinde
upplicantes prædicta Inquiſitione non onerandos, tantū ad
dictorum & conſtitutionum obſervationem incumbant,
uēadmodum ſeſe omni devotione obtulerunt: Declarando
vlterius, quantum ad Tridentinum Concilium, nolle id
Maieſtatem ſuam, quam abſque Privilegiorum Patriæ, di-
gnitatiſque ac autoritatis Regiæ violatione ſervari, vt am-
pliſſime ad Concilium ipſe perſcripſit. De Commiſſarijs
vero, nihil Majeſtatem ſuam intendiſſe aliud, quam cum
primarium adverſus ſectas ac Hæreſes ad Catholicæ Re-
igionis obſervationem ſit remedium, in bona ac recta tene-
æ ætatis inſtitutione, boniſque doctoribus populi & concio-
atoribus, denique in reformatione Eccleſiaſticorum, quibus
i prædicto Concilio abunde providetur, vt pro ſe quiſ-
que, præſertim vero Provincialia Conſilia, Magiſtratuſ-
que civitatum, cum ſecreto Conſilio mutua conſenſione

conſpirent: non quidem vt Provincialia Conſilia, vrb[e]
quæ Brabantiæ prædicto ſecreto Conſilio vlla ratione ſu[b]
iectaſint, verum vt modo pariter tanto operi manum a[d]
hibeant, & hæc Aula, vt quæ cum Celſitudine ſua verſ[a]
tur, recurrere ad eam & referre omnia poſſit.

Actum in Conſilio Brabantiæ vigeſimo qua[r]
to die menſis Martij, Anno 1565. ante Pa
ſcha. Subſignatum apud Graphiarium.

P. DE LANGE.

Reſponſi ſecreti Conſilij calliditas & amphibolia.

HÆc declaratio immunitatis ab Inquiſitione, limit[a]
tioniſque, Tridentini Concilij, ingenti deputato[s]
voluptate affecit, quam tamen, paulo poſt diligenti[a]
eiuſdem reſponſionis inſpectio conſideratioque mod[e]
rata eſt: deprehenderunt enim, quædam eiuſdem Apo
ſtillæ adeo ambigue dicta, vt in diverſam partem faci[le]
à calumniatoribus trahi poſſent: videlicet quod ad ed[i]
ctorum obſervationem, quorum ſævitiam noveran[t]
adigerentur. In primis autem mirabantur cum cernere[nt]
poſitum, vt ſe ad mandatorum cuſtodiam, quemadmo
dum ipſi obtuliſſent accingerent, cum tamen talis obla
tionis in ſcripto ſuo non meminiſſent, vt videretur ho[c]
modo callide iis via præcludi, omniũ in poſterum que
relarum adverſus edictorum nimiam crudelitatem, præ
terea quod hac ratione apud populum in invidiam tra
herentur, quaſi operam ſuam polliciti eſſent, ad execu
tionem eorum, quæ communi patriæ ſaluti animiſque
civium contraria erant: propoſuerunt itaque vlteri[us]
inſtare, ad clariorem reſponſi declarationem, expunctio
nemque eorum verborum quibus operam ſuam prom[i]
ſiſſe dicebantur; vt quæ adverſus veritatem poſita eſſen[t].
Neque vero vlla diligentia aut cura efficere potuerunt, [vt]
reſciſcerent quo autore aut modo hæc verba in reſpo[n]
ſum irrepſiſſent, vt vero ſedarent populi motus, om[ni]

leritate ad civitatum Præſides ac Magiſtratus dictam
poſtillam miſerunt,qua initio quidem populus recrea-
s eſt ,verum haud longinqua lætitia , vt ex ſequenti-
s apparebit.

Landriæ quoque incolæ, cum non minus novitati-
bus illis infenſi eſſent,legatos ſuos ad Gubernatricem
ſtinarunt , qui graviter queſti de iniuria , libertatiſque
æ violatione,ac ruina patriæ,liberari ſimiliter vt aliæ
ovinciæ petiverunt. Quæ vt clarius percipiantur,pau-
fuſius recenſebimus.

Flandrorum ſeditio.

Noſſe itaque oportet , poſtquam in Flandria paula-
n irrepſerant , Eccleſiaſtici quidam , vt inter alios
agiſter Petrus Titelmannus, qui in ſeculares inqui-
bat; experientia didicerunt Rectores, Magiſtratus , ac
pulus eius Provinciæ,ſe magis ac magis quotidie di-
xari perſecutionibus , deſolarique incolarum fuga:
apropter totius patriæ nomine , deputatos ad aulam
iſerunt , qui verbo & ſcripto , communes querelas
ubernatrici detulere . Supplicatio autem illorum
is erat.

*Primo quod privilegiorum ſuorum iure pertineret ad
e ſupplicantes,omnium perſonarum,bonorum, aliarum-
ue rerum in Flandria cognitio,nec vnquam, alias permiſ-
m vt præter ordinarios iudices,quiſquam inquireret, ap-
ehenderet,aut quemvis alium iuriſdictionis actum exer-
ret. Nihilominus tamen Magiſtrum Petrum Titel-
annum,dicere ſe conſtitutum à Rege,Chriſtianæ fidei in-
iſitorem (etſi commiſſionem inſtructionemque ſuam nun-
uam oſtenderit) & quotidie in antiquæ libertatis dicto-
mque Privilegiorum præiudicium,quaſcunque liberet,
ſque cognitione cauſæ in carcerem & vincula conijcere:
o è domibus proprijs rapere , abſque Magiſtratus ſcitu
t conſenſione inquirere,acceptis modo ad auxilium ſuum
omarchis ac ſatellitibus,qui varijs locis operam ſuam
nuere non audeant,ne hæreſeos ſuſpecti habeantur. Quo*

Petrus Titelmannus Flandriæ inquiſitor.

deprehenſo tanti momenti negotio, vt ſi diutius conniueant, tumultus populi, & adverſus iuſtitiam rebellio, ac demum exitium patriæ immineret, Majeſtatem ſuam demiſſe rogabant, vt ſeſe antiqua libertate ac privilegijs frui permitteret iuberetque Inquiſitori, atque alijs Eccleſiaſticis à ſimili novitate, exceſſibus, & inſueta ratione agendi abſtineant: alioquin ſi peius quid inde ſequeretur ſe omnis culpæ expertes fore.

Ad que Gubernatrix vigeſimo Octob. 1564. Apoſtilla reſpondit.

SE, propter ſupplicationis & querelarum, generalem nimis, ac obſcurũ proinde intellectum & ſignificationem, de earum explanatione communicaſſe cum deputatis: verũ quia nihil ſibi præterea commiſſum à Dominis ſuis affirmarint, vlteriorẽ ſupplicantium declarationem exſpectare: iuſſiſſe nihilominus interim Inquiſitori Titelmanno, vt ſumma cum diſcretione exequeretur officium, cui interim ſupplicantes favore atque auxilio præſto ſint, quemadmodum ad Regiæ Ma:eſtatis obſequium, & ſalutem, tranquillitatemque ipſorum maxime conducet.

QVa Apoſtilla, & communicatione cum Conſiliarijs, percepta mente Regis ac Gubernatricis, vlterius vrgere negotium Flandri timuerunt: propoſito tamen, data commodiori occaſione id præſtandi; quia liquido cernebant, patriæ ſecuturum exitium: præſertim cum dictus Inquiſitor, novique Epiſcopi alacriter in Inquiſitione procederent, eo quod Regiis mandatis in Decembri 1565 miſſis inſtructi, iam triumphare ſe de adverſarijs arbitrabantur. Vnde in Martio 1566 novus Epiſcopus Brugẽſis varia ac peregrina exorſus eſt, vt recuſand exteris mercatoribus ſepulturam, aliaque ſimilia, recepitq que, aut finxit recepiſſe ex Hiſpania à Rege litteras, ad Catholicæ religionis Concilijque Tridentini obſervationem, miſitque ad Magiſtratus, certos earum articulos, accurat

Epiſcopus Brugenſis vrget Regis edicta.

curate in poſterum ſervandos. Videlicet vt quiſque parochus ſive Paſtor, vniverſa parochiæ ſuæ patrum familias, aliorumque nomina deſcriberet, ab exteris poſtremæ habitationis ſuæ Teſtimonium exigeret, à coniugibus vbi & à quo copulati eſſent; notaret præterea nomina & habitationem eorum qui conſcientias ſuas apud ſeſe expiarent, puerorum item quos ſalutari fonte ablueret, parentum quoque ac patrinorum, illorum, præterea quos matrimonio conjungeret: denique examinaret quoſuis ludimagiſtros, eiſque profeſſionem prout expedire iudicaverit interdiceret aut permitteret, ſimiliter Eleemoſynarij eos quos iudicaſſent paſtores, à ſtipe excluderent, & plura alia, petens vt ad horum articulorum executionem Magiſtratus opem atque auxilium ſuum commodarent, quod cum abnuiſſent, idem Epiſcopus cum Inquiſitore gravibus eos apud Flandriæ Conſilium querelis & calumniis oneravit, rogato inſuper vt ſibi ad Inquiſitionem, & exſtirpationem hæreſeos adeſſe auxilio iuberentur, ac proinde confeſtim apprehenderent quoſcunque etiam abſens Inquiſitor ſcripto nominaſſet, eoſque quaſi iuſſum eſſet loco captivos ſiſterent ad hæc, vt liceret Epiſcopo & Inquiſitori accedere & examinare captivos, ſive præſente ſeu abſente Magiſtratu, vt à nemine in proceſſu ſuo impedirentur. *Accuſat Magiſtratus.*

His itaque atque aliis gravibus de cauſis, tum Brugenſes in primis, tum vero etiam quatuor Flandriæ Ordines coacti ſunt iterare rurſum querelas ſuas, idque eo dolentius quod viderent vicinos ſuos ab inquiſitione liberatos.

Rogabant itaque prædicti Ordines ſecundo, vt antiquis Privilegijs ac libertate ſua ne privarentur, & inquiſitio, vt quæ cum ijs pugnaret, quo ad ſeculares perſonas aboleretur. nec intruderent ſeſe Eccleſiaſtici in iuriſdictionē ſecularem, & cognitionem, correctionemque eorum quæ ad ſeſe non pertinerent, neque ipſi magis quam aliæ Provinciæ ad edictorum ſeveritatem adſtringerentur.

Decimo Aprilis Anno Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto Apoſtilla reſponſum eſt,

Inquiſitores (vt illis mandatum erat modeſtius in officio ſuo procedere, donec aliud à Majeſtate ſua intelligerent, quodſi autem quidquam occurreret, quod ſine gravi muneris ſui læſione omitti non poſſet, certiorem primo facerent Celſitudinem ſuam) abunde præſtitiſſe, ſupplicantium itaque petitioni eſſe Satiſfactum.

AD quam Apoſtillam cum maiorem declarationem requirerent deputati, præſertim de Inquiſitionis articulo, quæ nunquam hactenus ab ordinibus recepta erat, decimo nono Aprilis Anno milleſimo ſexto iterum reſponſum eſt.

Celſitudinem ſuam nihil vltra concedere poſſe quam decimo Aprilis Apoſtilla conceſſerat, multo amplius quam vigeſimo Octob. Anno Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto obtinuerant: quapropter ſupplicantes ijs iure acquieſcere ac contentos eſſe debere donec Majeſtas ſua ſuper ijs rebus deliberaſſet de quibus ad eum Celſitudo ſua ſcripſerat.

Non contenti eo Flandriæ ordines, oblato ſupplici libello rurſus inſtiterunt.

DEmonſtantes quandoquidem præſens vulnus ac malum perſanare non potuiſſent præcedentibus querelis ac precibus, cogi ſeſe ſupplicare iterum antequam invaleſcens morbus omni remedio fortiores vires acquireret: idque eo amplius, quod veroſimile eſſet non ceſſaturum ideo Inquiſitorem, præſertim quatuor iam ſatellitibus firmatum, generali quoque Procuratori duobus ad auxilium ſuum attributis: quemadmodum non ita pridem in Caſantia violenter perruptis ædibus, patrem familias quamquam is iudicibus ſatisfeciſſet in vincula conjecit, ablata hoc modo Magiſtratibus omni cognitione, nunc præſertim cum vniverſa autoritas in Commiſſarium tranſlata eſſet, qui cum inquiſ-

quiſitore conſpirans, omnium vitæ ac necis poteſtatem haberet. Obſecrabant propterea ad auertendam communem patriæ peſtem ac ruinam, vt extemplo cæteris Prouinciis æquarentur, non expectata vlteriori voluntate Maieſtatis ſuæ, vel ſaltem vt Celſitudo ſua, Epiſcopis, Inquiſitoribus, aliiſque Eccleſiaſticis omnem Inquiſitionis executionem interdiceret, donec poſtrema Regis ſtatueretur de eadem inquiſitione ſententia, omiſſa interim ſecularium perſonarum apprehenſione: Hæc autem à ſe orari vt imminentem patriæ calamitatem auerterent; nihil vero minus, quam religionis nouitatem aut mutationē intendere.

Ad quæ vigeſimo ſeptimo Aprilis, Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto reſponſum.

Celſitudini ſuæ integrum non eſſe, quidquam vltra concedere, quam præcedentibus decimæ & decimænonæ Aprilis Apoſtillis feciſſet; quibus ſatisfactum ipſis oportuerat. De captiuo autem, re prius accurate cognita rationem habituram.

Improbis precibus ſuis Brugenſes tandem impetrarunt vt Flandriæ Conſilium pariter ac Inquiſitor ſuperſedere iuſſi ſint.

BRuxellenſis vrbis Rectoribus in Aula mandatum, vt populo ſuo indicarent, nō eſſe Regi mentē ipſos Inquiſitione alijſque novitatibus onerandi: verum ne, quemadmodum Antwerpienſes à populo levitatis arguerentur, non contenti verbis, ſcripto ea conſignari voluerunt, quod eis dilatum eſt.

Aucto in hominum animis adverſus perſecutionem odio, crevit quoque miſeratio erga eos qui religionis cauſa captivi de vita periclitabantur, varijque conatus adhibiti, ad liberandos huiuſmodi: quod etiam ex ſententia ſubinde proceſſit. Inter alios Antverpiæ vigeſimo ſexto Ianuarij, intēpeſta nocte, duæ ſorores, iuuenculæ, ac nobiles virgines, vna cum quodam horologiorum artifice, ereptæ ſunt; quod graviter offendit animos quo-

rundam, vnde vnus aliquis, cuius opera elapſæ erant in vincula coniectus, alijs vna cum captivis quoque, proſcriptis.

INquiſitorum nimia ſeveritas; crudeliſque ratio procedēdi, in Belgica, Friſones etiā excitavit; adeo vt Provinciæ Ordines Anno Milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono, Comiti Arenbergenſi Gubernatori ſuo articulos quoſdam obtulerint, quibus querebantur, indigenas adverſus privilegia, libertatem, moremque patrium grauari, inprimis vero Eccleſiaſticum Commiſſarium ſeu inquiſitorem Dominum VVilhelmum Lindanum accuſabant, quod contra conſuetum traditumque à maioribus patriæ vſum, rerum earum ſibi juriſdictionem aſſumeret, quæ ab electis à capitulo ſuo Decanis judicari ſolita erant: præterea quod idem Commiſſarius Leouardienſem decanatum vſurparet abſque capitularium conſenſu, atque ita binis ſimul muneribus fungeretur, contra pactum Anni vigeſimi quarti: idem quoque Commiſſarius abnueret Decanis conſueto more à capitulo electis confirmationem, quam ſi ſubinde concederet, gravioris momenti rerum cognitionem ſibi retineret; quod præterea obſtitiſſet Prælatis, ne Archidiaconatus ſuos & conſueta tribunalia ſervarent: exigeret item à ſacerdotibus quos inſtituebat, nimiam præter ſolitum mercedem, quidquid poterat extorquens: quod inſtitutionibus ac commiſſionibus manu ſua ſubſcriptis ſigillum ſuum imprimeret, etſi eorum narratione contineretur, Archidiaconorum aut Præpoſitorum ſigillis eſſe munita: denique quod idem ille Commiſſarius ſacerdotes, aliaſque ſeculares perſonas, de quibus leuium ac mendacium quorundam delatione ſiniſtre ſuſpicabatur, diffamaret, procedendo ex leui illa delatione ad examinationem teſtium: quod ſine graui eorum qui accuſati erant iniuria, famæque ac nominis jactura non accidebat. Ad hæc quod ſacerdotes quoſdam inauditos ſuſpenderat, aliaque complura quorum relatione ſuperſedeo.

Aduerſus Lindanum querela.

Hiſce

Hiſce atque aliis à Gubernatore reſponſum eſt blandis verbis, & ſatisfactum aliquo modo, quo ad leviores articulos; de gravioribus vero promiſſum ad Gubernatricem Belgicæ favorabile ſcriptum, ne ſcilicet in poſterum jura ipſorum violarentur: verum effectu caruit: Commiſſarij enim in dies creuit audacia; adeo vt in pleno conſilio admonitus profeſſus ſit, qua poteſtate inſtructus ea faceret de quibus arguebatur, addens nimia benignitate ac clementia in hæreticorum & rebellium caſtigatione procedi.

POſtquam jam eo pervenerat perſecutionis acerbitas, ut tumultus, murmura, & averſio populi, in eum cumulum excreſcerent, ut nihil niſi communis ſeditio, factioſorumque hominum adverſus Eccleſiaſticos, inquiſitionem, Epiſcopos, & perſecutores tempeſtas expectaretur: propterea quod nullis hactenus querelis, demonſtrationibus ruinæ ac deſolationis Provinciarum, vllum omnino remedium moderatioque impetrari potuiſſet; nobiles patriæ, qui bona habitationeſque ſuas extra urbium munitionem habebant, metuentes ne ex hoc ingenti fumo flamma tandem erumpens, ſeſe una cum familiis ac poſſeſſionibus ſuis involueret: quemadmodum olim nobilibus Germanis in tumultu ruſticorum acciderat: tacti præterea miſeratione populi, ſinceroque erga Principis ſui obſequium affectu, (ut inquiebant) qui populi ſui, ac Provinciarum à quibus tanto intervallo diſſidebat ſtatum certo cognitum habere non poterat, niſi relatione illorum, qui ſummæ apud eum autoritatis ac fidei erant, (quamquam neque commodum Regis nec ſalutem patriæ, ſed propriam utilitatem expeterent) reputantes ſecum rem ſane miſeram ac deplorandam eſſe, tantæ ubertatis divitiarumque atque omnis magnificentiæ pleniſſimas Provincias deſolari, adeoque infinitam prope fidelium ſubditorum multitudinem, bonis omnibus ac vita ipſa ſpoliari, idque tantillæ rei gratia: quod videlicet paucula quædam quæ avitæ libertati & antiquis privilegiis repugnabant,

quorum

quorum etiam qui vel maxime Catholicæ religioni addicti, devotique erant abrogationem votis omnibus optabant, ab eis auferri nollet Rex, ſerere paulatim ſermones inter ſeſe: Bruxellæ inprimis, cum Parmenſis Principis cum Luſitaniæ filia nuptiis intereſſent, Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto, in Novembri, conſultantes qua demum ratione tantis malis occurri poſſet, priuſquam univerſa turbatio, ruina, ac tumultus involueret, arbitrabantur communi interceſſione & demonſtrationibus ſuis poſſe remedij aliquid adhiberi. Vrgebatur inprimis negotium ab iis qui in animo ſuo ſecretam ab antiqua Religione auerſionem, amoremque ad novam quæ tum reformata dicebatur fovebant, quorum cum clandeſtinis conſiliis ac conventiculis creviſſet numerus, diem dixerunt qua pariter congregati de re tota concluderent. Veriti autem ne nimia ſua multitudine proderentur, variis locis ſecretiſſimos conventus ſuos habuerunt, dieq; cóſtituta, qua Bruxellæ omnes adeſſent, ut ſumma ope ac ſtudio apud Gubernatricé & Conſiliũ vigerét negotium, data invicé acceptaq; fide, conſpirátes in mutuum auxilium, ſolemni jurejurando ſanxerunt; ut ſi ſecus ac eorum erat intentio, conatus Conſiliaque ſua acciperétur, nullo diſcrimine, ſummos juxta ac infimos, omni ope, auxilioq; pariter ab omnibus adiutum iri. Ad cuius maioré certitudiné, conſignato litteris pacto ſubſcripſerunt, alioſq; Belgicæ nobilitatis, ad idé præſtandũ jungendaq; ſecum conſilia, vireſque ſuas quibus potuerunt rationibus impulere. Pactum auté erat huiuſmodi.

Conſpiratio nobilium Patriæ.

NOtum ſit omnibus præſentes has viſuris aut lecturis, nos infraſcriptos, debita ac ſufficienti inſtructione præmiſſa, comperiſſe, peregrinos quoſdam, atque ad felicitatem ſalutemque patriæ huius minime affectos, etſi exigua eis cura ſit Gloriæ dei, incolumitatiſque communis, ſed potius inſatiabilis eorum ambitio regijs ac Patriæ bonis expleri appetat, velatos nihilominus pallio Religionis, præferenteſque zelum Catholicæ fidei, paciſque publicæ conſervandæ, tantum apud Regiam Maieſtatem effeciſſe, ut ſpecioſis, verbis,

bis, falſiſque perſuaſionibus inducta, adverſus ſacramentum ſuum quæque nos hactenus aluit ſpem, non modo non mitigare ſeveriora contra Religionem edicta, ſed augere etiam, ac roborare induxerit animum: inprimis vero Hiſpanicam Inquiſitionem violenter intrudere, quæ non pugnat ſolum cum omni, tam civili quam Eccleſiaſtico iure, ſummâque veterum Tyrannorum barbariem excedit: verum etiam ingentem procul dubio Divino Numini contumeliam, miſeramque patriæ calamitatem atque extremam deſolationem illatura eſt: ita vt falſa aliquorum hypocriſi, Sanctitatiſque prætextu vniverſa inſtituta politicamque rationem convellat, violet autoritatem poteſtatemque omnem antiquarum legum, conſuetudinum, inſtitutorumque quæ iam inde à maiorum temporibus viguerunt, auferat libertatem Ordinibus patriæ eloquendi ea quæ ad ſalutem civium tranquillitatemque pertinent, vniverſa privilegia, libertates, immunitateſque deſtruat, denique harum Provinciarum cives atque incolas miſeræ ac perpetuæ Inquiſitorum ſervituti velut mancipia ſubijciat, hominum certe nullius pretij aut exiſtimationis, ſed qui Magiſtratus inprimis nobilitatemque Belgicam Inquiſitioni viſitationique ſuæ ſubdere conentur, omneſque bonos ac fideles Regis ſubditos, præſentiſſimis continuiſque bonorum ac vitæ periculis exponere. Quibus medijs ac ratione procedendi, non modo graviter Divinus honos & ſancta Catholica fides, (cuius ſe defenſores iactant) læderentur: verum etiam Regis Maieſtas imminueretur, atque ipſe Rex in omnis ſui ſtatus atque autoritatis diſcrimen adduceretur, eo quod non modo commerciorum frequentia ceſſaret, vniverſæ perirent artes, præſidia atque vrbes quæ ad limites ſitæ ſunt, atque inde tota patria omneſque Provinciæ (turbatis videlicet propenſiſque ad ſeditionem ac tumultum incolis) perpetuo diſcrimini periculiſque obiectæ eſſent, denique nihil niſi horrenda confuſio turbatumque rerum omnium chaos ſequeretur. Nos perpenſis accurate pon-

Inquiſitores viles è plebe homines.

dera-

deratiſque animo harum rerum momentis, vocationeque noſtra ad quam vocati ſumus & officio fidelium ſubditorum Majeſtatis ſuæ, nobilium in primis, iudicavimus atq; iudicamus etiamnum, à nobis officio noſtro ſatisfieri non poſſe, niſi obſiſtamus atque occurramus prædictis quæ impendent malis, bonorumque præterea ac vitæ noſtræ ſecuritati conſulamus, poſtremo ne talium præda exponamur qui ſub Religionis pallio, ſanguine ac bonis noſtris diteſcere habent in animo. Quibus de cauſis concluſimus communi ſententia, inviolabili inter nos, ac ſancta confœderatione, pactoque coniungere, ſolenni ſacramento adſtringentes, ad omnibus viribus prædictæ Inquiſitioni reſiſtendum, cavendumque ne vlla ratione, ſeu ſecreto ſive palam introducatur, intuentes præſertim Neapolitanorum exemplum, qui eam ſumma ſua vtilitate ac conſolatione repulerunt: teſtati nihilominus Deum ac homines, nihil quidquam tentare nobis eſſe in animo, quod divinæ Reverentiæ, Regiſque noſtri autoritati adverſum ſit, ſed potius Regium obſequium omneſque bonas ordinationes atque inſtituta defendere, ſedare populi tumultus, denique vniverſis patriæ malis occurrere. Cui pacto polliciti ſumus, & iureiurando firmauimus fortiter inuiolabiliterque ſtaturos, teſtem ad hæc ex animo vocantes Omnipotentem Deum, nihil à nobis vnquam confœderationi huic adverſum, admiſſum iri. Vt autem tanto firmetur validius, polliciti ſumus, atque etiamnum pollicemur invicem, auxilium adverſus quamvis perſecutionem, quæ ex Inquiſitionis, edictorumue fundamento adverſus quemquam noſtrum intentari poſſet. Neque vero quiſquam ſe liberatum hoc pacto, ſolutumque ſacramento exiſtimet, ſi velantes perſecutionem adverſarii, rebellionis aut inobedientiæ prætextu aliquem è nobis invadere tentaverint, quandoquidem in tali negotio nemo rebellionis aut Majeſtatis argui poſſit, cum non niſi ex zelo gloriæ Dei, ac Majeſtatis Regiæ, tranquillitatiſque communis, procedat affectus. Vt vero ſancta hæc confœderatio noſtra tantoper-

to perfectius inviolata ſervetur, nihil à quoquam noſtrum abſque aliorum ſententia ac iudicio cœptum iri promittimus. Cuius pacti confœderationiſque teſtem invocavimus atque invocamus Sanctiſſimum Numen, Cœli terræque factorem, vt iudicem conſcientiæ animique noſtri, obſecrantes eundem, vt virtute ſua conſtantiam noſtram de Cœlo roborare dignetur, eamque ſpiritu ſapientiæ diſcretioniſque condire, vt fortitudo atque conſilium, ad fœlicẽ cœptorum noſtrorum exitum, pulcherrima conſenſione conſpirent, idque ad Diuini nominis eius gloriam, Regiæ Majeſtatis obſequium, pacem tranquillitatemque communem, ſalutem animarum noſtrarum. Amen.

QVamquam hæc nobilium conventio, pactumque eorum ſumma diſſimulatione tegeretur, fieri tamen non potuit ut nihil emanaret: præſertim autem quia confœderatorum aliqui congregatis Hoochſtratæ, proceribus rem aperuerant, unde confeſtim tota Belgica, fama vulgata eſt. Quoniam autem voluntas inſtitutumque illorum, nulli omnino conſtabat, præterquam pacti conſciis, ingentem in Aula motum ac trepidationem excitavit, ut fieri aſſolet in ſimilibus. Adiuvabat falſa pro veris, pro minimis ingentia annuncians fama. Aiebant quidam patriam univerſam eſſe turbatam; alij nobilitatem omnem rebellare, jactabant: addebant quidam multa eorum millia inſtructa armis petere Aulam: nonnulli conſcriptum ab eis externum militem, conſpirare cum ipſis non paucas civitates. Nec minor de eorum propoſito & intentione ſermonum erat judiciorumque varietas, dicentibus quibuſdam, inuaſum iri ab illis patriam univerſam, aliis expulſa antiqua religione novam introducturos, denique omnibus pro judicio affectuque ſuo differentibus.

Ingens in aula metus.

Varij rumores de coniuratis.

Huius rei nuncius Aulam quidem univerſam, eos autem inprimis qui inquiſitionis & perſecutionum autores exſtiterant ingenti terrore perculſit, eo quod ſummopere verebantur, ob averſionem populi, & inquiſitionis

tionis horrorem, facile ingentem eis multitudinem, ſpe liberationis oſtenſa, adhæſuram, aut ad minimum præcipuas quaſdam urbium in illorum poteſtatem fidemque conceſſuras, Antverpiam inprimis, ubi incredibili ſemper inquiſitionem odio habitam eſſe conſtabat. Augebat trepidationem frequentia nunciorum qui de multitudine ac viribus illorum adferebantur.

Reformatorum ad Maximilianum ſupplex libellus.

Prædicti interea nobiles ad Maximilianum Imperatorem ſupplicem libellum miſere, nomine eorum, qui relicta Romana religione ad reformatum Euangelium ſe tranſtulerant. Oblatus eſt hic libellus Kal. Aprilis Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto, Auguſtæ Vindelicorum in comitijs, in eoque ſuppliciter Cæſareæ Maieſtatis Principumque auxilium expetebant, ut conſilio autoritateque ſua Philippo Regi perſuaderent, ut ne ſanguinem fidelium ac timentium Deum effundere pergeret, atque ita in ſe familiamque ſuam, iram Dei vindictamque accerſeret.

Hoc dubio rerum ſtatu judicatum eſt expedire, ut omnes Ordinis Domini, Gubernatores, Præſideſque Provinciarum, qui ea tempeſtate in Aula non aderant, litteris confeſtim accirentur, ut factum eſt 13. 14. 20. 21. & 23. Martij, atque ut interim omni celeritate ad nobiles ſcriberetur, ut pro ſe quiſque à conſpiratorum communione abſtineret, ſperantes hoc modo omnibus difficultatibus ac turbis occurri poſſe: ſcriptum ad hæc ex Aula, ad ea loca in quibus celeberrimi convetus erant; nominatimque ad primarios coniuratorum, ut ſi eſſet quidquam, de quo ulla ratione queri poſſent, ſcripto apud deputatos deponerent, vel ipſi etiam, exiguo numero & abſque armis adeſſent. Gubernatrix interea munire Aulam, augere cuſtodiam corporis, & ad omnia accuratius attendere: miſſi quoque varij exploratores ad diverſa loca, ut quid rerum agereтur adverterent. Cum autem vigeſimo Martij delatum eſſet ad Celſitudinem ſuam, Antverpiæ eos occupationem agitare animo, vocati confeſtim ad Aulam deputati Antverpienſes,

juſſuſque

uſſuſque eorum unus Antverpiam omni celeritate pro-
iciſci, & monere Magiſtratum,ut urbem ſuam adverſus
rmatorum quos adventare fama erat irruptionem
ueretur.

Vigeſimoquarto Martij cernens Gubernatrix in peius
uere omnia, expreſſum ad Maieſtatem Regiam in Hi-
panias nuncium miſit, certiorem eum faciens de con-
piratione Nobilium, populi factionibus, adiungens
uam de remedio tantis malis adhibendo ſententiam.
Quarum hic litterarum exemplar poſuimus.

Gubernatrix in Hiſpaniam nuncium mittit.

*EX vltimis meis vndecima Ianuarij intellexerit Ma-
jeſtas tua, quæ mandato ſuo ad Præſides, & Provincia-
a Belgicæ Conſilia ſcripſeram, de intentione veſtra, quo ad
bſervationem edictorum bonæ memoriæ Cæſareæ Maje-
atis & Veſtræ etiam, de religione, Inquiſitione, & decre-
rum ſancti Concilii Tridentini obſervatione quarum lit-
rarum, ad Majeſtatem tuam exemplar miſſum eſt, quæ
aximum deinde in populo murmur ac tumultum excita-
unt, atque inter alia cum ſimiles litteræ miſſæ eſſent ad
Conſilium Majeſtatis tuæ in Brabantia, vt curaret prædi-
ta diplomata obſervari; Inquiſitionique ac Inquiſitori-
us omni ope atque auxilio ſuccurri, & ſanctum Triden-
num Concilium, eiuſque decreta ſervari, & cum di-
tum Conſilium vt iuſſeram ad primarias quatuor Pro-
inciæ illius civitates ſcripſiſſet, tanta ſubito murmuratio
editioque inſecuta eſt; vt non ita multo poſt, imo in menſe
anuario proxime elapſo, eædem quatuor civitates per lega-
s ſuos ſupplicem Conſilio libellum obtulerint, in quo præ-
r quaſdam de edictis, Concilioque difficultates, in primis
e Inquiſitione querebantur, adſerentes nullo umquam
mpore illius in Brabantia exercitium viguiſſe, vt quæ Pri-
ilegiis illorum lætoque Regis ingreſſui adverſetur: ora-
ant proinde vt miſſæ ad ſeſe à Conſilio litteræ revocaren-
ur; atque ab Inquiſitione immunes vt hactenus permane-
ent, quemadmodum Majeſtas tua ex adiuncto his ſuppli-*

ci corum libello cernere poterit. Etſi autem Brabantiæ Con ſiliarij affirmarent extemplo legatis, Majeſtatem tua nihil novitatis animo agitare, &c, vt ex adiuncto illoru ſcripto poteſt intelligi; prædicti nihilominus ſupplicant non contenti ea reſponſione vrſerunt vlterius, oblata ſup plicatione, quam ad me delatam primo quidem in ſecreto deinde in ſtatuum Majeſtatis tuæ Conſilio viſitari manda vi, quorum tandem ſententijs concluſum eſt expedire a Majeſtatis tuæ obſequium, & ſanctæ Religionis noſtræ con ſervationem, ſedulo inquiri quidquid olim in hiſce partib circa prædictam Inquiſitionem effectum erat: inventis ita que tum hic in Aula, tum etiam inter Inquiſitores Lova nij varijs ſcriptis, compoſitoque inde volumine, ad Braban tiæ Conſilium diſcutienda miſimus, quibus Conſilium triu quatuorue hebdomadum ſpatio accurate perpenſis, retuli comperiſſe ſe, ab Anno 1550 nullum dictæ Inquiſitio in Brabantia exercitium fuiſſe, ideoque non onerandos e ſupplicantes, iubendum modo vt ad perfectam edictoru obſervationem incumberent: cui ſententiæ, Conſilii ſtat accedente autoritate, aſſenſi ſumus, præſertim quod Maje ſtas tua ſe nihil quidquam novi cogitare declaraſſet, habi etiam ratione temporum aliarumque cauſarum, quas hi ſubnectimus. Reſpondi itaque ad ſupplicem libellũ Apo ſtilla quæ hic adiuncta eſt. Venio Domine ad præcipuu articulum, cuius gratia miſi hunc nuncium, quamquam in vita, eo quod de illa quam Maieſtas ſua acceptura eſt af flictione non dubitem, tamen me ad id & officij mei ratio, e Majeſtatis tuæ obſequium, & patriæ neceſſitas impelli Factum eſt Domine, vt ab hinc paucos dies, dum prædict agitarentur, certior fierem à Principe Gaverenſi & Me genſi Comite, (Auriaci autem Principis de eo litteras, om niumque hominum ore famam acceperam) ſecretæ coniura tionis & pacti, (cuius hic exemplar addidimus) quo innu mera nobilium multitudo ſe obſtrinxerat. Etſi autem eg Domine vt tantæ peſti occurrerem omni labore ac diligen

tia de

a deſudaſſem, ſignificans Maieſtatẽ tuam ab omni deſide-o novitatis alienam, reperi nihilominus eiuſdem inquiſi-onis terrorem, ſeveritatemque diplomatum, profundas deo in hominum animis radices egiſſe, ut fruſtra eis per-adere quidquam laboretur. Deliberato igitur in Con-lio ſtatus Maieſtatis tuæ, matureque perpenſis rerum nnium ponderibus, nihil ſupereſſe remedij judicatum eſt, uam ut vel arma capiantur, quod hiſce temporibus quan- difficultatis eſſet? non modo pecuniæ inopia, verum etiam uia intra patriam habetur hoſtis, nec conſtat cui fidere iam ex propria familia poſſis, ita ut Proceres quamquam maxime optarent, neminem tamen eſſent reperturi, vel ui fidere ipſi, vel qui ſe ſequi vellet; addito quod hac ra-one ſequeretur, patriæ una cum religione perditio, ſive ut oncedatur tempori, conniveaturque aliquantum, atque eteſtata adeo Belgis inquiſitio amoveatur & nimia edi-torum ſeveritas mitigetur, &c.

VIgeſimo quinto Martij poſt meridiem Brabantiæ Ordines, videlicet Prælati, Nobiles, Legatique Ci-itatum in Conſilium ſtatus ad Gubernatricem acciti, bi illis ipſa ſignificavit, intellexiſſe ſe, certam adverſus rovincias conſpirationem eſſe præ manibus, unde niſi empori occurreretur, haud exigua mala timeantur: ut ſi igitur, quos non fugeret, quanti intereſſet, patriæ lia impediri, pro ſe quiſque diligenter attenderent, & Celſitudinem ſuam, ſi quid inaudiſſent certiorem face-ent. Quandoquidem autem intellexerat hanc adver-is inquiſitionem videri coniurationem, aut eo ſaltem allio prætextuque velatam, miſſa ad quatuor primarias Civitates Apoſtilla declararat, nec eſſe nec fuiſſe Regis ut ſuam voluntatem, alicuius in Brabantiam inquiſi-onis inducendæ. Ad quæ Ordines actis Celſitudini ıæ pro ſollicitudine curaque ſua gratiis, omnem ope-am ac diligentiam obtulerunt. Poſt hæc Antverpien-ium Legatos allocuta, docuit exteros quoſdam è con-

juratis in certis Antverpiæ diverſoriis commorari, juſſit
que ut ſe de toto negotio monerent, de ſua etiam cura
civitatiſque cuſtodia, quia varios civium & mercatorum
cum coniuratis conſpirare audierat. Reſpondere Legat
jam tum diſpoſitas eſſe diu noctuque cuſtodias, obſer
vari portas, viſitari navigia quæ appellerent, inquiri i
hoſpites diverſitorum, nihil demum omitti quod ad ſe
curitatem urbis videatur: verum nihil ſe quidquam ac
cepiſſe de exteris, ſcripturos nihilominus ut omnem
Celſitudini ſuæ dubitationem eximerent.

Diligentia Antverpienſium.

Simili admonitione ad accuratam curam ac diligen
tiam Gubernatrix Bruxellenſes exhortata eſt, quos no
minus ad exequendum munus ſuum promptos inven
unde plurimæ ab eis conſtitutiones factæ; & ut verb
dicamus quidquid ageretur non minus in Aula quam
in urbibus metus erat. Haud aliter trepidabat populus
quam ſi externus hoſtis immineret, quiſque laboraba
ut ſuam civitatem locumque tueretur. Gubernatri
autem eiuſque Conſiliarij, ignari quo vergeret hoc ne
gotium, ad univerſas urbes in hunc modum litteras de
derunt.

Ingens metus in Belgica.

Litteræ Gubernatricis.

*QVandoquidem certo à nobis intellectum eſt, nonnull
tum exteros, tum incolas, eo audaciæ ac temeritat
proceſſiſſe, ut coniurare ſecreto, habere conventus, conſcr
bere militem veriti non ſint, unde ad ruinam atque ex
tium patriæ multa timeantur, imò civitates opprimi poſſe
à coniuratis, auferrique Magiſtratui omnis autoritas, ſp
liari ac diripi omnia, ut diteſcant ſub falſæ opinion
quam plebi perſuadere ſtudent tegumento, qua eam
amore, affectu, atque obedientia, quam Domino noſt
Regi, ut naturali ac vero Principi ſuo debent avellan
Veroſimile autem eſt omni ſtudio atque ope conaturos,
quam plurimos ad partes ſuas coniurationemq; pellician
cui à nobis occurſum oportet, ut quæ ſummi diſcrimin
res, plurimiſque tam veterum quam recentiorum exempl
numquam niſi in miſerum atque calamitoſum finem vi
erupiſſ*

upiſſe. Quapropter certiores vos facere neceſſe judica-imus, ut ne Civitas veſtra Magiſtratus ignorantia ob-uatur. Petimus autem ſtudioſe, ut omni ſedulitate pe-culis ſtudeatis occurrere, diligenti portarum, omniumque corum, ut belli tempore aſſolet cuſtodia, adhibeatis de-ium quidquid prudentia veſtra diſcretioque opportunum udicarit, quemadmodum de vobis certo confidimus. Quid-uid autem à vobis in negotio iſto actum erit ad nos per-ribite. Deus adſit vobis dilecti: datum Bruxellæ vige-mo ſexto Martij 1565, ante Paſcha.

EAdem illa tempeſtate, Antverpiæ, Bruxellis, & alibi, ſparſi, ſuſpenſi, atque affixi, famoſi libelli ſeu ſcripta, uibus monebatur, quidquid de inquiſitionis abroga-one jactaretur, fictum eſſe, eo quod ſevera diplomatum uæ inquiſitionem includebant obſervatio mādabatur: einde dictæ inquiſitionis autores, aliam repetiſſe viam, ua loco inquiſitionis, ſine nomine effectum tamen eius nveherent: Eccleſiaſticorum inquiſitorum vice, in-tituiſſe ſeculares, ſacramento adſtrictos, qui tantum ad eligionem attenderent; nominabantur præterea qui-am, tamquam callidæ huius inventionis autores, mo-ebaturque populus, ut generoſe obſiſteret, nec blandis erbis, pulchriſque promiſſis fidem adhiberet. Inter lia, Antverpiæ prolixum ſcriptum dextre ſparſum, quo Magiſtratus eorumque deputati graviter notabantur, uod ſeveram edictorum obſervationem, quemadmo-ū textus Apoſtillæ Conſilij Declarabat ſpopondiſſent, ubieciſſentque ſe hac ratione diplomatis, præcluſa un-uam adverſus ea querendi via, idque abſque populi onſenſu, cui edictorum ſeveritas vehementer diſplice-at: atque ita proteſtando adverſus eos, adque ad re-ocationem hortando. *Sparſi famoſi libelli.*

Cum jam magni Magiſtri, Gubernatores patriæ, Equi-eſque Ordinis, ad Gubernatricis mandatum Bruxellæ deſſent, conſultatum cum iis, tam ante quam poſt me-idiem, qua ratione edictorum ſeveritas mitigari poſſet,

Agitur in aula de moderatione diplomatum.

æquato cum delictorum gravitate levitateque modo pu nitionis ita ut, nec antiqua Religio pateretur, & tumul tuum una vitaretur occaſio, eaque deinde ſcripto ad Maieſtatem Regiam mitteretur, ut ex ſententia & volun tate ſua ſtatueret.

Verum ut ad hominum notitiam pervenit agi de mo deratione diplomatum, varij de ea re ſermones exorti ſparſuſque Bruxellæ de hac moderatione famoſus libel lus, plurimi deinde diverſis locis, Gallica, Germanica Latinaque lingua, adverſus inquiſitionem, Eccleſiaſti cos, moderationem illam, &c.

Inter hæc certus ad Aulam nuncius allatus eſt, ingen tem coniuratorum nobilium numerum Bruxellam ad venire, ut oblato ſupplici libello, inquiſitionis atqu edictorum quo ad religionis articulum abolitionem oraret, quod haud mediocri ſane Aulam univerſam ter rore affecit; ignorabant enim qua ratione, quove fi ne adventarent. Interea in variis civitatibus per pla teas diſperſi libelli, typis excuſi, admonentes popu lum ac cives univerſos, ut cum Nobilibus patria Bruxellam venturis, ut à Maieſtate ſuo exorarent abro gationem eorum quæ patriæ exitium adferebant, ſe con jungerent, per Magiſtratus, Legatoſve ſuos, atque ad honeſtum adeo negotium operam ſuam commodarent. Qui Libelli extemplo prohibiti ſunt, atque inter alios Bruxellenſes, vigintiquinq; florenorum mercedem con ſtituerunt, ei qui horum libellorum autorem aliquem ad Iuſtitiam deferret.

Miſit quoque Gubernatrix ad univerſas civitates, ut huiuſmodi libellos, omnibus modis opprimerent, ne ulli parcerent labori ac diligentiæ, ad reperiendum & ca ſtigandum autorem.

Quadringẽti Nobiles Bruxellam adveniunt.

Primo, Secundo, & Tertio, Aprilis, è variis locis plurimi Nobiles, Bruxellam ingreſſi ſunt, eodemqu tertio Aprilis præcipiti jam die, (Dominus de Brede rode, ingenti nobilium numero comitatus advenit, nihi tamen uſquam querelarum erat, quod violentiæ quidqu

intu

ntuliſſent. Sectabatur eos Bruxellæ magna populi multitudo, incedenteſque intuebatur. Die inſequenti, videlicet quarto Aprilis Aula abſtinuere, eo quod Comites Bergenſem & Culenburgenſem exſpectarent. Verum poſtridie, quinto Aprilis, remanentibus adhuc Comitibus, iidem nobiles audiri in Aula poſtularunt, ut actum eſt, meridie inter duodecimam & primam horam, ut rarior populus adeſſet: Tum igitur nobiles, quadringenti circiter numero, quini incedentes, ſedata gravitate ad Aulam acceſſerunt, Ludovico Naſſovio Comite, dictoque Domino de Bredenrode, ut honorationibus, claudentibus agmen, admiſſique in conclave conſilij Ordinum, ubi eos Dux Gubernatrix, cum eiuſdem Conſilij Dominis, Equitibus Ordinis, Provinciarumque Præſidibus exſpectabat. Exhibita primum Gubernatrici, aliiſque Dominis debita veneratione ac reverentia, Dominus de Brederode, paulum procedens ex ordine, hunc in modum exorſus eſt.

DOmina, quos in hac vrbe cernis congregatos nobiles viros, alijque paris dignitatis, qui certis de cauſis non adſunt, concluſere, ad Regiæ Majeſtatis obſequium, ſalutemque, populi, Celſitudini tuæ hunc ſupplicem libellum offerre, vt ad eum quemadmodum ſibi expedire viſum erit reſpondere dignetur, orantes hoc factum noſtrum boni conſulat. Oratio D. de Bredenrode ad Regentem.

Accepimus præterea apud Celſitudinem tuam, atque Conſilium, ſecretæ conſpirationis, ad excitandos motus in populo, eſſe accuſatos, & quod amplius quaſi Regis ac Domini noſtri pertæſi, cum Gallis, Germanis, alijſque exteris Principibus conſpiraſſemus, de quo ne cogitatum quidem vnquam à nobis, in quorum fidelitatem, ſincerumque erga Regiam Majeſtatem affectum, talia non cadunt, vt Celſitudo tua ex hoc ſcripto noſtro intelliget. Rogamus nihilominus Celſitudinem tuam, falſos illos adeo honeſtæ ſocietatis calumniatores oſtendere dignetur.

Ad hæc præſentes hic Domini, intellexere, quoſdam ex numero ſuo, ſingulariter coniurationis prædictæ eſſe ſuſpectos; qua propter Celſitudinẽ tuam ſuppliciter obſecramus, vt delatorum iuxta, eorumque qui detulerunt nomina aperire velit, nec patiatur nobilem adeo honeſtamque ſocietatem, tam infami macula notari. Quo dicto, ſupplicem libellum Gubernatrici exhibuit, relictoque conſultandi ſpatio, omnes pariter egreſſi ſunt.

Supplicatio autem talis erat.

Supplex Nobilium libellus.

DOmina, nulli hactenus ignota fuit Belgarum per vniverſum orbem Chriſtianum gloria, eorumque erga Principes ac Dominos, fidei ſinceritatiſque celebritas, nobilitatis præſertim, quæ numquam corporibus boniſque ſuis pepercit, ad obſequium Principis, atque autoritatem propugnandam: quemadmodum & nos vt fideliſſimi Regiæ Majeſtatis ſubditi, quotidie in diligentia affectuque erga obſequium eius creſcimus. Perpenſis itaque ſeria deliberatione motibus ac turbis quibus iactamur, expedire arbitrati ſumus, ſi Celſitudini tuæ quædã patefaciamus, eligentes paululũ quid indignationis incurrere, quam celari ea Celſitudinem tuam, quæ poſtmodum Regiæ Majeſtati præiudicio eſſent, & pacem tranquillitatemque patriæ everterent, ſperantes fore, vt aliquando conſtet quantum ad Regiæ Majeſtatis obſequium, atque autoritatem momenti attulerimus, quemadmodum confidimus etiam, à Celſitudine tua, æqui bonique conſultum iri quæ facimus. Quamquam igitur dubium nobis non ſit, quin univerſa quæ Regia Maieſtas de inquiſitione, ſeveraque diplomatum obſervatione conſtituit, bono aliquo prætextu ac fundamento nitantur, videlicet ad eorum quæ bonæ memoriæ Carolus Imperator inſtituit, perpetuam obſervationem: quia vero temporum, malorumque diverſitas, remediorum diverſitatem exigit, illaque ipſa edicta multarum miſeriarum calamitatumque cauſa exſtitere, quamvis ad ſeve-

ritatis

ritatis normam executio non exigeretur, quid jam fore putandum eſt, cum Regia Maieſtas, extrema ſua voluntate mandaverit, abſque omni mora induci inquiſitionem, ſervari edictorum ſeveritatem? unde jure metuendum eſt, non modo auctum iri quæ hactenus adverſa pertulimus, verum etiam miſerabile exitium, ruinamque patriæ ſecuturam. Animadverſo igitur præſenti diſcrimine ſperaveramus hactenus fore, ut Celſitudo tua ad quærendam medicinam impelleretur; quia vero deprehendimus, nihil adhuc in tanti ponderis negotio actum, jamque communem perniciem eſſe præ foribus, induximus animum, ſatisfacere officio noſtro, ſacramentoque quod præſtitimus, propenſoque ad Regiam Maieſtatem patriamq; noſtram affectui, ruptaque omni mora, primi præſtare, quæ urgens neceſſitas jam dudum exigit, idque eo liberius, quod ſperare poſſimus, haud laturam ægre hoc cœptum noſtrum Regiam Maieſtatem, ut quorum inprimis interſit, domuſque, poßeſſiones, ac bona, extra munitiones urbium, hoſtium incurſui atque iniuriis pateant. Præterea ſi in edictorum rigida obſervatione procedatur, ut jubet expreſſe Maieſtas ſua, nemo noſtrũ, imo totius Belgicæ, cuiuſcunque demum ſtatus aut conditionis exſtiterit, de capite fortuniſque ſuis ſecurus erit, quorum invidi alicuius delatione jacturam extemplo patietur, imo excitabuntur accuſatores ſpe bonorum rei, ſub edictorum prætextu, nec quidquam aliud ſupererit refugij, quam in Prætoris aut Iudicis benevolentia ac favore, qui vitæ neciſque poteſtatem habebunt. Quapropter eo magis impellimur ad Celſitudini tuæ omni demiſſione ſupplicandum, ut his malis occurrere curet, & quoniam tanti intereſt, maxima celeritate ad Regiam Maieſtatem aptum hominẽ deſtinet, qui de omnibus eum doceat, oretque ut de univerſis, tam in præſenti, quam in poſterum, omnino ſtatuere ac providere dignetur. Sed vero quia id fieri non poteſt, permanentibus in ſeveritate ſua edictis, ex quibus quicquid ſenſimus mali profluxit, ut Rex ad earum

abolitionem conſentiat, antequam extrema calamitas Belgicarumque Provinciarum perditio ſequatur. Verum enim vero ne Regia Maieſtas nos ſibi (qui nihil aliud quam cum omni demiſſione obedientiam agitamus) præſcribere quidquam exiſtimet, (ut procul dubio adverſarios noſtros explicaturos eſſe negotium non dubitamus) ſtatuat ipſa cum conſenſu Ordinum, qua ratione periculis velit occurri. Rogamus præterea obteſtamurque ſuppliciter ut dum de juſta ſupplicatione noſtra deliberat Rex, Celſitudo Tua interim, generali inquiſitionis, edictorumque ſuſpenſione, exortam perturbationem ſedare dignetur, donec aliter Maieſtas ſua providerit. Teſtamur interea officio noſtro à nobis ſatisfactum, nec quidquam pertinere ad nos culpæ illius, quæ non occurrendo patriæ calamitatibus committeretur, cuius rei Divinum Numen, Regiam Maieſtatem, Celſitudinem tuam, Dominoſque Conſiliarios, conſcientiam denique noſtram teſtes appellamus, præſtitum à nobis fidelium ſubditorum officium: quamobrem tanto maiori alacritate, diligentia, atque affectu Celſitudinem tuam oramus, ut antequam quidquam amplius mali oriatur attendat.

POſtridie cum Gubernatrix præſenteſque Domini rem maturo Conſilio, ac deliberatione perpendiſſent, accitis ad Aulam Nobilibus, (qui eodem ordine, aucti tamen Culenburgenſi, Bergenſique Comitibus, adfuere) quod ſequitur reſponſum ſcripto exhibuerunt.

CElſitudo ſua intellecto nobilium deſiderio, ad Maieſtatem ſuam ſupplicem eorum libellum mittere, atque apud eam omni conatu inſtare, ut conſentiat petitis, induxit in animum; à qua ob ingenitam bonitatem, ac clementiam, nihil aliud ſperari poßit, imo ipſa Celſitudo ſua, cum Gubernatoribus Patriæ, Ordiniſque Equitibus, & Conſiliariis, jam de diplomatum moderatione agitabat, quam talem fore confidit, ut jure illi acquieſcere debeant; tum quia Celſitudinis ſuæ ſe eo non extendit autoritas, ut inquiſitionem

atque

atque edicta ſuſpendere ipſi integrum ſit, tum etiam quia non expedit, patriam ſine edictis ac conſtitutionibus relinqui. Confidit itaque Celſitudo ſua ſupplicantes interim quieturos, donec à Maieſtate Regia reſponſum accipiant. Iubebitur autem interea tam inquiſitoribus, quam miniſtris Iuſtitiæ, ut cum ſumma moderatione munus ſuum exequantur, nec cuiquam querelarum cauſam dent: dum interim ſupplicantes, ut ſperat Celſitudo ſua, ea modeſtia ac quiete ſe gerant, ut aſperiora media non requirantur. Poſtremo id eſſe vel maximum bene de Maieſtate Regia ſperandi argumentum, quod jam tum ad quatuor præcipuarum urbium ſupplicem libellum, immunitatem ab inquiſitione conceſſerit. Quia vero certo conſtat Celſitudini ſuæ, ſupplicantes de antiquæ Religionis immutatione nihil agitare, tanto animoſius, ac liberius omni qua poterit ope negotia Regis urgebit.

Actum apud Celſitudinem ſuam Bruxellæ ſexto Aprilis 1565.

NOn contenti hac reſponſione Nobiles, poſtquam eodem atque inſequenti die, multum deliberaſſent inter ſe, operæ pretium judicarunt, ſecundum Gubernatrici libellum, ante diſceſſum ſuum offerre, ut octavo Aprilis ante meridiem factum eſt, hunc in modum.

INſpecta Celſitudinis Tuæ Apoſtilla, primo ipſi de tam celeri expeditione habemus gratiam, deinde quod de congregatione noſtra ſatisfactionem acceptarit, quam non niſi ad Regis obſequium ſalutemque Patriæ, ac tranquillitatem habuimus. Verum ad maiorem pacem ac quietem optaremus Apoſtillam Celſitudinis Tuæ, paulo ampliorem, atque clariorem fuiſſe; nihilominus quoniam Celſitudinis Tuæ adſtricta in hoc negotio poteſtas, quod dolori nobis eſt, ſpe ducimur fore; vt interim tam à ſeculari Magiſtratu

quam ab Inquiſitoribus, à perſecutione ceſſari Celſitudo tua iubeat. De nobis interim Domina confide, nihil commiſſum iri, quod Generalibus Ordinum ſtatutis & antiquæ Religionis autoritati adverſetur, offerendumque punitioni eum, qui è nobis quidquam tale tentaverit. Teſtamur vero iterum, quod ſi bonarum conſtitutionum defectu, tumultus aliquis exoriatur, officio noſtro à nobis eſſe ſatisfactum, obſecrantes Celſitudinẽ tuam, vt hæc ſtudia noſtra ne deſpiciat, ſed tamquam ad Regis ſuumq; obſequium, omni tempore promptiſſimorum acceptet, etiam vſque ad ſanguinis ac vitæ profuſionem, ſi neceſſitas exegerit.

QVia vero intellexerant à calumniatorum nonnullis, ſupplicis libelli exemplar typis excuſum, in quo mutari ac inſeri quædam poſſent, unde ſeditioſos fuiſſe conventus illorum exiſtimari poſſet, (atq; ita hominum obiicerentur inuidiæ) quod ab intentione ſua maxime alienum erat, orarunt Regentem, ut Regio Typographo ſupplicationem ſuam excudendi poteſtatem faceret, qui id cum fide ac ſinceritate præſtaret.

QVa audita declaratione, viſoque à Gubernatrice, præſentibuſque Dominis conformi ſcripto, dum interim Nobiles exceſſiſſent, vocatis rurſum intro reſpondit, viſum à ſe ſcriptum ipſorum, ſperare autem, ea ratione à ſe cuncta compoſitum iri, tam quo ad inquiſitores, quam Magiſtratus, ut nulla, niſi culpa eorum, tumultus aut ſeditionis daretur occaſio, ipſi interim non committerent, ut à fide ſcripto ſuo data, promiſſiſque deflecterent; orabat ad hæc ut ne ſecretis occultiſque rationibus, populum ad ſe pellicere ſtuderent.

Reſponſum à Nobilibus, gratiſſimam ſibi quidem accidiſſe bonam Celſitudinis ſuæ reſponſionem, longe vero gratius fore, ſi coram præſentibus declarare dignaretur, ſe hanc congregationem ſuam, ut quæ ad Regis obſequium facta ſit boni conſulere, promittentes tantam in poſterum quietem ac modeſtiam, ut nihil Celſi-

tudini

tudini ſuæ moleſtum eſſe poſſit: reſpondente Gubernatrice credere ſe, tacito nihilominus, quid de illorum conventibus cogitaret, rurſum à Nobilibus rogata ut mentem ſuam aperiret, breviter addidit ſibi necdum eam rem judicandi eſſe facultatem. Cum autem adverteretur non eſſe hac reſponſione contentam Nobilitatem, à diverſis Dominis & Conſiliariis rogata eſt Gubernatrix, ut ſe ad vitanda mala paulo leniorem in hoc negotio exhiberet, impetratumque ut Dominorum aliqui ad Nobiles mitterentur, qui affirmarent ſponderentque certius, nihil in religione tentandum, prius quam à Rege reſponſa acciperentur. Oſtenſæ quoque illis litteræ, quæ ad Miniſtros, Magiſtratus, & inquiſitores, ea de cauſa mittebantur, ab iiſdem præterea Dominis promiſſione firmatum, neminem in poſterum cauſa Religionis, adverſus quemquam carceribus, confiſcatione, exilio, aliiſque correctionibus proceſſurum, niſi aliquis, factioſis, ſeditioſiſque conatibus ſe tali punitione dignum oſtenderet, quo caſu id præſtaretur quod ipſi obtulerant, donec cum Ordinum conſenſu Rex aliter ſtatuiſſet.

Acceſſerunt illos præterea Regentis mandato, Comes Hoochſtratanus, Eques Ordinis & D. Berty, Conſilio Ordinum à ſecretis, cum exemplari litterarum, quæ undique mitterentur in hunc modum.

Margareta Dei Gratia Dux Parmæ & Placentiæ, Regens & Gubernatrix. Dilecti noſtri, plurimi Nobiles oblato nobis ſupplici libello, Regis Domini noſtri de Religione abrogari diplomata, novaſque conſtitutiones è Generalium Belgicæ Ordinum ſententia fieri poſtularunt, ad quem Apoſtilla reſpondimus, miſſuros ad Regem, nec parſuros operæ, vt patriæ ruinis occurramus, quemadmodum iam nunc mitigationem edictorum concepimus. Quia vero ſuſpendendi diplomata & Inquiſitionem, poteſtas nobis non eſt, nec decet interim ſine legibus patriam relinqui, dum Regis voluntas exſpectatur, addiximus nos curaturos, vt

modeſtius

modeſtius ab Inquiſitoribus Miniſtriſque omnibus agatur in poſterum: quandoquidem autem ſatiſfacere voluntati Nobilium, & ſtare promiſſis habemus in animo, vos hiſce certiores reddere voluimus, iubentes vt Majeſtatis ſuæ nomine, vniverſis miniſtris Ducatus Brabantie, & trans Moſam mandetis, vt in muneris ſui quo ad religionem executione, ſummam prudentiam, ac moderationem adhibeant, ne tamen patiantur novitatem, aut mutationem aliquam, antiquæ Catholicæ Religionis, hactenus in Provincijs hiſce obſervatæ; nec ſeditioſas etiam tumultuantiū actiones, de quibus nos doceant, vt prout dignum erit ſtatuamus, neque in mandatorū noſtrorum obſervatione ſegnes ſe exhibeant, ne turbarum occaſio oriatur. Deus vobiſcum ſit dilecti.

Datum Bruxellæ 9 Aprilis 156 ante Paſcha; ſubſignatum erat. Margareta, & paulo inferius D'overloope.

ADhibita tot tantisque promiſſis fide Nobiles domum ſuam proficiſci ſtatuerunt, facto prius quatuor Capitibus ſuis ſacramento, ſe nihil quidquam novi, ſive in Religione ſiue alijs in rebus tentaturos, ſed expectaturos quiete ac patienter, quod Majeſtati ſuæ, & generalibus Ordinibus ſtatuere placuiſſet: ad hæc quatuor Capitum ſuorum dicto audientes fore, nominatis præterea è quavis Provincia tribus, qui ne quid ſcripto ac promiſſis adverſum committeretur attenderent: alia item complura ad confæderationis ſuæ firmitudinem ac robur ſancivere: in primis ut ad conjunctionis ſuæ teſtimonium, appēſum collo aureum numiſma geſtarent, inſculpta ab uno latere effigie Regis, duabus ab altero manibus, implicatis mutuo, & mendicorum peram tenentibus, hiſce in circuitu ſcriptis verbis. In omnibus fideles Regi etiam uſque ad mendicitatem, aliam deinde ex ære formam, cujus una pars ſcutum

Confæderatorum Nobilium inſigne.

Vianenſe,

Vianenſe, altera vero hæc verba continebat, per flammas & per ferrum, inſignia adhæc Burgundicæ domus; quoniam autem Dominus de Barlamont primo eorum in aulā adventu dixerat, egregiam mendicorum turbam adeſſe, quos Gallice Geuſios vocabat, acceptantes hoc nomen, eo ſe in poſterum vocari voluerunt, multique ipſorum cineticei coloris veſtibus induti, geſtarunt ligneum ſcyphum, obductum argenteis laminis cum hac inſcriptione, vivant Geuſij.

Nomē Geuſiorum unde traxerit originem.

Cum hæc Nobilium congregatio Bruxellæ haberetur, & prius etiam, dum exſpectarentur adhuc, Eccleſiaſtici, inprimis autem inquiſitores, quique inquiſitioni, Epiſcopis, & perſecutioni maxime faverant, ſummo terrore affecti ſunt, abſtinueruntque publico multis diebus, donec intellecto, nemini quidquam iniuriæ à Nobilibus illatum, pulſo timore ad ſua redierunt.

Sedantur tumultus in Belgica.

Negotij huius ac litterarum ad Provincias miſſarum fama, per Belgicam ſe late diſperſit, ſedavitque ſubito quidquid tnmultus exortum erat, adeo ut prioribus factionibus perturbationique communi, ſumma rerum omnium tranquillitas ſuccederet. Accingebāt ſe omnes ad conſuetas operas, negotiaque ſua, gratulantes Gubernatrici, Conſiliariis ac proceribus patriæ. Hærebat tamen in animis novam religionem ſectantium ſuſpicio non diu ſeſe immunitatibus illis & libertate fruituros, haud approbaturam quæ ſtatuta eſſent Regiam Maieſtatem, factioſorum aliquos omnem adhibituros operam ut quæ provide ſapienterque ordinata erant everterent; quod ſi accidiſſet in peius longe lapſuras Belgicæ res, vehementiorem autem illis timorem incutiebat, quod adverteretur, mitigationem edictorum, de qua Celſitudo ſua meminerat, tantum adhuc rigoris ſeveritatiſque complecti, ut nihil omnino ſuavitatis moderationiſque ſperari poſſet.

POſt diſceſſum Nobilium, diu multumque deliberatum eſt in Aula, quo potiſſimum modo agi hoc negotium, & perſuaderi Regia Maieſtas poſſet, ut ſedare

Belgicos

Belgicos motus ſubditoſque ſuos à pernicie defenderé vellet, verebantur animum Regis quem de conſpiratione Nobilium interpretatus perperam nuncius acerbitate compleverat. Iudicatum igitur expedire, ut duo Ordinis Equites, in Hiſpaniam proficiſcerétur, Maieſtatemque ſuam recte de univerſo negotio docerent, atque exhiberent una moderationem à Regente Conſilioque conceptam: quamquam autem quiſque recuſaret hác Provinciam, duo nihilominus eorum nominati tandem, variiſque promiſſis inducti ſunt, videlicet Dominus Marchio Bergæ ad Zomam,& Dominus Baro de Montignij; quorum ut maturaretur iter, ſtrenue laboratum in Aula, tam in moderatione noviſque diplomatis componendis, quam in inſtructione Legatorum.

Duo Equites aurei velleris in Hiſpaniam legati mittuntur.

Florentius à Montmorency, Dominus de Montigny, ſolus Hiſpanias verſus iter intendit, ſubſequente poſtmodum Marchione Bergenſi, quem inflictum cruri vulnus retardaverat. Poſtquam in Hiſpaniam adveniſſent in in Iunio, ſæpius à Rege Conſilioque Ordinum eius auditi ſunt, In hoc Conſilio in Iulio menſe Segobiæ erant Alvares de Toledo, Dux Albanus &c. Gomeſius de Figuerra Comes de Feria, Antonius de Toledo magnus Magiſter Ordinis S. Iohannis. D. Iohannes de Manriques de Lara magnus Reginæ Aulæ Magiſter. Ruygomes de Silva Princeps Ebolitanus, & Comes de Melito; Ludovicus de Quixada, magnus Armiger Principis, omnes eximiæ in Hiſpania autoritatis ac prudentiæ viri. Aderant præterea Belgæ nonnulli, Conſiliarius Tiſnack, Præſes Conſilij Ordinum in Belgica, Conſiliarius Hopperus, Regij ſigilli cuſtos, & Secretarius Corteuille. Præſentibus Rege atque hoc Conſilio, ſæpius retulerunt Belgici Legati quantas Regis litteræ de inſtitutione inquiſitionis, & executione diplomatum, turbas excitaſſent, nec quidquam amplius remedij ad ſalutem ſupereſſe, quam ſi ablata penitus inquiſitione, edictorum moderationi conſentiat Rex, jubeatque pronunciari delictorum omnium veniam, etſi ne ſic quidem certe

affirmare

ffirmare poſſent, Nobilibus ſatisfactum iri, propterea
quod nihil abſque Generalium Ordinum conſenſu fieri
vellent: affirmabant nihilominus tam Ordinis Domi-
nos, quam reliquos Patriæ Proceres, concluſiſſe inter ſe,
ſi prædicti tres articuli à Rege concederentur, omni ſtu-
dio incumbere, ut ad priſtinum ſtatum tranquillitatem-
que Provinciæ redeant, quod ſibi facillimum factu
confidunt, plurimorum quos rebellionis contagio nec-
dum infecit auxilio, ſufficienti ad vi etiam, armiſque
cogendos hoſtes. Hæc autem aiebant ſibi comiſſa ut
Regi manifeſtarent, ſumma ſpe atque fiducia de boni-
tate & clementia Regis, &c. neque videri neceſſarium
ut profectionem ſuam in Belgicam præcipitet. Cum
varia diſputatione multiſque ſententiis agitaretur nego-
tium, clare profeſſi ſunt Legati, (ut Hiſpani in lite ad-
verſus eos obiiciunt) Belgicam Nobilitatem ac Domi-
nos, niſi tres illos articulos concefferit Rex, nec equos
nec arma, pro Rege ſumpturos. Querebantur ad hæc
ſe contemptui haberi in Hiſpania, atque apud Hiſpanos
qui dominari Belgicis Dominis atque Equitibus expo-
ſcerent, quemadmodum Mediolani, Neapolis, atque in
Sicilia faciebant, quod minime paſſuros Belgas aiebant
multaque alia.

Dum hærerent hoc modo univerſa, atque in Hiſpa-
nia deliberaretur, Regentis Bruxella litteræ allatæ ſunt,
quibus ingentem mortalium concurſum, ad publicas
prædicationes fieri ſignificabat, quæ apud Tornacum,
Inſulas, Sancti Audomari oppidum, & Ipras habeban-
tur, à Gallicis iuxta, & Belgis prædicantibus; idque Ant-
verpiæ etiam accidiſſe: quapropter orabat Regem vt
quanta poſſet celeritate de trium articulorum conceſſio-
ne concluderet, nihil aliud ſupereſſe remedij, &c.

Concurſus hominum ad prædicationes reformatorum.

Ad hæc non plene ſe reſolvit Rex, tantum iuſſit per
univerſas Hiſpanias & Belgicam, publicas proceſſiones
inſtitui, ſe deliberare num iter ſuum in Belgicam, mari,
an vero per Italiam inſtitueret, præterea ad Imperato-
rem ſe ſcripturum. Quantum vero ad tres articulos,

placere ſibi ut Epiſcoporum modo Inquiſitio, jam inde à maiorum temporibus uſurpata exerceretur, nova Hiſpanica forma abrogata: deinde ut moderatio edictorum conciperetur, ita tamen ut Catholica Romana Religio, & Regis autoritas illæſa ſervaretur; de qua deinde reiicienda aut acceptanda ſtatueret Rex; tertio Regenti poteſtatem faciebat, veniam delictorum confœderatis Nobilibus offerendi, aliiſque quorum necdum peccata conſtiterant, prout expedire judicaſſet. Hæc autem fierent ea conditione, ut prius Regenti certo conſtaret, Dominos ac Proceres Belgicos, ad Religionis conſervationem, tranquillitatemque patriæ operam ſuam præſtituros, omnes etiam conſpirationes confœderationeſque diſſolvendas, veluti etiam quoſcunque alios conventus, prædicationes, &c. alias ſi rebelles arma ſumpſiſſent, ut Gubernatrix vim adhiberet, ſumpto ex præſidiis milite, adiunctis prætorianis, & ſi neceſſe videretur novum conſcriberet, eligeret Duces ac Centuriones quos ſibi placuiſſet. Scripſit præterea Rex ſuaves amicaſque litteras ad Proceres, Conſilia, & Civitates, ut in pace omnia ad ſuum uſque adventum continerentur.

Hæc fuere quæ Legatione duorum Dominorum Ordinis aurei velleris in Hiſpania effecta ſunt, quibus in patriam reditus negatus eſt.

Poſtquam iter eximiorum iſtorum Equitum, Legationemque recenſuimus, haud abs re futurum videtur, ut mortem ipſorum, quoniam uterque in Hiſpania interiit, referamus.

Ne



Nec me Romanæ fidei, nec velleris ordo
Aurati, nec Regis amor, nec gloria texit.
Tot factis teſtata fides, tantique labores
Mercedem Hiſpanam ſubtili morte tulerunt.

POſtquam Marchio Bergæ ad Zomam, Hānoniæ Gubernator, cum Barone de Montignij collega ſuo, annum integrum in Hiſpania deſudaſſet, ut exorti in Belgica tumultus ſedarentur, nec ullus laborum fructus appareret, imo maiori longe quam hactenus ſævitia uſurus Rex videretur, eo quod omnem belli apparatum ſtudioſe conquireret, & jam Albanum Ducem caput ac fontem malorum omnium, Gubernatrici ſucceſſorem deſtinaſſet, dolore animi curiſque confectus in valetudinem incidit, quare veniam oravit à Rege redeundi ad ſuos, ut ab iis quibus longo convictu & conſuetudine nota erat corporis ſui conſtitutio commodius juvaretur: verum nihil umquam præter ſpecioſa verba, quibus perpetuo differebatur negotium impetravit, donec tandem depoſitus jam, ac deſperata à medicis ſalute, diſcedendi poteſtatem acciperet, tum irenidens Marchio ait, non egere ſe nimium ſero Regis beneficio, evolaturum propediem in ea loca, in quæ nihil imperij aut poteſtatis Regi eſſet. Poſt hæc accito ad ſe Ruygome de Silva, Ebolitano Principe, veteri amico ſuo, qui magna apud Regem autoritate pollebat, graviter ſummoque dolore queſtus eſt, non modo non æſtimari fideliſſima ſua quæ Regi præſtitiſſet obſequia, verum ſuſpecta etiam eſſe ſine ulla culpa ſua, ut qui nihil niſi commodum, honoremq; Regis, in actionibus ſuis propoſitum habuerit; nihilominus nō dubitare ſe, quin tēpore clareſceret conſiliorū ſuorum utilitas, quā inimicorum invidia obſcuraverat; deinde pro ea quæ inter ipſos arctiſſima erat familiaritate atq; amicitia, obſecravit, ut Regi hæc poſtrema verba ſua referre vellet, quod cum pollicitus eſſet Princeps, ab eo diſceſſit. Compoſita hac aliiſq; humanis curis, Marchio, vigeſimo primo Maij *1567* ex hac vita diſceſſit, nō abſq; magna dati veneni ſuſpicione. Hunc autē quamquam innocentiſſimum atq; integerrimum virum non ita multo poſt mortē eius tēpore, Albanus Dux cōſiliumq; eius accuſavit condemnavitq; Maieſtatis, cum ſe defendere amplius nequiret, bona quoque ipſius in fiſcū redacta ſunt,

M



Me quoque non triſtes lachrymæ, gemituſque relictæ
Coniugis, aut pietas iuvit mea. Perfide mortem
Conſiliis quæ ſana dabam, Regiſque Tyranni
At Patriæ iuxta obſequiis Hiſpane rependis.

FLorentius de Montmorency, Baro Luſæ & Montigny, Gubernator Tornacenſis, Eques aurei velleris, Comitis Hornani Frater eximiæ virtutis ac ſapientiæ vir, amiſſo in Hiſpania non abſque ingenti dolore collega ſuo, cum intellexiſſet magnos in Flandria motus exortos, nec ignoraret plurimos in Tornacenſi ditione, cuius ei cura commiſſa erat, rerum novarum auidos eſſe, poſtulauit à Rege vt quoniam Legatione ſua iam functus eſſet, redire In Provinciam ſuam permitteretur, vt præſens diligenter attenderet, ne quid detrimẽti acciperet. Cui reſpondit Rex, ſecum profecturum, quod plurimi brevi fore arbitrabantur, propterea quod plurimæ iam comparatæ inſtructæque annona, atque aliis neceſſariis naves erant, conſcriptus etiam miles, & Centurionum aliqui, qui comitaturi dicebantur, jam ad naves diſceſſerant, quodque ſummum erat, quia Pontifex Romanus huius profectionis gratia, proceſſiones ac preces inſtituerat: verum eadem quidem diſſimulatione quamquam alio eventu, qua Tiberius Romanos olim fefellerat, ſubditos ſuos decepit, qua propter non male Regis miniſtrorum aliquis, Mendoza nomine, miſſus ut curaret omnia, quo tenderet interrogantibus, reſpondit, ad hominibus illudendum. Vnam itaque dilationem alia excipiebat, donec commodo navigandi tempore elapſo, in ſequentem Maium dilata profectio, ex quo facile Montignij advertit, quo tandem res erupturæ eſſent; ſenſitque non ea ſecum, qua ſolitus erat benevolentia agere Regem, de quo etiam libere apud ipſum queri auſus eſt, ſe abſque culpa ſua ſuſpectum, ideoque quamvis Legatione, jam functum in Hiſpania retineri. Subinde poſtulabat à Rege, ſuppliciter etiam obſecrans, ut ſi quid eſſet quo ſe verbo vel facto ab ipſo læſam exiſtimaret Maieſtas ſua, ſignificare dignaretur, offerens ſe iturum in vincula, donec plene purgatus eſſet ab omnibus. Verum quidquid conaretur, nec impetrare quæ optabat, nec occultum Regis de ſe judicium elicere valuit: ſuave enim

ad hæc

ad hæc reſponſum dedit Rex, nihil minus ſe quam mali quidquam ſuſpicari, de eo, qui ſibi, patrique ſuo tanta fidelitate ſervierat: quantum vero ad reditum eius in Provinciam, ſequenti Maio ſecum profecturum. Cæterum hæ fictæ voces animo eius ſatisfacere non potuerunt, quin potius omnem redeundi ad ſuos, purgandique ſe aliquando ſpem ademere: adverterat enim arctius ſe cuſtodiri ſolito, & vetuiſſe Regem, ne quiſquam ullos ipſi equos exhiberet, denique nullam famulis ſuis liberam profectionem permitti. Cum hoc modo res eius haberent, ex miſſis ad ſe occultis amicorum ſuorum litteris intellexit, Comites Egmondanum & Horne fratrem ſuum, ab Albano Duce Bruxellis conjectos in vincula, nec ſibi aliud exſpectandum, niſi celerrime diſcrimen effugeret. Montignij tamen quamquam hoc triſti nuncio vehementer afflictus eſſet, maluit non tam ſua quam fratris atque amici cauſa, confiſus innocentiæ ſuæ, extrema perpeti, quam fugiendo calumniarum occaſionem inimicis præbere.

Vix hæc ſecum concluſerat, ecce tibi Baro de Selles, cuſtodum corporis Regij vice magiſter, domum eius ex Regis mandato circumdat, indicans illi ſe miſſum ut juberet ipſum cubiculo ſuo non efferre pedem, ad quem finem cuſtodiri cubiculum eius mandavit, juſſit præterea, ut arma deponeret. Elapſo uno aut altero die, data illi optio, num ad captivitatem ſuam, Segobianum, vel Toletanum carcerem eligeret: prætulit Segobianum, quia Toletanus inquiſitionis carcer erat, in quo verebatur de Religione accuſari. Non ita multo poſt, ne conceſſo quidem ad amicos ſalutandos ſpatio, ad prædictum Segobianum carcerem curru vectus eſt, quia equi jactationem afflicta eius valetudo pati non poterat, comitante Barone de Selles cum cuſtodibus & ſclopetariis, qui ipſum cuſtodi carceris tradidit, mandans ut omni cura & ſedulitate cuſtodiret.

Hic carceris Magiſter intellecta Regis voluntate, in præalta atque exigua eum turri collocavit cinctum octo

barbarorum plane militum cuſtodia, à quibus impudenter admodum habitus eſt, conceſſum tamen ut unum famulorum ſuorum, Artum de Munter Leodienſem, ſecum retineret, cui quoque omnis cubiculo egrediendi poteſtas ablata, aut colloquendi cum aliquo, niſi cuſtodiæ adeſſent: Montignij ipſe ſi medici aut alicuius alterius opera indigebat, non niſi coram carceris Magiſtro conferre permittebatur, ſimiliter omni litterarum, etiam ad ipſum Regem miſſione interdictum erat, niſi prius illas idem Magiſter accurate perlegiſſet. *Sæpius* queſtus teſtatuſque eſt gravem iniuriam, quæ captivitate illa non ſibi modo, verum univerſo etiam aurei velleris Equitum Ordini, cuius ipſe membrum erat inferebatur: inter alia enim huius collegij privilegia in quæ tanquam caput illius Rex juravit, hæc etiam comprehenduntur; neminem ex hoc collegio in vincula duci poſſe, niſi hæreſeos aut proditionis convictum, non niſi à duobus collegij fratribus de captivitate debere concludi, item ut non niſi ex fratrum numero ſex judices conſtituerentur. Intellexit tamen expertuſque eſt, ſecum, ea quoque privilegia oblivione ſepulta.

Hæc tamen adhuc ſpes affulgere videbatur, ut ad minimum ante judices aliquos, ad defenſionem purgationemque ſuam admitteretur: qua etiam omnino excidit, quod jam aliqui menſes elapſi eſſent, nec tamen quidquam huiuſmodi inaudiſſet: quapropter à Magiſtro carceris, non ſine multis precibus, ſummoque labore impetravit, ut ad amicorum ſuorum aliquos, aulicos Regis, ſcribere permitteretur, à quibus enixe poſtulavit, ut rem ſuam apud Regem ſuſcipere,& pro ſe jam afflicto tantum efficere ne gravarentur, ut precibus eorum permota Regia Maieſtas, quorum arguebatur, ſcripto conſignari purgationemque ſuam admitti vellet; quod ſi autem ea futura eſſent peccata erroreſque ſui, ut de iis ſe purgare non poſſet, ad promeritam ſeſe pœnam ultro ac lubens offerebat. Curavit præterea varios Regi ſupplices libellos exhiberi, quorum fere ſenſus hic erat.

Legatio-

Legationem à ſe nulla alia de cauſa ſuſceptam, quam quod requiſitus à Proceribus, ad Regis obſequium ſaluteque patriæ conatus ſuos obtuliſſet, nūquam ſe profectò eam ſuſcepturū fuiſſe ſi alicuius ſibi criminis conſcius eſſet, habere ſe domi iuvenculam conjugem, cui ſe non multo antè coniunxerat, quæ mariti calamitatem adverſamque fortunā deplorans, ſquallore ac lachrymis pœne confecta erat: Quapropter Majeſtatem ſuam omni demiſſione affectuque ſuppliciter orabat, vt ſibi (poſt triginta circiter annorum obedientiam, qua Carolo V patri eius, ſuæque etiam Majeſtati fideliter ſervierat, nec bonis nec corpori ſui vnquam parcens) hoc reliquum quod ſupererat vitæ, cum dilecta coniuge ſua tranſigere permitteret. Quæ quidem etſi oraret, nolle tamen condonari ſi quæ admiſiſſe deprehenderetur, ſed cupere ea ſibi proponi vt adhuc exiſtens in vinculis, purgare ſe, auditaque purgatione Regia Majeſtas ex voluntate ſua ſtatuere poſſet, quam Regis gratiam ſummi ſe beneficij loco habiturum. Interea autem (vt taceat locum captiuitatis ſuæ incommodum militumque quibus cuſtodia ſui commiſſa erat impudentiam, malitioſumque tractandi modum) quia vix, imo plane non ſuppeditabantur neceſſaria ad ſuſtentationem, petebat vt vel ex Hiſpania acciperet, vel ad amicos in Belgicam litteras dare permitteretur.

Plurimis litteris libelliſque ſupplicibus, hæc & ſimilia, tam ab amicis, quam à Rege poſtulavit, in ferendis autem iis famulorum ſuorum utebatur obſequio, quos non minus quam ante, extra carcerem tamen ſuſtentabat, ad quas ſupplicationes atque epiſtolas poſtquam diu multumque exſpectaſſet, nihil umquam reſponſionis accepit, deprehenditque tandem fruſtrari conatus ſuos. De Regis igitur Iuſtitia, benignitateque deſperans, & ad Divinam ſe convertens clementiam atque bonitatem, omnem ingenij ſui vim intendit, ut modum excogitare poſſet, quo ſe à miſerrima captivitate vindicaret, in quam inimicorum invidia, Regiſque levitate conjectus erat, ut

in ea calamitoſum ſpiritum perpetuo traheret. Non ignorabat plurimi intereſſe ad ſalutem, in primis vero ad famam ſuam, quæ graviter læſa erat, ſi aliquando perveniret ad eum locum, unde probare innocentiam ſuam, totique mundo patefacere poſſet, qua ratione ſperabat ad Regis etiam aures, quæ nunc inimicorum calumniis occluſæ erant, permanaturam integritaté ſuam. Verum quæ agitabat difficultate pleniſſima erant, imo vix perfici ullo modo poſſe videbantur: propterea quod in ſummo pœne altiſſimæ atque in edita rupe ſitæ turris cuſtodiebatur, quam triplex murus ambibat, clauſæque prægrandibus ferreis cancellis feneſtræ omnem exitum præcludebant. Cæterum artium Magiſtra neceſſitas (quam haud perperam ingeniorum cotem appellaveris) tantum apud ipſum effecit, ut media quædam exeundi captivitate excogitarit.

Totam igitur ingenij aciem omneſque animi nervos ad evadendum intendens, litteras ad ArchiMagirum ſuum uni è cuſtodibus pecunia corrupto dedit, hic vero litterarum ſenſus erat.

NVlli melius quam ipſi cognitam eſſe miſeriam ac calamitatem ſuam, in quam ſine ullo crimine meritoque ſuo inciderat, Poſtquam autem dubio procul adverteret conſumendũ ſe in hoc perpetuo ſquallore, niſi commodũ aliquod eripiendi ſui ex his miſerijs remediũ inveniret, induxiße in animũ, omnibus modis erumpere ex vinculis; nec dubitare ſe de ſperato eventu, modo operam tantum ſuam ad Magiſtri ac Domini ſalutem commodare vellet, aſſumpto ad auxilium Antonio vanden Beecke ſecretario ſuo, eximiæ prudentiæ ac fidelitatis adoleſcente. Quod ſi optatum exitum conatus ille ſortiretur, multa quidem ventura ad ſe emolumenta, id vero in primis quod cognita hominibus ac præſertim Regi, cauſæ ſuæ iuſtitia, adverſariorum ſuorum calumniæ falſæque delationes, quibus famam nomenque ſuum laceraverant, in caput eorum reciderent. Modum autem euadendi quem excogitaverat, & quid fieri vel-

ri vellet, tum demum collaturum cum ipſis, quando de eorum ſibi voluntate conſtaret, confidens interim de fide ac taciturnitate ipſorum,

Antonius hiſce ab Archimagiro intellectis, operam ſuam & quidquid in poteſtate ac viribus ſuis eſſet lubens obtulit: Archimagirus vero ad litteras Domini ſui hunc in modum reſpondit.

SVmmi diſcriminis eſſe negotium, non quidem Domino ſuo, cuius conditio peior futura nō erat ſi detegeretur ſed adiutoribus & conſcijs, quibus præſentiſſima pericula imminebant: Dominorum autem moris eſſe, quamquam ſumma famulorum ſuorum obſequia facile obliuiſci, minimorum vero delictorum perpetuam eſſe memoriam. Se itaque cupere certæ mercedis promiſſionem, ne gratis [illegible] ſuam in diſcrimen exponat.

Montigny haud parum offenſus impudenti petitione auari hominis, nihilominus reſcripſit ad eum ſumma humanitate quæ ſequuntur,

Si crederet Archimagirus, patriæ in ſe nobilitatis eſſe imaginem, zelumque nominis ac famæ ſuæ, crederet quoque bonorum ſuorum participes facturum eos, quorum in tanta ſua calamitate obſequium fidelitatemque ſenſiſſet.

Admonuit præterea Montigny Archimagirum, vt in poſterum litteras ſuas corrupto cuſtodi ne traderet, ſe longe ſubtilius excogitaſſe remedium; ſcilicet vt incluſas cocto pani cubiculario daret ad ſeſe perferendas: quod vt abſque ſuſpicione vlla fieret, impetrarat à Magiſtro carceris, vt parato ſibi à coquo ſuo pane veſci poſſet, queſtus Hiſpanicum nec ſtomacho nec palato ſuo acceptum eſſe. Inductus grandi promiſſione Archimagirus operam ſuam enixe pollicitus eſt.

Certus de fide illius Montigny, iuſſit vt ſignificaret Antonio ſecretario ſuo, vt parvas quaſdam limas Madriti compararet, eaſque incluſas panno, ſigilloque munitas, quaſi pecunia eſſet, per cuſtodem ad ſe mitteret.

teret.

teret. Quo magna celeritate ac prudentia effecto, Montignij cubicularium ſuum Artum de Munter, raræ fidelitatis adoleſcentem, negotij totius conſcium, inſtruxit, ut cuſtodes milites liberalius quam ante ad menſæ reliquias, pictarumque cartarum atque aleæ luſum (quo Hiſpani delectantur in primis) invitaret, donec ipſe ferreis clatris lima perruptis, corpori ſuo viam patefaceret.

Continuata diebus aliquot hac ratione, jam fere clatri fracti erant, quod ut fugeret intuentium oculos, concolori ferro cera locum obduxit. Quando autem cuſtodes cubiculum ingrediebantur ſtabat ad feneſtram, corporeque ſuo aſpectum eis cancellorum adimebat. Miſit præterea ad Archimagirum bacillum ſimilem plane ruptis clatris, ad cuius exemplar tanta conformitate ex ferro fieri curavit, ut vix ab ipſo Montignij diſcerni poſſet, & ſub carbonibus ad Dominum ſuum miſit.

Quo accepto Mótignij, perfectoq; opere ſuo, in prioris locum, recés ferrum tanta dexteritate impoſuit, ut facillime quando libuiſſet poſſet auferri. Antonius deinde Domini ſui juſſu breves ſcalas confici curavit, ut cónecti invicem valerent, levitateq; ſua hominis unius humeros non onerarent, coëmerat præterea Archimagirus binos equos, mulaſque totidem, quæ celeritate equis non multum concedebant, & congregarat quantum potuerat nummorum, ad expéſas itineris. Dubitabat adhuc Montignij, quorſum fugam ſuam, num in Galliam, an vero in Luſitaniam dirigeret: propior quidem Luſitania erat, ſed ut latere in ea ſecure poſſet verebatur, propterea quod inter Philippum, Luſitaniæque Regem non arcta modo amicitia, ſed cognatio etiam, ſanguiniſq; coniunctio intercedebat: Gallicum vero iter, ut prolixius, ita etiam periculoſius erat, præſertim quod curſoribus, qui propter Belgicæ tumultus, crebrius ſolito, ultro citoque commeabant facie notus eſſet. Poſt multas tandem deliberationes, variaque conſilia, de inſtituendo in Galliam itinere concluſit. Rebus ita conſtitutis, negotij in quo ſua Dominique ſalus agebatur cura apud Archimagirum efficere non potuit ut libidinibus ſuis frenum

iniice-



N° 1.

RPJCB

iniiceret; quippe centum plus minus, ex congregata ad Domini ſui liberationẽ pecunia, cũ meritricibus ducatos abſumpſit, eoq; trium fere mẽſium negotio morã iniecit. *Ingens malum libido.*

Interea ex Belgicis nũcius advenit, ComitẽEgmõdanũ Comitemq; de Horn fratrẽ Montignij ſupplicio capitis eſſe affectos, quod ut ne reſciſceret, ex mandato Regis Magiſter carceris quamquã omni ſtudio curaret, certior tamẽ factus eſt, ab Antonio, qui tanto alacriori ſtudio ac diligẽtia, cũ Archimagiro in Domini ſui ſalutẽ incubuit.

Non ita multo ante in Hiſpaniam advenerat Hanoius quidã cognomine Prutenus, tum vidẽdæ cauſa regionis, tum ut cum Mõtignij aliquãtum verſaretur, quia à fratre ipſius, VVaſtẽſis in Arteſia Monaſterij Abbate, plurimos annos ſumma humanitate habitus fuerat. Huic Archimagirus Domini juſſu, rẽ totam aperuit, rogans ut auxilium ſuum nobiliſſimo juxta ac innocentiſſimo viro ne denegaret, eo præſertim tẽpore, quo maxime illius indigebat, certus, ſi umquam evaderet, non ingratũ aut beneficiorum immemorẽ fore. Volebat Mõtignij, ut Hanoius iſte præcederet ad locum, qui Erna dicitur, ab Hiſpaniæ Galliæque confinibus diei unius itinere ubi opera eius, veredariis ſcilicet nunciis ignoti, uſurus erat. Quam in ſe curam Hãnoius, tam ſpe mercedis, quam affectu miſerationis commotus lubens ſuſcepit.

Perfecta jam erant omnia, nec quidquã reſtabat aliud, quã ut ex Archimagiri ſignificatione, Montignij evadẽdi tẽpus adverteret. Cõvenerant inter ſe, ut Archimagirus in valle juxta carcerẽ, in quã facilis proſpectus erat, ſecunda poſt meridiem hora de ambulans, ſudario ſuo tanquam refrigerans ſeſe vultum percuteret, tumque intelligeret Montignij, ſequenti nocte è feneſtra deſcendendum, quo pacto dubium non erat, quin uſq; ad ſequentẽ meridiem fuga occultaretur: cubicularius enim, aliquot ante diebus impetraverat à cuſtodibus (quibuſcum ſuavi atq; amicà converſatione amicitiam cõtraxerat) ut nemo ante undecimam horam cubiculũ ingrederetur, eo quod Dominus ſuus (ut finxerat) reliquiis morbi vexatus, noctes inſom-

nes

nes duces non niſi cum Aurora indormiſceret, provideq; nihil ipſi magis eſſet adverſum, quam ſi matutino tempore turbaretur. Idem ille cubicularius promiſit ultro, ſe poſtquam Dominus evaſiſſet, quamvis cum præſenti diſcrimine eo loco manſurum: Dignum profecto æterna memoria, ſummiſque laudibus, veræ famuli erga Dominum fidelitatis exemplum, quæ quod ſperatum exitum ſortita non ſit, culpa illius accidit, qui quemadmodum ante libidine atque incontinentia ſua, ingentem impedierat ſpem, nunc eadem, omnino ſuſtulit, & ſeipſum juxta ac Dominum ſuum, alioſque omnes ſocios, in acerbiſſimam calamitatem miſeriamque deduxit. Hic fuit Archimagirus, turpiſſimum ſane Luxuriæ mancipium. Vtinam ſibi modo perniciem accerſiſſet? Conſtitutis jam omnibus, exſpectanteque ſignum Montignij, intempeſtiva ſedulitate (quam deinde turpiſſima negligentia corrupit) prolixis litteris, profectionem Hanoi vix tacito nomine, plurimaque alia Domino ſuo ſignificavit, quæſat cito, vacuus jam timore ac periculo percepiſſet. Panem qui litteras haſce incluſas habebat, quem cubiculario tradere conſuerat, per juvenem quendam miſit, qui eo in ciſta inter alios poſito confeſtim diſceſſit, ipſe ad templum ſe contulit, nulla quidem religione permotus, ſed ut dilectas à ſe mulieres quaſdam ſpectaret, adeo parum prioris culpæ ſuæ meminerat. Paulo poſt diſceſſum adoleſcentis, carceris Magiſter, ad ciſtam acceſſit, acceptúque panem diſcidit, non quod ſiniſtre quidquam ſuſpicaretur, ſed ut exploraret, num ſufficienter percoctus eſſet: ſolitus enim erat, eo quod libenter veſceretur his panibus, unum aut alterum ſecum accipere. Deprehenſa epiſtola, in exclamationem tantæq; proditionis ſtuporem erumpens, vetuit confeſtim, quemquam famulorum Montignij turri excedere, intellectoque, captivi cuiuſdam Hiſpani qui Gallice noverat interpretatione, epiſtolæ argumento, è veſtigio illam ad Regem perferri mandavit.

Egregiæ fidelitatis exemplum.

Summa Archimagiri incuria.

Montignij conatus pateſiunt.

Peracto prandio nihil minus ſuſpicans Archimagirus

venit ad carcerem, ubi ſubito comprehenſus, & in vincula coniectus eſt, alij deinde famuli Montignij capti & poſt paucos dies, ex aula, Iudex advenit, qui ad cognoſcendam negotij totius veritatem, omnes quæſtioni ſubiecit, incipiens ab Archimagiro, qui primum ſtrenue negatis omnibus, victus poſtmodum acerbitate tormentorum aperuit, Hiſpanum cuſtodem corruptum pecunia, fabrum qui clatra contulerat, ad hæc pauperem quendam, quo Hanoius duce itineris uſus erat. Hi omnes ducti in carcerem; bis ab Antonio tormentis quæſitum, ipſe coquus quoque quamvis conſtanti aliorum confeſſione omnium rerum ignarus dicebatur, ex pollicibus ſuſpenſus eſt: præcipua tamen tormentorum crudelitas in Hiſpanum cuſtodem deſæviit, qui etſi præcipuam negotij rationem ignoraret, victus tamen acerbitate quæſtionis nota pariter & ignota fatebatur. Eodem illo tempore Hanoius cuius nomen ſtatim ut apprehenſus erat Archimagirus, abſque ulla neceſſitate effutierat ex Fonterabia ad carcerem adductus eſt. Hunc Hanoium Iudex, initio plenus minarum, gravitatemque tormenti ponens ob oculos, juſſit totius ab ipſa pueritia vitæ ſuæ rationem reddere, qua audita cum ex eius aliorumque verbis intellexiſſet, non eſſe tantam delicti eius quantam exiſtimaverat gravitatem, nulla maiori pœna affectum, rurſus miſit ad carcerem. Debachante hoc modo adverſus miſeros hos mortales Iudice, Montignij quem non tam propria quam ſervorum ſuorum calamitas afflixerat, per nuncium à Iudice oravit, ut clementius agere vellet, non eſſe tantam delicti gravitatem in ſervis, qui ad Domini ſui liberationem ac ſalutem, operam diligentiamque ſuam commodarant, ad hæc ſtetiſſe mandatis eius cui obedientiam debebant, ſuam eſſe ſolius culpam, ſibi pœnam deberi, ad quam ſe lubens offerret, modo famulis parceretur. Cum à Iudice repulſam eſſet paſſus, idem à Rege ſed fruſtra poſtulavit. *Miſericordia Montignij erga famulos ſuos.*

Iudex interea confeſſione uniuſcuiuſq; ſententiaque ſua ad Regem perſcripta, paucis deinde diebus ſenten-

tiam punitionis ex Aula accepit. Prima erat corrupti pecunia cuſtodis: hic matutino tempore, audito ſacro, expiataque confeſſione conſcientia, indutus alba veſte, ac pileo, cui quatuor rubræ cruces appictæ erant, aſino vectus ad ſupplicij locum more Hiſpanico ſæpius Regis de ſe ſententiā declamans ſuſpenſus eſt. Eodem die poſt meridiem eductus è carcere piſtor Iohannes Magirus, aſino quoque impoſitus, manibus ac pedibus ligatis, per vrbem vectus eſt, proclamantibus ſimiliter delictum eius præconibus, atque interea vltra ducentos ictus lato ac nodoſo corio excepit, adeo vt de tam triſti ſpectaculo ipſi etiam Hiſpani non mediocrem dolorem acciperent. Additum præterea ſententiæ erat, vt quinque annorum ſpatio in triremibus laboraret, pœna certe quæ mortem excedit, quam tamen videtur euaſiſſe, eandemque cum ſocijs ſuis habuiſſe fortunam.

Supplicium eorum qui ad fugam Montigny conſpirarāt.

Pauper ille qui ſe ducem itineris Hanoio præbuerat, perpetuo exilio multatus eſt: faber qui clatra confecerat ad duorum annorum ſpatium relegatus, damnatuſque præterea quadraginta ducatorum ſumma. Archimagirus, Antonius vander Beeck, Artus cubicularius, & Hanoius pariter ducti ad iudicem, ſententiam quoque ſuam audiuerunt, videlicet vt per conſueta vrbis loca more ſolito ad ſupplicij locum deducti iugularentur, omnibus eorum bonis ad Regium fiſcum redactis. Cæterum ſiue timoris tantum cauſa pronunciata ſententia ſit, ſiue quod ad Regem appellarit Antonius, effectum ſortita non eſt; coniecti tamen ſunt in alium carceris locum tenebris ac pedore ſquallentem: quippe Magiſtri carceris iuſſu, vna ſolum excepta, omnes feneſtræ calce ac lapidibus occluſæ erant, in hoc tetro horrentique loco ſedentes, ſingulis horis carnificem, aut quid grauius exſpectabant: Magiſter enim, vt tam aures quam oculos eorum affligeret, ſæpiſſime eos pœnæ quæ ipſos manebat acerbitate, ſæpe etiam famis extremæque inediæ terrore perculit: vetuit quoque, ne ad vllum mortalium litteras aut nuncios mitterent, quamquam cum non fu-

geret, nihil ipſis reliquum eſſe, quo ſe abſque aliorum hominum auxilio ac benignitate ſuſtentarent. Eadem fere tempeſtate duorum quos ad aſſequendum Hanoium carceris magiſter miſerat, qui enormia quædam ac falſa de Hanoio ſparſerant inſignis punitio omnibus exemplo fuit, quorum unius interiit, alter graviſſimo ad mortem uſque morbo percuſſus, ac paulo deinde poſt mortuus eſt. Advocatus præterea qui in cauſa ſervorum Montigny non ea qua par erat fidelitate ſe geſſerat, mentis ſuæ factus impos inſania correptus eſt; quod vero admiratione inprimis dignum videtur, Luſitanus quidam adoleſcens, cuius opera Montigny in coëmendis quibuſdam rebus ſæpe uſus erat, quique ſubinde ipſi nummos ſurripuerat, ſeipſum in puteum quendam præcipitans infelicem ſpiritum emiſit. Quæ univerſa, quindecem fere dierum ſpatio accidere, nec dubium eſt quin unuſquiſque illorum longiorem ſibi quã Montigny famuliſque eius vitam promiſerit: ſed abiectæ fortunæ non parvum habent divinæ juſtitiæ exemplum.

Inſignis aliquorum punitio à Deo.

Elapſis aliquot hebdomadis, Montigny permiſſione Magiſtri, cuius tandẽ animum aſſiduis precibus aliquantum emollierat, famulis ſuis per nuncium ſignificavit, quanto ſibi calamitas illorum dolori eſſet, quaque cura ac ſollicitudine, de negotio illorum cogitaret; civitatis quoq; Epiſcopum, precibus ſuis inductũ, egiſſe cũ ſuperiore ut aliquam ipſis mitigationẽ impetraret, ſed ſurda aure omnes ab eo preces eſſe præteritas, nõ dubitare vero ſe, quin divina Bonitas ac Clementia, miſericordi oculo calamitates illorum adſpiciens, Regis animum aliquãdo commotura eſſet, quod vero ad ſeſe attineret, ſi unquam illo tempore accideret, ut emergat ex hac calamitate ac miſeria, nunquam commiſſurum, ut præſtitam ſibi in adverſitatibus ſuis operam ac fidem vel obliviſcatur, vel nõ omni qua poſſit liberalitate ac magnificẽtia remuneretur: quapropter admonebat illos, ut ne animo cõciderẽt, nec abiicerẽt ſpẽ, ſed inſigni fortitudine ac patientiã feliciorẽ exitum exſpectarẽt. Hæc quidẽ generaliter omnibus, Ha-

Famulos per litteras conſolatur Montigny.

Eximia gratitudo & bonitas Montignij. noio autẽ ſingulariter mandavit, ut libere peteret omnia quorum ipſi vſus eſſet, promittens ſe quantum poſſet haud aliter ac pro fratre curaturum. Hæc autem Montigny magis bonitatis quam fortunæ ſuæ memor: vix enim pretioſiſſimarum rerum ſuarum oppignoratione, vitam ſuſtentare poterat, ex ea etenim pecunia quã non abſque ſummo labore corraſerat, dum in famulorum Montigny negotio verſaretur. Iudex, vnius menſis ſpatio (liberalis alterius opibus) trium fere millium Ducatorũ ſummam abſumpſerat.

Magiſter carceris, conceſſa Montigny, famulos ſuos per nuncium alloquendi poteſtate, ipſis etiam permiſit, vt quendam ad Aulam mitterent, ad conſtituendum nomine ſuo Advocatum Procuratorem, qui cauſam ipſorum vrgeret. Qua in Conſilio Ordinum (ad id enim remiſſi erant) propoſita, perpetuum ea de re ſilentium indictum eſt, & quod longe miſerius erat, pronunciatum, ipſorum à Iudice ad Regem appellationem nullius ponderis eſſe futuram; punitionemque Regis quamquam dilatam non tamen ablatam eſſe. *Dura Ordinum, in cauſa famulorum Montignij ſententia.*

Non ita multo poſt captivi ex Segobiano carcere comitante ſatellitum turba, ad alium deducti ſunt, quem patria lingua Torre de Velaſco appellant, juſſumque nomine Regis carceris Magiſtro, ut in altiſſima turri concluderet captivos, additis quatuor cuſtodibus, atque ut inibi ſumptibus Montignij ſuſtentarentur, præterea ũt nulli niſi quatuor cuſtodibus ad ipſos pateret acceſſus, deinde ut ne minimam quidem cauſæ ipſorum fieri mentionem permitteret, nec ullas ab ipſis epiſtolas ad quoſcunque etiam deſtinari. Ad hæc nihil ipſis in turri præter nudos parietes relictum, non ſtramen aut quicquam ſimile, quod feſſo corpori ſuo ſupponerẽt: attritæ erant veſtes ipſorum, & jam hiems inſtabat, vix tantum pecuniæ ſuppetebat, ut quæ ad frugalem ac modicam ſuſtentationem neceſſaria erant coëmerent, propterea quod ſumma tum temporis annonæ caritas Hiſpanias afflixerat. Taceo continuas iniurias, contemptum, &

contumelias, quibus eos cuſtodes milites appetebant, excogitatæque minæ, quibus ipſis terrorem ſtudebant incutere, aliaque infinita.

Ipſi itaque ab una in alteram delapſi miſeriam, non adeo mortem, quam perpetuam captivitatem horrebant: nullum enim ita acerbum ac miſerum mortis genus excogitare poterant, cum quo non teterrimum hunc carcerem, duriſſimamqne captivitatem commutarent. In hac deſperatione ſalutis, cum aliquanto tempore hæſiſſent, unde minime cogitarant ſpes tandem affulſit.

Accidit enim ut in Novembri, Anno 1567 Luſitaniæ Princeps, Philippi Regis ſoror, & Sebaſtiani Luſitaniæ Regis Mater, illac tranſiret ad viſendum fratrem ſuum proficiſcens. Quod ut à captivis Montignij famulis intellectum eſt, concuſſione catenarum & compedum, clamoreque ac miſero ululatu, ingentem ſtrepitum excitarunt, quo commota Princeps, ut de captivorum ſtatu ac conditione ſciſcitaretur, cumque intellexiſſet Flandros eſſe, quos fidelitas erga Dominum ſtudiumque eius captivitate liberandi, in hanc calamitatem induxerant, Domini de Montignij gratia, atque exiguæ illorum offenſionis intuitu, pollicita eſt effecturam apud fratem, ut vinculis eximerentur, quod facile perfecit.

Exiguo temporis ſpatio interiecto, celerrime ex aula nuncius advenit, cum Regiis ad carceris Magiſtrum mandatis, ut ex templo famulos Montignij ereptos vinculis liberos abire permitteret, niſi mille argenti librarum multam optaret incurrere.

Quod ut primum accepere captivi, res ipſis miraculo ſimilis, omnique fide maior viſa, ut quæ præter omnem penitus ſpem atque exſpectationem accideret. Cum tamen certius intellexerunt ſerio agi ſecum, tanquam è mortis faucibus exſurgẽtes manãtibus gaudio lacrymis, ſe mutuo amplexantes, voluptatẽ ſuam feſtis gratulationibus, gratiiſq; divino numini decantandis indicarunt.

Dominus de Montignij factus certior de libertate famulorum, ab amicis ſuis corraſam pecuniæ ſummam ad

 ipſos

ipſos per novum Archimagirum Hiſpanum viatici loco miſit, ſignificans unà lætitiam ac voluptatem, quam ex eorũ libertate hauriebat. Idẽ Archimagirus litteras ipſis dedit ad Dominã de Montigny uxorẽ Domini ſui, ſororẽ ac filiam Principis d'Eſpinoy, & Davitorgh, ex familia Melunenſi, quibus rogabatur ex bonis ſuis in Belgica, annuos reditus famulis ſuis cuiq; pro merito, in obſequij, fidelitatis, dolorumq; ſuorum compenſationem largiri.

Quod grati animi mutuæq; benevolentiæ teſtimonium (habita præſentis ſtatus ſui ratione) æqui bonique conſulerent orabat, maiora pollicitus, ſi unquam ex miſera hac conditione emergere contingeret.

Qua gratitudine affectuque animi hoc liberale Domini ſui beneficium acceptarint, quamque intimis ſenſibus ac propenſa benevolentia commendarint novo Archi-Magiro curam eius, verbis efferri vix poteſt.

Elapſi hoc modo ex Hiſpania famuli, cum in Belgicam veniſſent (excepto Hanoio qui in Italiam diſceſſit) promiſſum à Domino fidelitatis ſuæ fructum exſpectabant: verum quia Albanus Dux qui tum temporis cum poteſtate præerat, quidquam iis concedi vetuerat, ſpe ſua fruſtrati ſunt, iiſque præterea Bruxellenſi Vrbe ſub pœna capitis interdictum.

Hic famulorum Montigny miſeriæ calamitatiſque exitus fuit. Montigny vero ipſius (ut ad eum redeamus) non niſi morte finis impoſitus. Ab eo tempore quo conſilia illius patuere, nunquam in cubiculo ſolus abſque cuſtodibus erat: qui diu noctuque alearum ludo intenti, clamoribus ac rixis ſuis omnem ipſi quietem adimebant, rogatique ab eo ut paululum Abſtinentes à tumultu, quietem indulgerent, dixere conſtitutos ſe, non ut ipſius mandato, ſed Regiæ voluntati parerent, adeoque ut ægre ipſi facerent, quanto magis orabat, tanto pertinacius obſtrepebant.

Cum diu hoc miſero ac calamitoſo ſtatu, ſqualore ac pedore confectus Montigny ægrum ſpiritum traxiſſet, aliqua tandem juſtitiæ umbra, æquitatiſque color apparuit,

fuit, acta videlicet cauſa eius, intentatoque crimine Majeſtatis, de more conceſſum ut Patronum eligeret.

In hac tamē ſimulatione juſtitiæ, ſumma injuſtitia erat; tum quia ad Belgicū tribunal remiſſa cauſæ cognitio, tū etiam quia affirmāti Advocato nihil ſibi eſſe quod ad objecta reſponderet, niſi conſultaſſet cū Montigny, ab eoq; totius negotij ſtatū eſſet edoctus, nihilominus reſpondere ad criminationes incōſultò reo coactus eſt: elapſo deinde menſium aliquot intervallo, cum receptis à Montigny litteris probe inſtructus, audiri defenſionē poſtularet, repulſam paſſus eſt, eo quod ut inquiebant prima reſponſio, cum actis omnibus jam in Hiſpaniam miſſa eſſet. *Agitatur cauſa Montigny ſumma iniquitate.*

Interea Anna Auſtriaca Maximiliani Imperatoris filia Anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo, in Belgicam ſecundo Rheno deſcenderat, cōmmodum in Hiſpaniam navigationis tempus exſpectans, ut matrimonio, Regi Hiſpaniarum Philippo jungeretur; ad quam Comes de Horne mater Montigny, uxor quoque eius, cum aliis ingreſſæ, procidenteſque ad genua ſuppliciter poſtularunt, ut apud Regem ſponſum interceſſione ſua opitulari innocenti captivo dignaretur; ſumma vero humanitate ac benevolentia Regina promiſit, primam illam apud ſponſum ſuum petitionem fore: qua benignitate promiſſoque Reginæ, mirum quantum miſerrimi Montigny parentes atque amici recreati ſint, minime ignari, hanc unicam liberationis ac ſalutis ſpem ſupereſſe. *Annæ Auſtriacæ in Belgicam adventus.*

Quod cum Albanus Dux inaudiſſet, cui præter ingenitam crudelitatem veteres cum captivo inimicitiæ erāt, prævenire atque evertere negotium in animum induxit. Scriptis igitur ad Regem litteris, de prima ſponſæ futura petitione edocuit eum, adjungens nullum præſtantius occurendi excogitari poſſe remedium, quā ut quocunq; modo interficeretur; neque enim honeſte primas ſponſæ ſuæ preces abnuere poſſe, nec abſque periculo Montigny in libertatem aſſerere. Sanguinolentum hoc Albani Ducis conſilium Regi placuit, quapropter ex Segobiano carcere in Sumancanam arcem adducto, antequam *Sanguinolentus Albani Ducis animus.*

appelleret Regina, venenum oblatũ eſt, ab ephœbo quodam (ut ex propria ipſius confeſſione poſtmodum conſtitit) quo venis concepto, ardentiſſima febri correptus, interiit initio Octobris Anno milleſimo quingenteſimo & ſeptuageſimo. Martio ſequenti, Anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo primo, in Belgica ab Albano Duce illius pronuntiata ſententia, omneſque fiſco adjudicatæ facultates. Nullas omnino proles præter unicam filiam reliquit, quæ in puerili ætate mortua eſt apud Vxorem eius, quam paulo ante ſuum in Hiſpaniam diſceſſum duxerat, Principis d'Eſpinoy, & Vice-Comitis Gandenſis ex Melunenſi familia ſororem, quæ poſtmodum nupſit Domino de Floyen, ex Barlaymontiorum progenie, qui deinde factus Comes de Barlaymont, poſt uxoris mortem, cum Vnica Comitis de Lalain hærede ſe coniunxit.

Medio illo tempore, dum Legati, de quibus egimus, in Hiſpania detinerentur, univerſæ in Belgica res in deterius lapſæ erant: Speraverant enim, exſpectabantque generalem Ordinum congregationem, ut de edictorum mitigatione tractarent: poſtquam vero intellectum eſt, ſecreto in Aula moderationem eſſe confectam, miſſamque in Hiſpanias ad Regem, ſpes in deſperationem, voluptas in dolorem, averſionemque mutata eſt. Convocabantur nihilominus Provinciales Ordines, atque Conſilia, ſeparatim in ſuis quæque Provinciis, idque tam exigua manifeſtatione libertatis, ut electis quibuſdam, plurimi omitterentur, qui eo quoque pertinebant, unde vehementer aucta ſuſpicio, præſertim quod quibuſdam congregatione eiectis, alij cogerentur ad conſenſum, nec quicquam, niſi urbium tantum ſuarum magiſtratibus communicare permitterentur.

Accedebat quod iis primum quæ minimæ libertati aſſuetæ erant Provinciis nova diplomata monſtrarentur, relictis iis quæ maxime pro libertate pugnaverant, ut videlicet Batavia, Friſia, Geldria, Luxemburgenſi, Limburgenſique Provincia, Zelandia, Tranſiſelania atque aliis

(quo

(quæ nunquam deinde ſuper hoc negotio convocatæ ſunt) Brabantia quoque & Flandria, ut quæ in omnibus conventibus primum locum obtinuerant.

Quamquam vero omnibus modis tam moderationis articulos, quam Ordinum conſiliorumque ſententias, occultare niterentur, reperiebantur tamen non nulli, quorum ſubtile ingenium atque acutam indagationem nihil eorum quæ tractabantur effugeret; in primis poſtquam ſtatibus atque Ordinibus Flandriæ conſtare cœpiſſet, qui eo quod plena difficultatis cuncta reperirent, quatuor primum deinde octo dierum dilationem petivere: deinde autem cum adverſum eſt illos abſque reliquorum patriæ membrorum rogata ſententia, quod patrio more receptum erat, ſtatuiſſe, ingentis ſubito quæ in populo exorta eſt perturbationis ſparſi affixique plurimis locis famoſi libelli teſtes exſtitere, quibus adverſum eandem moderationem oſtendebatur nullius eam ponderis aut momenti, nec ipſis diplomatis eſſe meliorem, latere ſub ea crupturam paulo poſt, manſuramque in flore ſuo inquiſitionem, hæc eorum qui Cardinalem ſectarentur commenta (quorum nomina exprimebantur: ut præter Granvellanum, Præſidis Viglij, Præpoſiti Morillon, Decani Ronſenſis, Lovanienſium Theologorum, Paſtorum ac Monachorum) adverſari promiſſioni factæ Nobilibus, immunitatibus patriæ, in qua ſimilis Ordines congregandi ratio nullis unquam temporibus viſa eſſet, addita proteſtatione, nec valere nec vocari conſenſum poſſe, qui eo modo exprimeretur, atque exhortationibus ut adverſum ea ſeſe patriæ amantes obiicerent, neque paterentur Regem & Gubernatricem in poſterum falſis inſtructionibus à recta ſubditos ſuos tractandi ratione deflectere, idque inimicorum patriæ opera, quos ut tales Duci in vincula caſtigarique jam pridem oportuerat; ſequebantur coronidis loco aliæ quædam fortiores rationes, exclamationeſque ad ſeditionem inſtitutæ, quæ nullis unquam ex Aula mandatis impediri valuerunt: quanto enim plura

fortioraque edicta ex aula veniebant, tantomagis libellorum indies numerus augebatur, quérebanturque frequentius populum libertate ſpoliari, vetarique non in Conſiliis modò Provinciarum atque urbium, verum omnibus in locis aperire veritatem, & eam quidem in qua omnis patriæ ſalus fortunæque verſantur. Vt verbo dicam hac conventus Ordinum Generalium recuſatione, rurſus cœperant redire perturbationes, murmurationeſque ac tumultus populi, qui ante oblatum à Nobilibus ſupplicem libellum Patriam univerſam afflixerant, atque id præterea mali acceſſerat, quod jam nihil omninò remedij, aut ſpei alicuius ſupereſſe videretur, poſtquam inſignis adeo Nobilium congregatio, preceſque illorum & ipſis facta promiſſio nihil quidquam auxiliari potuiſſent, & quod aperte conſtaret minime eſſe Aulæ mentem (vel ſaltem impediri ab aliquibus) ut Generalium Ordinum congregatio (unicum harum perturbationum remedium) permitteretur, quandoquidem nec nobilium preces, nec diverſarum Vrbium deſideria, neque multorum Dominorum qui primum etiam in Conſilio locum obtinebant judicium atque ſententia, id hactenus efficere potuiſſent, atque ita omnem rationem ac media ſublata eſſe ſperandi, obſervatum iri ea quæ nobilibus promiſſa erant, liberandoſque populares odioſa inquiſitone ac perſecutionibus, mitigandumque ſervitutis duriſſimum onus, quo conſcientiæ mortalium hactenus oppreſſæ jacuiſſent; quapropter qui ſecus de Romana Religione ſentiebant, deſperatione afferati, malebant libere ſeſe opponere, fidemque ſuam aperte fateri, quam in talibus anguſtiis ultra verſari; quotidianus igitur conventibus ſuis ac prædicationibus in lucem atque hominum oculos incurrebant, eoque ampliori acceſſione cumulabantur, quod alij etiam qui intergri adhuc exſtiterant hac agendi ratione offenſi, ab eorum averterentur doctrina, quos tot calamitatum auctores incentoreſque cernebant.

Plurimum etiam momenti attulit ad defectionem multo-

multorum, quod eodem Aprili menſe, quo neminem ob religionem amplius perſequendum, aut ſuſpendendam ſaltem ad Regis uſque reſponſum perſecutionem promiſſum erat, miſſum publicatumque ubique ſit mandatum, ut exules univerſi confeſtim excederent, niſi trahi in vincula & abſque omni ſpe veniæ puniri mallent, jubendo expreſſe Iuſtitiæ miniſtris, ut ſub pœna incurrendi punitionem exulum, apprehenderent omnes quotquot adverſus hoc interdictum deliquiſſe adverterent, & abſque omni mora in caſtigationis executione procederent. Quæ univerſos pariter tam nobiles quã ignobiles offenderunt, factumq; ut inducerent animum, nunquam fore ut ſervarentur quæ promiſſa erant, in primis vero cum ex horum mandatorum vi atque autoritate, complures variæ dignitatis atque ordinis mortales apprehenſi ſunt, quamquam non in jure ſententiiſque judicum multati exilio, verum abſentes modo proclamati aut religionis perſecutioniſque cauſa notati eſſent: quorum deinde liberatio haud ſane exiguo labore ſtetit. Hiſce præſertim Nobilium animi offenſi, quibus irrogabatur iniuria, violabanturque promiſſa; præſertim quod aliquibus locis capitali pœna fuerat punita religio, ut inter alios Aldenardæ in Iohanne Tiſkaen.

Edictum adverſus exules.

Huic Nobilium juxta ac plebis offenſioni, haud exiguus fomes acceſſit, quod ab ipſo ſtatim initio plurimis minimeq; obſcuris ſignis appareret, cœptum congregationéq; Nobilium, quæ adeo ſalutaris populo videbatur ægre in aula iniquoq; animo eſſe ſuſceptam, ideoq; confœderatis quacunque fieri poſſet ratione noceri, adeo ut inde cõſtare videretur, nihil omnino boni cum illis agitari, quo impellebantur amplius ut attenderent accurate, conſultarentq; cum aliis, quid ſibi in hoc negotio facto opus eſſet: quotidie itaq; magis magiſq; numerũ vireſq; ſuas augere ac ſolidare nitebantur. Regis quoq, litteræ ſextæ Maij ad varias civitates ac Provincias miſſæ, nihil plane cõſolationis aut remedij adferebãt: propterea quod nimium generalis ſenſus illarum, tantum affirmaret,

Regis litterarum ſenſus.

ſperare Maieſtatem ſuam, brevi ſe adfuturam in Belgica, atque hortaretur ut quoniam non deeſſet unquam invidorum, rebuſque novis ſtudentium copia, qui falſis impreſſionibus Regiam mentem explicando, tumultu ac ſeditione cuncta miſcerent, ad Regis & ſubditorum incommodum, unde ſtudeant diteſcere, non committerent ut diligentia ipſorum requiratur in attendendo occurrendoque perverſis horum ac ſimilium conatibus, neque ſe ullius rei timore percelli paterentur, quemadmodum jam ſumma cum laude à pleriſque fieri cœptum erat, exſpectarentque ſuæ Maieſtatis adventum, qui brevi ipſis pro ea qua erga ſalutem ipſorum cura affectuque raperetur præſens aſſiſteret.

Poſtremo cum jam hæc de moderatione tractatio in Arteſia, Hannonia Namurcenſi Tornacenſiq; Patria, ac demum etiam Flandria confecta eſſet, minime convocatis ſive ante vel poſtmodum aliarum Provinciarum Ordinibus: Tandem etiam Gubernatrix convocatos Brabantiæ Ordines pridie Kalendas Iunij hunc in modum allocuta eſt.

QVemadmodum Domini, nihil in hac vita maioris momenti ac ponderis excogitari poteſt ad ſalutẽ noſtram, quam antiquæ Religionis fideique Chriſtianæ ſincera obſervatio, Principes Patriæ huius ſummo ſemper loco eius curam habuerunt. Inter alios inprimis excelſæ memoriæ Imperator Carolus & veſtigijs eius inſiſtens poſt ipſum Clementiſſimus Dominus noſter Rex, obluctãtes omni conatu ac ſtudio hæreſibus & ſectis, quas quotidie pullulare atque inficere veræ fidei religioniſq; ſinceritatem videmus, tanta multitudine ac copia, vt neque iniri numerus illarum, neque diſcerni invicẽ, aut proprijs nominibus indigetari valeant. In ea vero ſententiarum opinionumque abſurditate ac pugna, execrabiles adeo blaſphemias & monſtra opinionum reperire eſt, ut ſola relatione horreſcat animus tenero antiquam veramque fidem affectu amantium. Accedit quod eo iam rudis etiam plebs ignarique omnis ſcientiæ atq; eruditionis

Blaſphemiarum parens hæreſis.

ditionis homines temeritate proceſſerint, vt diſputare de fide, imo præcipuos illius articulos vocare in dubium non vereantur, quamquam, non ignorent, à mille, ducentis aut quingentis annis communi doctorum omnium conſenſu totiuſque Chriſtiani orbis obſervatione firmatos: Inter alia expreſſe adverſus legem iterare baptiſmum, ac privare eo teneros infantes, venerabile quoque pretioſi corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſacramentum ac communionem, qua corporalem cum ipſo coniunctionem adquirimus, meritorumque eius participes efficimur, vt vera, antiqua, receptaque omni tempore in Catholica Eccleſia doctrina traditum eſt, conculcare pedibus, & ſophiſtica argumentorum ſuorum diſſertatione convellere. Quibus offenſum Dei numen ſuæ in nos indignationis teſtes effundit peſtilentiam, bellum, caritatem annonæ, tumultus ac ſeditiones inter populum, odium atque invidiam, aliaſque plagas, ad illius quo omnes Chriſtiani arctiſſime colligati ſunt vinculi diſſolutionem tendentes.

Vt autem ſimilibus erroribus, hæreſibus, ac ſectis iretur obviam, ſummo ſemper ſtudio ac labore Principes incubuerunt: imo tali ſubinde zelo Religionis, animiq; fervore ac affectu, vt advertentes nil proficere lenitatem, conſtitutiones atque edicta ſeveriſſima promulgarint, ſperantes hac ratione ſi non excaulicare funditus, ſuis ſaltem ditionibus regniſque prohibere, & incutere ſimplicioribus metum, ne ignorantia ſeduci ſe, atque in errorem trahi patiantur.

Quia vero experientia deprehenſum eſt, non expedire hac via procedi, eo quod plura ſubinde orirentur incommoda,

Celſitudo ſua Dominorum ac Procerum Patriæ, Conſilijque ſui iudicio atque autoritate, permota, ad lenitatem atque clementiam conſtitutiones decretaque illa revocavit, concepta forma moderationis, convocatiſque in eum finem univerſis Provinciarum Præſidibus, Ordiniſque ſuæ Majeſtatis equitibus, vt ex eorum, & Ordinum, ac ſecreti quoque,

que, Conſilij ſententia ſtatueretur. Confidit autem omnino fore, ut non acquieſcatis modo, verum ad accuratam etiam omnibusque; modis perfectam obſervationem, quemadmodum omnes prædicti Domini præſtitere, vos ipſos, & quicquid poteſtatis veſtræ eſt, volentes lubentesque offeratis, ut hac ratione pariter & patriæ quies, tranquillitasque reddatur, & Catholica Religio unicum ſalutis noſtræ fundamentum, tanto temporum intervallo à maioribus noſtris cuſtodita, ſerta tecta ſervetur.

Quæ ſimul ac adverſa ſunt à ſeditioſis hominibus, & perturbatoribus publicæ pacis, quibus nihil præter factioſos tumultus ſeditioneſque cordi eſt, indignantes laborari in quiete communi ac pace conſervanda & de edictorum moderatione tractari, nec dum à ſe conſpectam irridentes, diſperſis undique ſcriptis ac famoſis libellis, celatis auctoris typographique nominibus, perturbare tranquillitatem, ſubditoſque; adverſus Principem ſuum armare ſtuduerunt, conſulentes non Patriæ libertati, vt falſo aſſerunt, ſed proprijs emolumentis, eo quod futurã ſibi exiſtiment hoc modo libere graſſandi poteſtatem, quo omnes ipſorum curæ cogitationesque collimant. Verum illorum pravis conatibus perverſiſque cœptis, divina gratia, veſtra ope, auxilio, ac ſapientia occurſum iri ſperamus; ut huiusmodi malorum omnium incentores à ſcopo ſuo aberrent. Deinde eis Gubernatrix conceptam moderationẽ exhibuit, quinquaginta tres continentẽ articulos, quorũ præcipui erant qui ſequũtur.

PRimo quidquid in hiſce Provincijs ſectarum ac hæreſum eſt interdicimus, nolumusq; ſervari ullã aliã, præterquam Catholicæ Eccleſiæ fidem, atque doctrinam, prout hactenus recepta, docta, obſervataque, eſt.

Vetamus præterea in ijſdem Provincijs noſtris, hæreticos, aliosque perperam de religione ſentientes, ſuſtinentesque errorem aut doctrinam Catholicæ Eccleſiæ adverſantem, ullo modo verſari. De exteris qui commerciorum gratia frequentant poſtea dicetur.

Probi-

Prohibemus ſimiliter atque interdicimus conventicula atque, congregationes, ſive ſecreto ſive palã, ſeu in vrbibus ſeu rure.

Vetamus quoque vniverſas prædicationes aut exercitia novæ alicuius formæ baptiſmi, ſacramentorum, aliorumque actuum, ab vſu Ceremoniisque Catholicæ Eccleſiæ abhorrentis, aut exerceri quicquam niſi à conſuetis Eccleſiæ miniſtris, legitimaque auctoritate pollentibus.

Prohibemus ſcripta & libros hæreticos, ſeditionum ac tumultuum incentores, curioſitatem quoq; de ſacris litteris diſputandi, omnibusque rebus ad ſeducendos mortales trahendoſque, in errorem ſpectantibus.

Interdicimus item vetamusque ne quiſquam ſive in politico ſive Eccleſiaſtico ſtatu perturbationem conſciſionemque excitare præſumat. Omnia ſub pœnis, correctionibus, ac multis, hic declarandis.

Nimirum adverſus Auctores, ſuperintendentes, prædicatores, Doctores, miniſtros, Diaconos, alioſque ſimiles ſeductores populi pœna patibuli, Confiſcationisque bonorum omnium, ijs in locis ubi uſus eius eſt, declarantes illos hoſtes communes, ſeditioſos, perturbatoreſque quietis ac ſalutis Provinciarum noſtrarum.

Interquos prædicatores ac ſeductores cõprehendimus quoque eos, qui libros, cantiones, famoſos libellos ac ſcripta component, quæ ad invectionem hæreſeos, aut excitandam ſeditionem directa videantur.

Declaramus ad hæc, eiusdem pœnæ reos, qui domos, hortos aliave loca ſua ad illicitos conventus congregationesq; aut aliqua perverſæ illorum religionis exercitia celebranda commodarint.

Statuimus quoque eandem punitionem in eum qui in publicam aliquam aut notabilem offenſionem in cauſa religionis incieerit, unde aut religio paſſa eſſet aut communis ſalus tranquillitasque violata.

Quos vniverſos delinquentes tanquam pernicioſos reipublicæ

publicæ, factioſos, ſeductoresque populi, ſanctæ noſtræ religionis hoſtes, puniri volumus bonorum & vitæ confiſcatione; ſeu pœnitere ſe fateantur, ſive in errore perſeverent, ita tamen ut pœnitentes gladio tantum intereant, bonisque illorum proximi agnati potiantur.

Quantum vero ad alios cuiuscunque ſectæ hæreticos attinet, qui in prædicta non inciderint, quandoquidem non pauci illorũ haud raro, magis ſimplicitate, ignorantia, ſeductioneque aliorum, quam propria malitia in errorem labantur, volentes antiqua ſtatuta edictaque noſtra moderatione aliqua lenire, decernimus quod ſi eiusmodi capti ob hæreſim aut violationem edictorum, melius inſtructi, hæretica pravitate deſerta, conſentire veritati, ſanctæq; Catholicæ religioni adhærere in poſterum animum induxerint, prima vice veniam impetrent modo ſolenniter abiurantes errorem, publicam fidei ſuæ profeſſionem emittant coram Epiſcopo vel Officiali aut quem ipſe conſtituerit.

Verum ſi in hæreſi erroribusq; ſuis obſtinati perdurent, exilio multabuntur, cogenturque extemplo ex univerſis Provincijs noſtris excedere, ſervata tamen adminiſtratione bonorum, ijs quos ipſi delegerint, modo ſubditi noſtri ſint, ut eorum tota vita vſumfructum poſſideant, ita tamen ut donatione inter vivos, aut alia ratione diſponere, vel teſtamento relinquere permiſſum non ſit: ſed poſt mortem ad proximos hæredes pertinebunt, qui ad ea ſecundum iura conſuetudinemque vocabuntur: quod ſi vero exilij tempore adverſum nos, Ordines Provinciasque noſtras, quidquam tentaverint ſtuduerintque quemquam ſubditorum noſtrorum ad ſectas erroreſque ſuos allicere, omnium bonorum ſuorum iacturam incurrent.

Quod ſi vero pertinaces eiuſmodi Anabaptiſtarum ſequaces exſtiterint, præter exilium, vniverſarum omnino facultatum amiſſione punientur, quæ ijs in locis vbi bonorum confiſcatio recepta non eſt ad proximos hæredes extemplo pertinebunt. Si autem ad Catholicæ Eccleſiæ gremium re-

deunte

deuntes hæretici, quædam publicæ offenſionis perpetraſſent, neque illius tamen gravitatis aut malitiæ, vt enormia ac ſceleſta cenſeri poſſent; hæreſeos quidem ſuæ veniam impetrabunt; ita tamen vt aliorum criminum, pro gravitate & Iudicis arbitrio pœnam incurrant.

Quantum ad eos attinet qui ſectarum capita, Doctores, aliosque Miniſtros receperint, & favore auxilioque ſuo protexerint, ſi pertinaces ijdem atque in erroribus ſuis obſtinati reperiantur, eadem cum ſeductoribus pœna bonorum ſcilicet ac vitæ amiſſione caſtigabuntur.

Qui vero cum receptionis, favorisque ſeductoribus exhibiti delicto, hæreſim obſtinationemque non conjunxerint, quemadmodum & alij ſectarij, modo reſipiſcant recipientur in gratiam, pro cauſæ tamen conſtitutione puniti.

Quicunque in abiuratam ſemel coram Iudicibus hæreſim rurſus inciderint morte punientur, niſi ſi dolorem ac pœnitentiam oſtenderint, quo caſu in deportationem confiſcationemque bonorum mutabitur capitale ſupplicium, Anabaptiſtis tamen exceptis quibus omnis ſpes veniæ occluſa erit.

Typographi venditoresque ſcriptorum aut famoſorum libellorum qui hæretici aut ſeditioſi fuerint, cum non minus quam ipſi Doctores detrimenti inferant, capite punientur, ſive ſuſtineant hæreſim ſive cum Catholica Religione conſentiant, ſi peccandi ipſis conſuetudinem fuiſſe conſtiterit.

Si vero absque conſuetudine peccarint, hæretica tamen pravitate infecti, ſed reſipiſcant deportabuntur in Inſulam multabunturque arbitrio Iudicis, ſeu corporali, ſeu pecuniaria pœna, pro ſtatu cenſuque ſuo: verum ſi Catholici ſola impulſi auaritia deliquerint, aliam extra ordinem caſtigationem incurrent.

Similiter qui de fide diſputationem mouerint, aut traxerint in controverſiam eius articulos, vnde aliorum in errorem ſequi poſſet inductio, propugnarint præſertim hæreticorum opiniones ac doctrinam, pro arbitrio punientur nihil hæ-

hæretici ſuerint, ac proinde eorum quoque pœnam mereantur.

Reperti autem frequentius id agere, aut ſemel à Iudice caſtigati rurſum incidere, idque ad ſeductionem aliorum, tamquam Doctores hæreſeos ſeductoreſq; populi incurrent capitale ſupplicium.

Nemini omnino permiſſum erit cuique videndos aut legendos exhibere hæreticorum libros, vt Martini Lutheri, Iohannis Oecolompadij, Vlrici Zwinglij, Martini Buceri, Ioannis Calvini, aliorumque hæreticorum, & omnium eorum qui ſanctæ Catholicæ Religioni adverſantur, vt latius enarratur in declaratione à Decano atque alijs facultatis Theologicæ in vniverſitate noſtra Lovanienſi Doctoribus iuſſu noſtro compoſita, cui autoritatem impertivimus atque impertimus hiſce præſentibus, volumusque publicari & accurate in poſterum obſervari ab omnibus. Inter prohibitos quoque libros cenſemus nonnullos qui ab Anno Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo facti ſunt, vel fient, abſque Autorum, Typographorum, temporis, ac loci ſignificatione.

Similiter vt nemini liceat pingere, vendere, aut ſervare inhoneſtas probroſaſque imagines, ac figuras, adverſus Divinæ Majeſtatis honorem, & Deiparæ Virginis Mariæ, Sanctorum, aut Eccleſiaſtici Religioſique ſtatus reverentiam, neque delere aut rumpere ea que ad ipſorum honorem fabricata ſunt, arbitraria pœna adverſus delinquentes ſtatuenda.

Interdicimus Laicis vniverſis, ne docere aut interpretari ſecreto ſive palam ſacras litteras præſumant, niſi in probata aliqua vniverſitate Theologi vel Canoniſtæ fuerint, aut alias ad id conſtituti. Nolumus tamen illud intelligi de ijs qui recte atque ſimpliciter conferunt inter ſeſe, ſanctorum probatorum doctorum expoſitionem allegantes, ſed de ijsmodo qui ad trahendos in errorem mortales ſuſtinent, ac docent falſas erroneaſque propoſitiones, atque doctrinam,

quam publice hæreticam eſſe conſtat;ſub pœna incurrendi nomen perperam de Religione ſentientis atq; vt talis vinculorum & carceris. Quod ſi deinde interrogatus de fide ſua reperitatur hæreticus, pœnam hæreticorum incurret, alias extraordinaria pœna ad Iudicis punietur arbitrium.

Vt vero tanto melius atq; perfectius ſectariorũ caveatur infectio:ſtatuimus vt nemo Belgicarũ Provinciarum incola cuiuſcunq; conditionis ac ſtatus, in Civitatẽ aut Pagũ aliquem ad commorandum accipiatur, niſi à Parocho & Magiſtratibus eius loci,in quo poſtremo reſederit, fidei ſuæ Teſtimonium adferat. Iubemus autem ſerio Iuſtitiæ Miniſtris,vt diligenter informati debito modo adverſus illos procedant,neque alicuius ſaluicondũctus auxilium hæreticis prodeſſe permittant. Quantum vero ad exteros Mercatores alioſue quos in has Provincias noſtras venire contigerit,non cogimus ad exhibendum ſimile teſtimonium,modo vitam ſuam cum conſtitutionibus noſtris conforment, nec cauſa ſint offenſionis in populo, neque ſubditos noſtros in errorem conentur inducere.

De Epiſcopis, Prælatis,alijſque Eccleſiaſticis, curæ nobis erit,vt ſeſe ad communem Provinciarum noſtrarum ſalutem tranquillitatemque componant.

CVius à ſe lectæ moderationis ſummo labore exemplar, & ſane exiguum deliberandi ſpatium impetraurit. Cæterum quamquam deputati Civitatum vehementer urgerent ut recepta conſuetudine communicare cum membris,urbium ſuarum permitterentur; pluribus rationum ponderibus ac momentis oſtendentes id magnæ in populo tranquillitatis cauſam fore, multarumq; murmurationum impeditum iri occaſionem, minime tamen impetrare valuerunt, ut cuiquam præter Magiſtratum communicarent negotium. Interea deputati qui apud Ordines hac de cauſa congregati erant, ſummo ſtudio ad ſingula moderationis puncta attendentes, meditatas annotationes litteris, conſignarunt, ut eas Magi-

ſtratibus tantum ſuis oſtenderent, quod multarum ſuſpicionum murmurationumq; cauſam præbuit.

PAulo ante hoc tempus non Antverpiæ modo, verùm etiam in Zelandia, novæ in populo cauſa ſuſpicionis exorta: propterea quod ab Hiſpanis quibuſdam, ingens æneaium fiſtularum ac ſclopetorum copia coëmpta eſſet, imo Antverpiæ quatuor aut quinque millia numerus excederet: ad hæc quod in portubus varijs locis, bellicæ naves inſtructæ iacerent, nec qua fini cuiquam conſtaret, vnde non mediocris orta ſuſpicio hæſit in populo, donec in Hiſpanias deſtinari ad ſitarum in confinibus vrbium cuſtodiam doceretur: quod quamquam mitigarit nonnihil, nunquam tamen omnem ſuſpicionem ac timorem abſterſit: quæ augebatur inprimis Epiſcoporum inquiſitorumque quorundam ſtulta iactantia, dictiſque, quæ incogitanter effutiebant, ieiune admodum Belgicæ legatos excepiſſe Regem, & ſi quid fortaſſe benevolentiæ oſtendiſſet, factum potius diſſimulatione quam affectu, vt comparato interim belli nervo, conſcriptoque milite, robuſtior ingrueret, & deſcendens in Belgicam à confœderatis, Romanæque fidei deſertoribus Nobilibus debitam pœnam exigeret: addebant aſſeclæ Cardinalis deſcenſurum cum Rege, maiori quam antea poteſtate pollentem, exacturumque pœnas & dignam vltionem ab ijs quos ſibi adverſos expertus eſſet.

Cauſæ ſuſpicionum in Belgica.

Incredibile quantum hæc fama, intentatæque minæ ſuſpicionem auxerint eorum, qui deſertis Romanis ſacris ad reformatæ ſeſe Religionis obſervationem tota mente tranſtulerant: abiecta etenim omni ſpe, nec quidquam amplius ex Hiſpania ſalutis exſpectantes, eo proruperunt audaciæ, vt ad commonſtrandam eorum, qui vel mulctandi exilio, vel capitali ſupplicio Regi afficiendi eſſent multitudinem, ad publicas conciones, ingenti numero ac corona confluerent, ſperantes hac ratione erectum iri animos eorum, quos manifeſtare fidem ſuam pauor impediverat. In Brabantia, Geldria, Friſia, Trans-

Efferat animos deſperatio.

Iſelania, Batavia, Zelandia, Vltraiectenſi diœceſi, aliiſque locis, in planitie camporum, atque opacitate ſilvarum conciones ad populum auſpicati ſunt, & jam ad multorum millium numerus excreverat. Primo quidem eo quod vererentur ne ſibi in concionibus vis aliqua inferretur, gladiis ac ſicis armati, deinde vero haſtis æneiſque fiſtulis proceſſerunt. Quamquam autem non raro turbaretur conventus illorum, & ſevere interdiceretur populo, ne eorum conſortio aut contagione ſe inſici pateretur, plurima denique adhiberentur remedia, nunquam tamen occurri potuit: propterea quod nimium zelus, multitudo, ac deſperatio inualuerant.

Ineunt Iunio Antverpiæ prædicationibus datum initium, in campo quem Tlaer appellant, juxta pagum qui Burgerhout dicitur, ducentis quinquaginta paſſibus ab urbe diſtantem: initio quidem inermes, deinde vero intentatis à prætore Brabantiæ minis, obiectis curribus, diſpoſitiſque cuſtodiis, campum quaſi vallo muniemunt. Tum Belgico tum Gallico idiomate conciones habebantur.

Locum prædicationis muniunt Antverpienſes.

Antverpienſis Magiſtratus, ex ampli quod vocant Conſilij ſententia, nihil intentatum reliquit, ut huic factioni poſſet occurrere, poſtremo etiam à Regente petiit, ut cum aula ſua abſque militum tamen præſidio, ſe eo transferret, ut egregiam urbem, totiuſque patriæ Metropolim à diſcrimine tueretur. Reſpondit deliberaturam ſe Gubernatrix, ut illi prius conciones diſſipare conarentur, miſſo ad id ſeveriſſimo nomine Regis edicto, vigeſimo ſexto Iunij, quod nihil aut parum effecit: quippe 3. Iulij, Regionum urbis Magiſtri, nomine civium reformatæ Religionis, ſupplicem Magiſtratui libellum obtulerunt demonſtrantes.

Supplex reformatorum Antverpienſium ad Magiſtratum ſuum libellus.

SE aliquot ab hinc annis (ſalva tamen in politicis rebus ſubiectione atque obedientia) conſcientiæ ſuæ Teſtimonio, in Dei verbis, tum veteris tum novi Teſtamenti fundato, ab impijs ſuperſtitionibus, invectiſque inſtitutione ho-

minum adverſus puram ac putam Chriſti Apoſtolorumque doctrinam, in Romanam Eccleſiam erroribus, atque abuſu, diſceſſiſſe, Sacramentorumque vt à Chriſto relicta erant adminiſtrationem, omni modeſtia, ſecreto, in eadem vrbe (quemadmodum & in ceteris totius Belgicæ civitatibus ac Provincijs) exercuiſſe: verum quandoquidem Divina gratia adeo fidelium tum Belgici tum Gallici idiomatis numerus excreverit, & nova indies acceſſione cumuletur, vt ſecretis in poſterum permanere integrum non eſſet; neque tamen Religionis ſuæ exercitium (Divinæ Maieſtatis imperio adacti) intermittere ullo modo poſſent: rogabant Dominos vt hac in re ne ſibi adverſarentur, ſed aptum aliquẽ in vrbe locum aſſignare vellent, in quo Religioni ſuæ templum ædificarent; vnde aiebant incredibilem inter ciues concordiam coniunctionemque animorum orituram: vt non modo plurimis antiquorum verum etiam recentioribus Galliæ, Germaniæ aliarumque Provinciarum exemplis abunde conſtat, binæ Religionis exercitium nullo modo diſcordiam inducere: imo in Auguſtana confeſſione neceſſarium omnino iudicari, cuius articulos & verba adferebant, addentes ſe in illorum, vt Divinis litteris conformium obſervatione manſuros. Quandoquidem autem tam neceſſaria res in poteſtate ipſorum eſſet, ex vi privilegiorum, ſperabant Divinæ adeo petitionis repulſam ſe minime eſſe paſſuros.

HIſce amplius perculſi Magiſtratus, diligentius attendere, ſtatuere ad ſingulas urbis portas Scribam qui ingredientium exterorum notaret nomina: denique novam atque accuratam domorum omnium inquiſitionem inſtituere. Ad hæc mandatum ut milites excederent, ut centeſimus quiſque ſacramento adigeretur: ſimiliter ut in territorio civitatis in pagis omnibus Centuriones Decurioneſq; collocarentur, ut diſcederent Galli, ut undique mandata publicarentur, ut inveſtigaretur qui mortales intra primum ab urbe lapidem commorarent-

Gallis milites & vagabundi Antverpia eiecti.

moraretur : denique ut qui redierant deputati, confeſtim rurſus proficiſcerentur ad Gubernatricem, ut certiorem illam facerent de omnibus, & pro extrema neceſſitate atque diſcrimine rurſum inſtarent, ut vel venire protinus ipſa, vel aliquem ex Proceribus magniſque Magiſtris mittere dignaretur.

Inſequenti die, data executioni quæ pridie à Magiſtratu concepta erant, eiecti milites & vagabundi, interdictum ne quiſquam per plateas urbis ac vicos laruatus, neque cum tympanis, fiſtulis, tubis, aut ſimilibus inſtrumentis incederet, atque in Gallos præſertim inquiſitum. Eodem die inter ſpem & metum aliquid in civitate alterationis exortū : quia Bergenſis Comes per Antverpiam, Litam verſus iter intenderat, ad Dominum de Brederode, qui eo in oppido Comitem Culenburgenſem, multoſque alios ex confœderatis nobilibus exſpectabat, ut quid ſibi hoc dubio rerum ſtatu faciendum omittendumve potiſſimum eſſet conſultarent.

Antverpienſium deputati, expoſitis Celſitudini ſuæ quæ ſibi commiſſa erant, cum petiviſſent rurſus ut Antverpiam ſe conferret, idē quod antea ab ipſa reſponſum acceperūt; laudavit nihilominus ſtudium ac diligentiam ipſorum : addito tamen quod Gallis adhuc, militibus ac peregrinis civitas abundaret, neque certos adduci poſſe, qui excedere juſſi eſſent : quamobrem animum ſuum inducere non poterat, ut veniret Antverpiam, antequam certa ſibi remedia viæque declaratæ eſſent, quibus impeditum iri prædicationes exiſtimarent, certaq; eſſet de fide civium, non contenta ſimplici promiſſione, qua vitam ac bona ſua pro ipſius defenſione cives obſtrinxerant : quia vero advertebant deputati, propenſam eſſe Regentē ut Procerum aliquem Antverpiam mitteret, rogarunt obnixe, quoniam in mora periculum eſſet, eam abrumperet, neminem tamen certo deſignarunt, quem præ aliis expeterent, niſi poſtmodum familiariter diſſerentes oſtenderunt univerſam civitatem ſuam non mediocri principis Vraniæ deſiderio teneri, quod *Recuſat venire Antverpiam Gubernatrix.*

 civitas

civitas ipſi, atque ille viciſſim civibus ſacramento aſtricti erant. Inter hæc novum generale edictum advenit, quo jubebatur, ut cum ſectatoribus ſuis coniecti in vincula prædicantes patibuli pœna punirentur, adiunctis certis quibuſdam regulis, ad quas in cauſa religionis ſeſe Magiſtratus conformarent, ſtatutæque in tranſgreſſores certæ pœnæ. Quod ut promulgatum vndique publicatumque eſt, ingenti populum vniverſum, reformatos in primis, admiratione iuxta ac terrore percelluit, & mirum in modum exacerbavit iam ante offenſos animos: quia directe cum petitione nobilium, factoque ipſis promiſſo pugnabat, atque etiam invehebat antiquā edictorum perſecutionem, cuius gratia antequam populus ſedari valuiſſet, tanto labore conſtiterat. Adhæc inauditum ac ſane peregrinum videbatur, componi, mittique ad regem moderationem edictorum atque ipſius placitum exſpectari, conſuli ſtatus atque Ordines; interim tamen antequam vel Regis voluntas, vel Ordinum ſententia accepta erant, executionem vrgeri. Antverpienſes Magiſtratus ad evitandam malorum occaſionem, quæ oritura videbatur, ægre ad conſentiendum promulgationi diplomatis impelli potuerunt. Quemadmodum & ab aliarum civitatum rectoribus factum eſt.

Novum Regis edictum.

Edicti autem ſenſus hic erat.

DIlectis ac fidelibus noſtris. Præſidi totique Conſilio ſalutem atque dilectionem. Quamquam nemini dubium, eſt à maiorum noſtrorum temporibus privata conventicula & conſpirantium congregationes, vt quæ ingens reipub. ſalutique communi detrimentum inferre ſoleant, ſemper interdicta eſſe, atque etiamnum vetari: nihilominus tamen eo ſeductorum populi proceſſit audacia, vt varijs locis, tam ruri quam in civitatibus, illicitos conventus congregationesque celebrarint, accurente ingenti vndique mortalium turba, omni genere armorum inſtructa, in quibus diverſi errores, conſpirationes ac hæreſes adverſus Sanctam

ctam

ſtam Catholicam fidem, ſalutemque patriæ, in hominum animos inſeruntur, vnde miſerum in modum ſimplicium animi teterrimæ peſtis contagione infecti ſalutis æternæ, tranquillitatisque huius vitæ iacturam patiuntur: quibuscum nobis nec conniuere, nec diſſimulare vllo modo lubet.

Volentes itaque ad Divini numinis gloriam, antiquæ & Catholicæ fidei noſtræ conſervationem, communemque Patriæ quietem ac pacem tantis malis occurrere, è dilectæ ſororis noſtræ Parmæ & Placentiæ Ducis, Belgicarumque Gubernatricis, & fidelium noſtrorum Ordinis aurei velleris equitum, ac Conſilij quoque ſententia, de novo interdiximus, atque hiſce interdicimus, omnibus, illicitis congregationibus ſeu ſecretis ſeu publicis, tam in vrbibus vicis ac pagis, quam in campis, aut ſilvis, concionibus quoq; adverſus ſanctam fidem noſtram: decernentes in Concionatores, Doctores, ac Miniſtros patibuli ſupplicium, bonorumque (ijs locis vbi vſus eius eſt) omnium iacturam in emolumentum eius qui detulerit, apprehenderit, tradideritque Iuſtitiæ tales homines, promittentes bonorum rei defectum, datis ex ærario noſtro ſexcentis libris Flandricæ monetæ ſarcire: declarantes eiuſmodi perverſos ac ſceleratos, hoſtes communes, factioſos, perturbatoreſque Reipublicæ, ſtatuenteſque ſimilem in eos pœnam, qui ſcientes domos, villas, hortos, aliave loca ſua, ad prædicationes illas atque conuentus commodarint. De ijs autem qui doctores aut concionatores illos exceperint hoſpitio, favoreq; atq; auxilio proſecuti ſint, ſi ſæpius atque ex conſuetudine peccarint, & obſtinati præterea, atque pertinaces hæretici fuerint, volumus eadem qua ſeductores caſtigatione puniri. Quod vero ad eos qui conventibus illis interfuerint, ſtatuimus vt pro Iudicis arbitrio corrigantur, cuius erit attendere, num ducti curioſitate acceſſerint, vel vt Prædicantibus præſidio eſſent: quos poſtremos, ab vniverſis Provincijs noſtris ſub patibuli pœna exulare iubemus, ſtatuentes vna vt Patres, Matres, Fratres, ſorores, Patrui atque Auunculi, Amitæ ac Materteræ,

Magiſtri & Magiſtræ pro liberis, iisque qui poteſtati ſuæ commiſſi erunt reſpondere cogentur, præter virgarum pœnam aut, aliam adoleſcentibus ex Iudicum ſententia iniungendam: niſi pateret prædictorum parentum ac ſuperiorum ſufficientem fuiſſe diligentiam. Vt autem eo amplius tantæ peſti reſiſtamus, concedimus ei qui aliquem detulerit, ſi in eadem congregatione præſens adfuerit, immunitatem à pœna, modo in poſterum abſtineat, & Catholicam noſtram Religionem ſectetur. Mandamus vobis vlterius, vt per vniverſos Provinciarum noſtrarum Magiſtratus, Miniſtroſque Iuſtitiæ vobis ſubiectos, omni opera ac conatu attendi faciatis, vt ſceleratæ illæ conventiones impediantur, publicarique curetis hæc mandata noſtra, ne à quoquam ignorantia obtendi poſſit, procedatis quoque executione pœnarum quæ in hoc edicto ſtatutæ ſunt adverſus delinquentes, ad quod plenam vobis poteſtatem impertimus; imo expreſſe iubemus, mandantes vna omnibus ſubditis noſtris, vt in horum vobis executione adſint auxilio, & diligenter obediant: quia ſic eſt voluntas noſtra.

Actum in vrbe noſtra Bruxellenſi 3 Julij 1566 munitumque ſigillo noſtro. Subſcriptum erat, apud Regem in Conſilio ſuo, & ſignatum.

d'OVERLOPE.

VEhementi interim plebs reformatique Antverpienſes in timore verſabantur, eo quod fama eſſet, adventuram cum valido militum præſidio Gubernatricem, quod cum omnino abhorrerent, ſuſpicari de Magiſtratu ſuo, eique diffidere cœperunt, præſertim quod tum varias ob cauſas, tum ob perſecutionem adverſus reformatos jam dudum ſuſpectus fuerat: quod manifeſte ſatis apparuit, cum ſcabinorum unus, Dominus Iohannes de Schoonhoven, juſſu Senatus quinto Iulij, certos cuſtodes ſtatuiſſet ad portas, qui attenderent: tum enim cives aperte murmu-

murmurarunt, aientes ſe proditos eſſe: ita ut die inſequenti ſexto Iulij in amplo Conſilio, eoſdem cuſtodes amovédos concluſum ſit; quamquam oſtenſum eſſet, ad eorum ſubſidium, expellendoſque civitate mendicos, & vagabundos, conſtitutos eſſe, monſtrataque ad maiorem certitudinem Magiſtratus inſtructio, & ſacramentum.

Nihilominus cum eodem quinto Iulij domus quædam in platea quam uſurarij vocant incenſa eſſet, boni cives atque incolæ ſumma modeſtia ac ſedulitate, tum ad extinguendum ignem, tum ad occurrendum tumultui ſi quis exortus eſſet incubuerunt. Quapropter actæ illis poſtridie à Magiſtratu gratiæ. *Civium Antverpienſium modeſtia ac diligentia.*

Cum interea deputati rediiſſent, expoſuiſſentque in amplo Conſilio, quæ acta erant, petiverunt à populo Magiſtratus, ut ſi cui de militibus, vagabundis, Gallicis, aliiſve peregrinis Centurionibus qui non negociarentur conſtaret, ad civitatis certiorem cuſtodiam indicaret; monueruntque ulterius ut non modo ipſi non accederent ad has prædicationes, ſed alios etiam quantum fieri poſſet abſtrahere conarentur: rogantes quoque num quid remedij ſcirent, aut præſidij allaturi eſſent, ad diſſipandas eiuſmodi, tam extra quam intra pomœrium urbis conciones, occurrendumque tumultibus, qui poſſent accidere: quandoquidem liquido ſatis appareret, quæ hactenus applicata eſſent remedia, nulla ratione ſufficere, & profecto neceſſarium eſſe, ut ingenti alacritate ac ſtudio ſeſe accingant, ne ſuperiores ut quibus primariam patriæ civitatem in diſcrimine periculiſque deſerere integrum non ſit, id exterorum, militumque præſidio cogantur efficere. Ad quæ reſponſum à civibus, nil exteris eſſe opus, ſe operam diligentiamque ſuam, ad cuſtodiam civitatis, & Regis obſequium adhibituros: imo tanquam optimi cives ad obſiſtendum ſeditionibus, avertendamque ab urbe prædicationem bona ac corpora ſua obtulerunt ſecundum viam ac modum à Magiſtratu ſtatuendum: verum eas quæ rure haberentur conciones, *Recuſant præſidium.*

à ſe impediri non poſſe, Ad hæc Magiſtratus ait, ſe ad edictorum obſervationem appuliſſe animum, atque inprimis expedire iudicaſſe, vt ſclopetarij vigilarent in locis ſuis, vbi congregari ſolent, & ex civibus in conſuetis vrbis regionibus ad quamque quadraginta, & ad alia urbis ſolita loca totidem: ad quod ſeſe lubentes obtulerunt. Ex membris præterea civitatis quibuſdam commiſſum, ut cum Dominis de urbis cuſtodia deliberarent.

Comes Megenſis ſuſpectus Antverpienſibus.

Advenerant Antverpiam Dominus de Brederode & Megenſis Comes, abſque commiſſione ex aula, quorum uterque turbas in populo excitavit. Gratus erat civibus Brederode reformatis in primis: ſuſpectus vero Megenſis; quod militem qui in Campinia haud procul inde conſcriptus dicebatur, inducturus in urbem putaretur. Comes itaque vitandæ ſeditionis gratia, ex civitate diſceſſit.

Similis quoque præcipuas Provinciarum civitates cura ſuſpicioque tenebat: verum quia ſigillatim cuncta referre prolixum eſſet; ut ex ungue Leonem agnoſcamus, pergemus referre quæ Antverpiæ contigerint, præſertim cum Auriaco, quem à Gubernatrice ad ſeſe miſſum acceperunt.

Princeps Auriacus Antverpiam ingreditur.

Decimo tertio itaque menſis Iunij Antverpiam Princeps advenit, cui Dominus de Brederode, plurimique alij ex nobilitate & civibus, in equis obviam profecti ſunt. Ingredienti populus ſumma contentione acclamavit: Vivant Geuſij; quem ipſe tum verbis tum ſignis increpavit, additis etiam minis, quibus permoti cives quamquam ægre tacuerunt tamen.

Vt urbem intravit Princeps, extemplo cum Magiſtratibus egit, à quibus miſerum civitatis ſtatum accepit, tradiditque illis viciſſim à Gubernatrice litteras, quibus declarabat miſiſſe Principem nomine Maieſtatis ſuæ, ut civitatem componeret, ſedaret tumultus, bonis civibus ac mercatoribus præſidio eſſet, denique ſtatueret quicquid ad Regis obſequium ſalutemque patriæ expedire

iudica-

judicaret, jubebatque ipſis, ut illi omnibus in rebus ſeſe dicto audientes exhiberent. Princeps ad hæc omnem operam atque auxilium ſuum, quibuſcunque in rebus poſſet pollicitus eſt: qui actis primo gratijs, quod tanto oneri ſubiicere humeros ſuos non detrectaſſet, offerentes accuratam in omnibus rebus obedientiam voluntatemq; ſuam, certos quoque ipſi quos conceperant articulos exhibuere. Deinde Princeps vocatis ad ſe privatim Scabinis, Magiſtris Regionum, Decanis artificum, Mercatoribus, Eccleſiaſticis etiam atq; aliis, ſingulis ſtudiũ ſuum ad ſalutem ipſorum tranquilitatemque promiſit, totius negotij ſtatum interrogans.

Ex quibus ſagax animus eius liquido intellexit, præcipuam periculorum tumultuumque quibus civitas iactabatur occaſionem eſſe diffidentiam, quæ omnium animos invaſerat: reperit enim Magiſtratum nihil quidquam incolis, reformatis preſertim confidere: cives contra diffidere Aulæ, multoque amplius Magiſtratui non modo militum timore quo tenebantur, verum in omnibus etiam alijs rebus; adeo vt nihil non ſuſpectum eſſet, quod ab illis aut proponeretur aut tractaretur; ſimiliter eos qui de Religione erant, tam Aulam quam Magiſtratum, atque ipſos etiam incolas vereri; imo inter ipſos quoque eſſe diſſidium ac diffidentiam, videlicet inter Reformatos & Confeſſioniſtas. Comperit præterea ingentem eorum qui Religioni addicti erant eſſe multitudinem ac numerum, iiſque proinde, ut qui armati erant, facillimum fore hoc modo conſtitutam civitatem poteſtatis ſuæ facere: parum enim reſiſtentiæ à cuſtodibus tam ad portas quam regiones urbis ac curiam fieri potuiſſet, ſi ipſis multorum millium numero à prædicatione redeuntibus, vim civitati inferre placuiſſet; violentia itaque adverſus eos nihil effici poſſe, ordinem item, cuſtodiam, vigiliaſque civium languere omnino; ita vt parum aut nihil profutura viderentur. Quamobrem ad obſequium Regis, defenſionemque civitatis, & civium, incolarum atque Mercatorum ſecuritatem & quietem,

Diffidentia inter cives perturbationum occaſio.

quietem, eo rem perduci neceſſarium judicavit, ut vel auferretur plane vel minueretur ſaltem diffidentia, ſuavibuſque modis impetraretur à reformatis, ut arma quibus inſtructi ad conciones itabant deponerent, ut cives contra ſumerent, maioribuſque ac fortioribus cuſtodiis vallarent urbem. De quibus omnibus ad Gubernatricem perſcripſit.

Suavitas mollit, quos ſeveritas efferat.

Vt itaque eorum quæ propoſuerat executionem inciperet Princeps, à religionis aſſeclis petiit ut arma deponerent, non decere enim armatas Divini verbi eſſe prædicationes: conſenſere illi, modo vel promiſſo Principis aut Magiſtratus, vel Aulæ litteris ſecuritatem acciperent. Vt autem Civitas adverſus quoſuis tumultus ac perturbationes armata eſſet, mille ducentos cives haud aliter quam milites, adactos ſacramento conſtituit cum membrorum civitatis Magiſtratuſque conſenſu: ceterum ut diffidentiam populi quæ impedimento eſſe potuiſſet ex animis evelleret, adventuſque ſui cauſam aperiret, auxiliumque ſuum offerret, denique civium animos ac propenſionem tanto clarius perſpiceret, operæ pretium judicavit, amplum Conſilium ac membra civitatis convocare, ut cũ iis de urbis ſecuritate deliberaret.

Congregato itaque Antverpiæ Conſilio hunc in modum Princeps locutus eſt; miſſum ſe à Gubernatrice ad petitionem ipſorum, nomine Regis, ut una cum ipſis de urbis illius quæ omni ſane cuſtodia digniſſima erat ſecuritate tractaret, videre ſe ingentem in ea tumultum ac rerum omnium perturbationem, fugamque mercatorum; petere ſe itaque ab ipſis qua ratione quibuſque mediis cogitaſſent occurrere, quandoquidem periculum in mora eſſe videretur; quod ſi ſuo in re aliqua egerent auxilio, paratiſſimum fore. Conſilium vero in primis rogavit à Principe (quod ipſe ex Gubernatricis ſententia non recuſavit) ut Regiæ Maieſtatis nomine civitatis ſuæ Gubernationem ſuſciperet, eamque adverſus omnia mala tueretur, idque tali ratione ac modo quem optimum ipſe judicaſſet; quo ad impediendas prædicationes

iis primis, quod ante omnia proponendum ſciebant. Princeps itaque cum Magiſtratu ſcripto comprehendi juſſit, quæ factu optima judicarentur: quo facto convocato rurſus amplo Conſilio, affirmavit mercatorum timorem ac fugam, inde in primis eſſe, quod præſentibus cuſtodiis civitas ſecura non eſſet; expedire itaque mille ducentos cives ſtipendia facere, ſacramento ac militari diſciplina velut milites inſtitui; utque tanto amplius omnium civium atque incolarum voluntati ſatisfieret, præter ordinaria membra, Magiſtratus videlicet Proſcabinos, Magiſtros regionum, Decanos artificum; Sagittarios quoque fraternitates ac Mercatores civitatis ad id convocavit, quibus pariter etiam de prædicationibus propoſitum, quod quemadmodum membra civitatis ac Magiſtratus, ita etiam Princeps ſuaviorem in omnibus procedendi viam elegiſſet; quamobrem expedire ut quiſq; ipſorum apud amicos quos reformatæ Religionis habebat, inſtaret, ut ſignificare vellent, qua ſecuritate, aut quibus mediis adduci poſſent, ut, donec generaliter à Regia Maieſtate conſtitutum eſſet, prædicationibus abſtinerent, ſive impetrando prædictorum veniam, ſive alia quædam quæ ad ſecuritatem ſuam deſiderarent. Conceſſo deliberandi ſpatio tandem concluſere quoad conſcriptionem mille ducentorum civium qui militarent, eam è re talis civitatis, ampliſſimique emporij minime videri, ſed diſcordiæ ac tumultuum inter Cives, Mercatores & Incolas cauſam fore, eo quod tales minimi cenſus homines, tamque civibus quam mercatoribus oneri futuri eſſent, offerentes ſemetipſos ad omnia quæ ſtipēdia facientes cives præſtitiſſent, ad ordinem etiam diſciplinamque militarem: quod vero ad prædicationes, promittebāt operam ſuam ad avertendos ab iis pro virili ſua concives, affirmantes ſummū in ſuavitate atque clementia eſſe præſidium, ſi generalis delictorū venia pronunciaretur: præcipue autē tanquam præſentiſſimū remedium Generalium Ordinum congregationem urgebant, ut interim Princeps Auriacus ſuaves quaſdā accommodataſq; rationes

Mille ducenti cives Antverpienſis militant civitati.

rationes excogitaret, quas ſibi communicari orabant, offerabantque ſingula membra ſententiam ſuam, quæ confeſtim ad aulam miſſæ ſunt. Acceptata fuit ſicut ante oblatio eorum, qua ſeſe ad ſubeundos ipſi labores obtulerant: promiſſumque fore vt provideatur omnibus, conponanturque articuli, qui poſtea cum ipſis communicentur, neque dubium eſſe, quin, ſi ſucceſſu temporis non ſufficere ad plenam ſecuritatem mercatorum ac civium reperti fuerint, communi conſenſu aliter providẽdum ſit, iuſſi interim omnibus modis à prædicationibus quoſcunque poſſent abſtrahere: quemadmodum & præſtitum eſt, inſtitutæque vigiliæ, atque aliæ ordinationes executioni mandatæ: deputati quoque in aula generalem Ordinum congregationem vehementer urſere, ſed fruſtra.

Interea octavo Iulij apud Amſtelodamum celebrata eſt à plurimis Prædicantibus & ſenioribus reformatæ Religionis congregatio, qui, cum jam dudum ſecreto conciones ſuas in multis Bataviæ urbibus habuiſſent, deliberarunt inter ſeſe, qua ratione publicis Prædicationibus, veluti multis in locis accidebat, doctrinam ſuam ſpargerent: verum cum diu multumque matutino tempore deliberantes agitaſſent negotium, ultimam poſt meridiem daturi ſententiam, eodem mane in Amſtelodamenſi urbe publicatum edictum eſt, quo vetabatur, ne quiſquam aliquem reformatæ religionis prædicantem audire, ſuſcipere hoſpitio, aut domos ſuas locare præſumeret, ſub pœna patibuli, bonorumque omnium confiſcationis: quod ſi quis autem prædicantium aliquos, viventes aut mortuos Miniſtro Iuſtitiæ traderet, ſexcentorum florenorum mercedem acciperet. Quod cum inaudiſſent, graviter in ſua poſt meridiem congregatione turbati ſunt: verum dictis ultro citroque ſententiis, concluſum propoſitumque, ut in Hollandia quoque, publicarum prædicationum darent initium, idque in omnibus locis, excepto Amſtelodamo, ubi adhuc paulum quieſcerent, quia Rectorum urbis illius

crudeli-

crudelitatem horrebant. Apud Hornam igitur decimoquarto Iulij prima publica concio habita eſt, à Batavo quodam prædicante, Alcmarienſi, qui Iohannes Aertſz vocabatur, & faciendis corbibus vitam ſuſtentabat: ad quam ingens ſane hominum multitudo ex circumjacentibus pagis affluxit, ita ut eorum excitati exemplo aliarum urbium reformati, ſimiliter publicas prædicationes exorſi ſint, videlicet apud Alcmariam & Harlemium, quo plurimi cives atque incolæ Amſtelodamenſes ad audiendas prædicationes proficiſcebantur; quibus territi Rectores Magiſtratuſque Amſtelodamenſes, verentesque ne apud ſeſe etiam talia tentarentur, convocatos civium primarios allocuti oſtenderunt, quid civitas adverſitatum perturbationumque poſſet incurrere, ſi non modo permitterent, verum etiam non omni ratione prædicationes diſſiparent, ſi eæ apud urbem ſuam inſtituerentur. Rogabant itaque conſilium auxiliumque à civibus, ad concionibus reſiſtendum; reſpondere cives, non teneri ſeſe ad impediendam extra urbis pomœrium prædicationẽ, ne autem intra muros urbis contingat, à ſe omni ſtudio atque opera occurſum iri.

Prædicationum publicarum in Batavia initium.

Secundo Kal. Auguſti reformatæ Religionis ſectatores, hoc quod ſequitur Conſulibus & Senatui Amſtelodamenſis vrbis ſcriptum exhibuerunt.

Amſtelodamenſium reformatorum ſcriptum.

NOn ignorare ſeſe perverſorum ſceleſtorumque nonnullorum opera, ſanctum ſuum quod extra civitatis pomerium inſtituere propoſuiſſent, exercitium apud Reverentias ſuas plurimis criminationibus impetitum iri, vocandumque ſeductionem, tumultum, ſeditionem atque rebellionem, plurimiſque ſeſe alijs punctis fore vt accuſentur: quapropter Conſules ac Senatores (niſi rem accuratius intueri, æquiuſque perpendere voluerint) iuſtam ſibi eos perturbandi occaſionem arbitrabuntur. Operæ pretium igitur exiſtimauerant, ne ſapiens Senatus in hoc negotio aberraret, hoc ſcripto ob oculos ponere atque teſtari, nihil ſibi prædictorum imponi poſſe, vt qui ab omni culpa ſe alienos

agno-

agnoſcant. Deus cordium ſcrutator (inquiunt) novit non levitate aliqua inanique ſpiritu adactos; hæc cum præſenti adeo vitæ diſcrimine periculiſque tentare; verùm ut hominem, ad Pauli Apoſtoli exemplum, tamquam immaculatam ſponſam Chriſto coniungant, ad vera ipſi fide, puroque amore adhærendum, ut coniunctio eius, tum in hac vita, tum in æterna beatitudine in ipſis reperiri poſſit. Seſe ipſos agnoſcunt ſervos Dei & Ieſu Chriſti cuius tantum gloriam ac honorem omni ſtudio promovere laborant, minime propriam quærentes. Quamquam autem doctrina ipſorum ex Divina voluntate ab hominibus ſubtilioris doctrinæ expertibus proponatur, ideo (aiunt) non minus æternæ veritati conformis cenſeri debet; ſperare ſe quoque brevi mutationem, hactenus ita à Deo permiſſum, ut confidentes propriæ eruditioni ſapientes, in ſapientia ſua confundantur, tum ut honor Divinæ Maieſtatis & gloria propagetur, neque fidelium Eccleſia humanæ ſapientiæ fundamento innitatur; verùm ut ſola Divina virtute fides in crucifixo roboretur. Quandoquidem autem hæc univerſo orbi luce clarius demonſtrare valent; (quemadmodum ex data ſibi à divino numine arrha abſque ulla dubitatione cognoſcunt) certum eſt doctrinam ſuam ad ſeductionem mortalium ruinamque non tendere, ſed ad conſervationem atque ſalutem. Petunt ut qui ſeſe accuſant auſcultent ac viſitent, paratos ſe ad reddendam vitæ doctrinæque rationem. Quoniam autem ex Divino verbo liquidò ipſis conſtat, æternam veritatem à Papiſtis eſſe deſertam, diſcedunt ab eis, ut de ipſorum pœnis ac caſtigatione non participent: quod autem ut factioſi perturbatoreſque aut ruptores publicæ pacis adverſus veritatem arguantur, ſibi cum Apoſtolo Paulo tolerandum, monſtrandumque in omnibus anguſtiis ac perſecutionibus ſeſe famulos æternæ Maieſtatis, neque propter falſas illas accuſationes à via veritatis abeundum, deſiſtendumque ab eo quod plane cum omni tumultu ac ſeditione pugnat: nulla enim doctrina reperiri

Ignari doctrinæ reformatorum prædicantes.

periri

periri poteſt, quæ puniat adeo ac deteſtetur diſcordiam, coniunctionemque commendet quam ea quæ apud ipſos docetur, quamque ipſi ſectantur. Verum ne prolixitate ſua Dominis moleſtiam exhibeant, certo affirmant eum qui apud ipſos verba facit, ad nihil omnino aliud quam quærendum Dei honorem, conſcientiæ ſuæ quietem ac tranquillitatem multorumque hominum ſalutem impellere: rogantes propterea ut vel ipſi Domini ad ſeſe audiendos accedant, propiuſque res ſuas intueantur, vel Paſtores Doctoreſque ſuos quibus ſubditorum cura commiſſa mittant, qui ſe Divini verbi teſtimonio corrigant, ac doceant, paratos ſeſe ſi ſuperentur coram univerſa concione profiteri culpam, aliaque ſuſcepta ſuam abiurare doctrinam: quod ſi renuatur, ſe doctrinam ſuam examinandam offerre, modo ſibi ſecuritas promittatur, Chriſtianeque ſecum & cum omni ſuavitate tractetur; ut vel lucrentur alios, vel in aliorum lucrum ipſi cedant, &c.

Provocant Catholicos ad diſputationis certamen reformati.

POſtero die pridie Kalendas Auguſti, primam concionem ſuam apud Amſtelodamum juxta Carthuſianorum monaſterium extra portam Harlemenſem atque territorium civitatis habuerunt; quod Conſules Rectoreſque Amſtelodamenſes haud parum ſollicitos habuit; ignorabant enim quid in hoc poriſſimum negotio ſibi agendum eſſet, vigiles tantum fortemque ſclopetariorum cuſtodiam ad portam ſtatuerunt, ut omni tumultui qui ab ingredientibus oriri poſſet occurrerent.

Prima apud Amſtelodamum prædicatio.

Quarto Auguſti rurſus eodem loco concio habita. Prætor Conſuleſque civitatis hoc intellecto, miniſtris, cuſtodibus, vigilibus, aliiſque vallati arma ſumpſere, prædicationem interturbaturi, idque quam ſecretiſſime fieri potuit, ut populum & ſclopetarios urbis celaretur, qua fini per exiguam portam Prætor egreſſus eſt, verum ut ad Harlemenſem cum comitatu ſuo appropinquavit, ante quam neceſſario ipſi tranſeundum erat, ſclopetarii civeſque cuſtodes impedire, aientes minime ſe paſſuros,

Tentat interturbare Prætor.

ut adverſus Senatus civiumque ſtatutum, extra pomærium urbis prædicatio turbaretur, additis minis niſi deſiſteret ingentem ſanguinis effuſionem ſecuturam, imo redeunti ſibi portas occluſum iri: his permotus Prætor cum ſociis ſuis pergere non auſus, ab incepto deſtitit. Vbi ad aures reformatorum hæc pervenere, ſequenti concione nonnulli oculte breviores æneas fiſtulas, pugiones ac ſicas attulerunt, quæ ſub palliis ſuis poſſent abſcundere juſſeruntque promulgare prædicantem atque teſtari, nullius alterius rei gratia ſe arma contuliſſe, quam ut vitam caputque ſuum tueantur, ſi adverſum ſe vis aliqua ingrueret, ac Divinum ad quod convenerant obſequium turbaretur. Plurimis aliis per univerſam Belgicam locis publice ad conciones armati itabant.

Tertio Kalendas Auguſti Culenburgi, duorum ab Vltraiectenſi civitati millium intervallo, reformatorum prædicatio cœpta: Comes enim Culenburgenſis religioni adhærebat. Complures è Traiectenſi urbe cives ad concionem profecti: quod ut à Magiſtratu intellectum eſt, Iuſtitiæ Miniſtrum monuerunt, ut diligenter attenderet, & de negotio inquireret, ut quinam illi potiſſimum cives eſſent conſtaret, atque ita tanto facilius caſtigari delictum, atque in poſterum prohiberi poſſet. Nequidquam vero ab illo opera in inveſtigatione luſa; propterea quod ſe plurique præſentes fuiſſe abnuerent, alij mercium, alij amicorum viſendorum gratia profectos aſſererent.

Decimo quinto Auguſti, ingenti numero reformati tam cives atque incolæ civitatis Vltraiectinæ, quam Amſtelodamenſes, Schoonhovenſes, Culenburgenſes, Vianenſes, atque Yſelſteynij omni genere armorum inſtructi, in certum quendam pagum apud Traiectenſem civitatem dictum Loevenhout, ſitum ſub dominio Præpoſituræ & Archidiaconatus S. Iohannis, convenerunt, ut concioni ibidem habendæ præſentes adſiſterent, quod à Rectoribus Vltraiectinis intellectum ingenti eos timore affecit, qui ſubito ex omnium ſententia, à Matutino

uſque

uſque ad pomeridianum tempus clauſas portas urbis tenuerunt, civeſq; ſuos redeuntes per exiguum oſtiolum admiſere.

Decimo octavo eiuſdem menſis, rurſus apud dictam urbem juxta Vianenſem viam concio habita, ab armatis partim, partim inermibus: quamquam vero ex Magiſtratu nonnulli judicarent clauſis portis excludendos, qui ad concionem exceſſerant, id tamen minime judicatum eſt è re publica fore, eo quod verendum eſſet, ne accenſi ira reformati, ſex aut ſeptum quæ apud civitatem ſita erant monaſteria violenter irrumperent, ſpoliarent ac incenderent, quod ſuburbiis quoque ac circumjacentibus locis inferre perfacile ipſis erat.

Nobilitas Belgica cernens Provincias undique ardere armis, ſeditionibuſque agitari, jamque ad civile atque inteſtinum bellum vergere univerſa, effuſionemque ſanguinis inter cives imminere, ſi hinc cum prædicationibus, inde cum interdictione earum, ac perſecutione procederetur: videns præterea non ceſſari quotidie à promulgandis edictis, neque tamen generalium Ordinum ut promiſſum erat congregationem haberi; ad hæc non modo non agnoſci quæ ſe præſtitiſſe arbitrabantur obſequia; verum ægre etiam moleſteque lata; neceſſarium eſſe arbitrati ſunt, mature providere ſibi, & de ſecuritate ſua agitare, nec non patriæ (ſi qua fieri poſſet) calamitatibus miſeriiſque occurrere. Quamobrem generalem conventum ad S. Gertrudem in Leodienſi patria habuerunt, ut de omnibus ſerio conſultarent. Quæ ipſorum congregatio haud mediocrem rurſus Aulæ ſollicitudinem iniecit: timebatur enim, ſi non ſtaretur promiſſis, quæ facta nobilibus erant, in arma ruituros: ut itaque impediretur ne tanto iterum numero Bruxellam advenirent, in primis ne concluderetur quidquam ab ipſis, quod nulla opera aboleri poſſet. Gubernatrix per inter nuncium ab eis poſtulavit, ut ipſorum aliqui univerſæ congregationis nomine cum quibuſdam Dominis quos ipſa conſtitueret communicarent. Quo concluſo,

Secunda cōfœderatorum Nobilium congregatio.

locus primum aſſignatus eſt Arſchoti ſex ab Antverpia leucarum itinere, deinde vero Duffelij tribus tantum ab Antverpia leucis: Principi etenim qui cum Egmondano Comite à Regente conſtitutus erat, abeſſe longius ab Antverpienſi urbe non licebat.

Princeps Auriacus & Comes Egmondanus cum confœderatorum nobilium deputatis conveniunt.

Decimo octavo igitur Iulij duo iſti certiores fecere deputatos nobilium quibuſcum convenerant, Celſitudinē ſuam duos Ordinis Equites ad Regem in Hiſpanias deſtinaſſe, qui ſupplicem ipſorum libellum exhiberent; ipſam quoque poſt ultimam ipſorum Bruxellæ præſentiam nihil novarum rerum agitaſſe, quoad inquiſitionem atque edicta; ſed ipſorum in omnibus petitionibus voluntatique feciſſe ſatis. Debere ipſos fidem atque confidentiam illi Regi quem nullam umquam in ſubditos exercuiſſe tyrannidem, verum omni potius clementia ac ſuavitate Proceſſiſſe conſtabat: dubium non eſſe quin præterita omnia oblivione ſepeliret, quod & ipſa etiam pro nobilibus à ſua Maieſtate petierat. Renovabant ad hæc ipſis eorum quæ in Aula promiſerant memoriam: videlicet in Regiæ Maieſtatis ac Celſitudinis ſuæ obſequio morituros, rogantes ut ſectariorum audaciam ac temeritatem reprimerent, in primis quoniam luce clarius appareret, non niſi ad tumultum ac ſeditiones eſſe directam, ijque præſertim qui anteſignani erant, exteri ac quaſi hæreditarij provinciarum inimici eſſent: idque eo magis, quod ſpargerent, ſe ex confœderatorum Nobilium conſenſione ac mandato præſtare quæ facerent, unde iudicari poſſet, ſupplicem ipſorum libellum, quem ad conſervationem ſalutemq; patriæ obtuliſſe jactabant unicam prædicationis perturbationumque cauſam extitiſſe: quare officij eorum eſſet, eam omnibus modis impedire, & re ipſa rectam fuiſſe atque eſſe etiamnum intentionem ſuam oſtendere; ita ut, ſi ex populo aliqui ad conciones audiendas incitati eſſent, eos adverſus pactum ſupplicationemque nobilium deliquiſſe conſtaret.

Ad quæ puncta deputati rationes momentaque ſua

attulerunt, una cum articulis qui inquietos ſe reddebant, implebant ſuſpicionibus, atque ad ſecuritatem quærendam impellebant; proponentes quoque quæ à ſeſe reformati poſtularant. Et tandem utrimque deputati bona concordiæ ſpe diſceſſerunt; nihilominus confœderati nobiles concluſere quid ſibi faciendum eſſet, ſive cum Gubernatrice componerent, ſive omnis concordiæ ſpes auferretur, conſtituentes aliquos inter ſeſe qui ad Aulam accederent, ut certi aliquid cui utrimque adhærerent in poſterum conſtitueretur; addita pollicitatione ac ſacramento, nihil horum ab ulla partium violatum iri. Diſſipata itaque congregatio ipſorum, ita tamen ut quiſque ſibi non aliter quam ſi nulla pacis ſpes ſupereſſet provideret. Ad eoſdem congregatos nobiles miſſi etiam tam à reformatis quam à confeſſioniſtis deputati, ut ad liberam religionis ſuæ exercitationem uſumque pervenirent: oblatus quoque ſupplex libellus mercatorum, civium, incolarumque Belgicæ, religionem ſectantium nomine, ut in conſcientiæ libertate, religionis ſuæ exercitio omni modeſtia atque obedientia degere permitterentur, additis gratiarum actionibus, atque exoſculatione ſinceri erga patriam affectus, quo impulſi, cernenteſque duriſſimum inquiſitionis edictorumque jugum, quod nimio plus incolas Belgicarum, graviſſimo pondere prægravarat, ante elapſos aliquot menſes, ad liberandos cives duriſſimo ſeruitutis onere, operam, ſtudiumque ſuum contuliſſent; unde mirum in modum populi zelus accreſcens, diutius ſe continere nequiviſſet, quin tandem erumpens, ad conſcientiæ ſuæ ſatiſfactionem publice prædicationem divini verbi incepiſſet: ſatis enim apparebat variis rationibus ac mediis curſum euangelij, Divini verbi ſeminationem impedire, atque evellere profunde radicatam in hominum animis fidem conatos, qui veritatem horrebant: quandoquidem autem adverſos undique

Miſſi à reformatis & confeſſioniſtis ad confæderatos nobiles deputati.

Magiſtratus Rectoreſque Reipublicæ patiebantur, ignorabant plane ad quos poſt Deum præterquam ad nobiles confugerent; quorum auxilium ac favorem orabant, ut ſeſe in Euangelicæ religionis exercitio ab omni iniuria violentiaque defenderent: rogantes ulterius ut ad maiorem clementiæ ſuæ benignitatiſque atque ad communem pacem tranquillitatemque affectus commonſtrationem, ſingulis in locis nobilium aliqui conſtituerentur, qui attenderent nequid iniuriæ, violentiæ aut perſecutionis inferretur, donec à congregatis debite generalibus Ordinibus aliter ſtatutum eſſet: offerebant ad hæc bona vitamque ſuam, ad reſtituendum antiquum, tranquillum, florentemque patriæ ſtatum.

Advertens Gubernatrix in peius quotidie ruere univerſa, timenſque graviora pericula, extremumque diſcrimen, ad omnium Provinciarum urbes hunc in modum litteras dedit.

Dilecti ex animo: quandoquidem præſentiſſimum imminere diſcrimen, communemque ſubverſionem, deſtructionem, atque ruinam antiquæ noſtræ ac Catholicæ religionis ſalutiſque communis Belgicarum Provinciarum clare perſpicimus; niſi optimis remediis, præſentique medicina occurratur, extemplo, quanto autem præſentius gravius propinquiuſque periculum eſt, tanto etiam accuratior diligentia ſtudium ac cura vobis adhibenda ſit, ut coram Divina Maieſtate, Rege noſtro, univerſo denique orbe, muneris veſtri ſedulam executionem poſſitis oſtendere; rogamus ex animo, & nomine Regiæ Maieſtatis iubemus, ut confeſtim communicare cum præcipuis atque eximiæ dignitatis hominibus ne omittatis, quique ad conſervationem Catholicæ fidei, & Regiæ Maieſtatis obſequium patriæque ſalutem ac quietem vehementer affecti ſunt; ut pariter agitetis inveniatiſque remedia, atque rationes, quibus occurri periculis poſſit, ad ſecuritatem urbium veſtrarum, veſtrique conſervationem, conjugum ac liberorum ſalutem, adverſus omnes ſeditiones, tumultus, direptiones, con-

ſtitutis undique diu noctuque custodiis, diviſoque per turmas, regioneſque urbis populo, quemadmodum periculoſis temporibus fieri conſuevit, deprehendetiſque cauſæ neceſſitatem gravitatemque exigere; ita ut nihil Reſpublica detrimenti patiatur, adhibito quoque omni ſtudio atque opera; ut à ſeditioſis prædicationibus conventibuſque populus arceatur; partim autoritate, admonitionibus, bonitate atque amore, partim etiam violentia; oſtenſis periculis quæ incurrunt, Regiſque noſtri ac Principis indignatione, offenſione Magiſtratuum ac ſuperiorum, miſeris denique ac calamitatibus, quas Divina Maieſtas, immutatione religionis offenſa, conſuevit effundere, una cum generali Reipublicæ Belgicarumque Provinciarum ſubverſione ac ruina. Confirmantes præterea quam fieri poſſet optime, populum, præparanteſque ad proximum Regiæ Maieſtatis adventum, qui ſeſe quam primum adfuturum addixit, ut præſens ipſe cuncta componeret, bonoſque ac fideles ſubditos Provinciaſque ſuas ab exitio pernitieque defenderet. Vt autem tanto perfectius exequamini, quæ dicta ſunt, operæ pretium erit cum Præſidibus Conſilioque veſtro communicare, mutuaque in omnibus conſenſione, voluntatumque ac ſententiarum concordia conſpirare, ut Regiæ Maieſtatis autoritas integra conſervetur: quod ſi vero vel noſtro vel Præſidis auxilio uſus vobis fuerit, certiores nos facietis, docentes de mediis, quibus ſuccurrere atque auxiliari poterimus. Qua in re omnino confidimus fore, ut propter eam quam Regiæ Maieſtati debetis fidelitatem, patriæque ſalutis amorem, nihil omittatis eorum, quæ ad Divinæ Maieſtatis obſequium, Regiæ autoritatis, ſalutiſque veſtræ ac Reipublicæ conſervationem requirantur.

Deus ſit vobiſcũ dilecti. Datũ Bruxellę vigeſimo primo die menſis Iulij, Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto.

Ad quod ſcriptum aliquæ civitatum ſeſe conformarunt.

CVm jam eo uſque cum religionis reformatæ ſecta-toribus proceſſum eſſet, ut arma deponere cœpiſſent, ac ſpes eſſet brevi ea omnino relictum iri; accidit ut Brabantiæ Prætor, (cui conſcribendi militis cura commiſſa erat, & de quo jam fama vulgaverat, mandatum ipſum accepiſſe, ut in congregatorum apud Antverpiam reformatorum concionem irrueret, captivos acciperet prædicantes, atque alios) ſexta feria, decimonono Iulij ante mœnia civitatis cum militum comitatu tranſiret, Merxhemium haud longe inde, locum habitationis ſuæ proficiſcens, ibique plures milites ſuſciperet; quoniam vero per univerſam urbem fama erat, eo adveniſſe ut Dominico die in concionem invectus, mandata ſibi exequeretur, haud mediocris ſequenti die orta eſt in civitate turbatio, ita ut Princeps atque Magiſtratus confeſtim ad Aulam miſerint, ut celerrime quidquam amplius tentare vetaretur, atque ad avertendum populi timorem ac perturbationem, inde potius amoveretur: nihil enim inde boni oriturum videri; quippe vel armaturos ſeſe adeo reformatos, ut nihil ab ipſo vererentur (ad quod ſeſe jam tum præparare cœperant) vel ſi de robore ac viribus ſuis diffiderent; metuendum, ne in ipſa civitate locum aliquem invaderent, quo à Prætore tuti eſſent, & tam ex uno quàm ex alio multa mala ac ſanguinis effuſionem ſequi poſſe, plurima alia ſupereſſe conſilia ac remedia, quibus reformati valerent induci, ut arma deponerent: etſi vero Gubernatrix initio reſponderet, minime Prætorem ut vim faceret tantæ hominum multitudini qualem apud Antverpiam confluere ad conciones audierat, militem conſcripſiſſe; nihilominus tamen plurimis argumentis ſingularique adhibito ſtudio ac diligentia, eodem die à Celſitudine ſua litteræ impetratæ, quibus nihil quidquam tentare Prætor verum alio diſcedere jubebatur, quæ ineunte die vigeſimoquinto eiuſdem menſis traditæ ſunt, iiſque paululum populi ſedata turbatio; ſed longe validioribus armis munimentiſque vallata illo die quam unquam alias concio, idque

Brabantiæ Prætor militem colligit.

idque eo magis, quia idem Prætor pridie habendæ concionis, apud civitatem cum milite viſus erat.

Media hac tempeſtate certior fama allata eſt, Ducem Ericum apud Lingam Regis mandato præparare univerſa quæ ad bellum neceſſaria erant, quorum ibidem uſus eſſet; quod peregrinum plane viſum plurimis, non mediocrem ſuſpicionem iniecit.

Poſtquam tertio demum Auguſti ſuper deputatorum Antverpienſum ſollicitatione ac precibus à Gubernatrice reſponſum, dataque reſolutio, populi quievit aliquo modo tumultus; inprimis quod ad ſupplicem eleemoſynariorum, Principi ac Magiſtratibus exhibitum libellum, pro pœnitentibus aliquibus Anabaptiſtis gratiam conceſſiſſet, modo in pœnitentia ſua perſeverarent, ſtarentque ac implerent quæ à Parocho præſcriberentur: quod præterea promulgaturam edicto veniam addixiſſet, pro iis qui hactenus concionibus adfuerant, modo abſtinerent in poſterum: verum quod de generalium ordinum convocatione reſpondiſſet, ſcripſiſſe ſe ad Regem, cuius exſpectari voluntatem oporteret, quod reformati quoque alicuius Iacobi Sore, qui etiam adverſus civitatis privilegia captus dicebatur liberationem abnuiſſet, magis animos hominum exacerbavit, eoque amplius, quia pro ipſo ingens mercatorum multitudo, imo reformati univerſi inſtiterant, qui deinde per Principem quoque ac Magiſtratum à Celſitudine ſua idem orari petierunt, quorum quoque precibus nihil effectum; ita ut ſequentibus primum tumultibus captivus evaſerit. *Grata Antverpienſibus Gubernatricis clementia.*

Poſtquam Princeps ac Magiſtratus dierum aliquot ſpatio ſerio laboraſſent, ut certos articulos ac puncta componerent, qui ad civitatis ſecuritatem eſſent, de cuſtodibus ac vigiliis videlicet; quia populus omnem etiam ex civibus collectum militem recuſabat, iidem articuli in amplo Conſilio membris totique communitati, una cum Gubernatricis apoſtilla de generalibus ordinibus & venia delictorum exhibiti ſunt,

cùm facta quoque propoſitione, quo ad interdictionem ſclopetorum, aliorumque armorum, quæ geſtare prohibitum erat. Declarata inſuper Gubernatricis Apoſtilla, qua Principi Auriaco regimen civitatis detulerat, quod quia ſuſceperat, actæ illi à mercatoribus atque incolis gratiæ: de prædicationibus autem dictum, non videri è re fore ut aliquid violenter adverſus illas tentaretur, antequàm a Generalibus Ordinibus deliberatum eſſet, quod unicum adverſus omnia mala remedium videbatur, quorum ut quam citiſſime congregatio fieret aiebant pro ſe quemque ſollicitum eſſe oportere. Ex quibus aliiſque quas attulere rationibus, generalis facta conſtitutio, tam quo ad vigilias, quam ceteram urbis gubernationem obſervandam in poſterum, quæ ibidem decimotertio Auguſti promulgata eſt, ut mercatores cives atque incolæ maiori ſecuritate gauderent.

Comitis Egmondani procedendi modus diſplicet omnibus.

Comes Egmondanus interim Gubernatricis juſſu, in Flandria Provincia ſua, ingenti labore incubuerat, ut exortos variis locis populares tumultus ſeditioneſque componeret, ſevera quoſdam punitione caſtigans, dulci alios ſuavitate conans avertere, de quo diverſi diverſa loquebantur, ita ut neque apud Aulam, neque apud reformatos gratiam injuerit.

Rithonij cum Prædicante diſputatio.

Nova inter hæc Antverpiæ perturbationis cauſa pre manibus fuit, quam tamen Divina bonitas avertit. Accidit autem quia cum reformatæ religionis Prædicans ingenti corona concioni ſuæ finem impoſuiſſet, quidam Lovanienſis Theologus Doctor & Paſtor S. Petri Lovanij M. Petrus Rithovius ſeculari veſte indutus adfuit, qui publice concionatorem falſitatis arguit, obiectis adverſus eum argumentis; ad quæ cum alter ſeceſſum peteret, ut una conferrent, perrexit nihilominus in argumentatione ſua Rithovius: ad cuius contentionem cum undique populus afflueret, maioremque ex Prædicantis ſui, quam Rithonij argumentis ſatisfactionem acciperet, incondito clamore excitato irruit in Theologum, quem profectò mactaſſent, niſi civium aliquorum opera

ex eorum

execorum manibus eſſet ereptus, & in ſubterraneam ſpecum abſconſus, quo vehementer populi ira tumultuſque cum exorſiſſet, conglobati per urbem diſcurrentes interfici ipſum vel tradi juſtitiæ expetebant, donec Princeps Auriacus comprehendi eum interrogatumque qua de cauſa tumultum excitaſſet, clam cymba auchi juſſiſſet: quo facto ſedata turbatio. Ex his & ſimilibus cauſis non raro perturbationes excitabantur, propterea quod quæ ſemel altas egerat radices, diffidentia ex hominum animis evelli non poterat: quibus de rebus Auriacus ad Gubernatricem perſcripſit.

Eccleſiaſticum Cameracenſe conſilium, ad Magiſtratus Antverpienſes litteris mandata miſit ut dicto Predicanti concionibns interdiceret, quibus non obſtantibus, ille tamen in cœpto perſtitit, reſcriptumque à Senatu ad Eccleſiaſticum Conſilium, non poſſe ipſum abſque præſenti diſcrimine impediri, propter ingentem mortalium à quibus cupidè audiebatur multitudinem. Laboratum interea omni diligentia ut reformati arma deponerent, quod præſtituri videbantur, niſi Brabantiæ Prætoris, qui ſubinde Bruxella rediens ſub mœnibus urbis equitabat, timor impediſſet. *Quod Bruxellæ reſidebat.*

Eodem fere tempore civium primarij actis Auriaco quod civitatis in tanta rerum omnium perturbatione curam ſuſcepiſſet gratiis, petivere ut adeſſe ſibi perpetuo vellet, vel ſi alibi uſus ipſius eſſet, donec rediret, vicarium ſibi à Regente conſtitui curaret Comitem Hornenſem vel Hoogſtratanum, ne capitis defectu quidquam à pacis & tranquillitatis oſoribus tentaretur. Rogarunt præterea ut ad meliorem civitatis gubernationem eligeret confeſtim Vicarium, pro ut in amplo Conſilio ſtatutum erat, eumque Dominum de Stralen, quem gratiſſimum civibus ac mercatoribus adſerebant. Quæ cum Princeps Regenti propoſuiſſet, dilatum ab ea negotium, eo quod non requiri adhuc Vicarium exiſtimabat. *Antverpienſes vicarium Principis Auriaci petunt.*

Interea nihil non operæ adhibebat Princeps, ut reformatos

matos induceret ad obſervationem eorum, quæ à membris civitatis conſtituta erant, & depoſitis armis ad conciones ſuas accederent: quibus ſtaturos ſe polliciti ſunt, modo ſibi à Prætore atque omnibus aliis ſecuritas præſtaretur, quod factum à Prætore ipſo, ut ex litteris ipſius apparet 17 Auguſti. Verum quatuor uno eodemque tempore incidentes cauſæ rurſus cuncta turbarunt.

Seditioſæ litteræ. Prima erat, quod ad Magiſtros regionum litteræ allatæ ſint, quæ ad illas decimætertiæ Auguſti reſponſum continere videbantur, quod nimirum inter Gubernatricem & deputatos Antverpienſium, qui Bruxellæ verſabantur deliberatum atque concluſum eſſet, de diſſipatione concionum, quæ frequentes erant; unde effuſionem ſanguinis coniugum ac liberorum interitum, preſagiebant animo: plura præterea addebantur ex quibus proditam Antverpiam conſtaret, nec niſi traditionem illius quæ jam vendita erat agitari, quod litterarum autores ut amantes civitatis non potuerant omittere, quin ſignificarent, rem ſane dignam quæ cum Principe ac proceribus communicaretur.

Secunda quod Brabantiæ Prætor à quo adeo verebantur, per Antverpiam, certam curruum quibus arma vectabantur multitudinem tranſvexiſſet, unde fama ferebatur adverſus prædicationes ea præparari qua de cauſa unus detentus à civibus. Magiſtratus cura quam in excuſando poſuerat, tantum abeſt, ut quidquam proficeret, quin potius maiorem in animis civium ſuſpicionem excitavit.

Tertia, quod litteræ quædam allatæ ſint, quibus ſignificabatur reformatis adventaſſe Prætorem, atque eſſe concluſum, ut ſigno maioris campanæ in Cathedrali Eccleſia dato, prima occaſione in congregationem irrueret, eſſe ad auxilium ipſius in circuitu civitatis mille equites, qui ex circumiacentibus monaſteriis ad quingentos ab urbe paſſus accederent, campanæ ſonitum exſpectantes, ut eo percepto reformatos adgrederentur.

Quarta quod eo ipſo tempore vir quidam aliquos

refor-

reformatorum acceſſerit, declarans multum à ſocio quodam ſuo laboratum, ut in urbe Antverpienſi ſtipendiarium ſe faceret eorum, qui ad primum maioris campanæ ictum, adverſus reformatæ religionis ſectatores decertarent, ductum ſe præterea ad locum in quo arma jacebant, juſſumque ex iis quæ vellet eligere: ad hæc eodem ipſe die alios octoginta conſcriptos.

Quatuor hæc puncta diſperſa per civitatem, tantam acerbitatem, murmurationem tumultumque excitarunt, ut in ſummo ſeditionis periculo civitas verſaretur, Verum cum rumoris huius falſitas conſtaret, quanquam non abſque difficultate tumultus tamen ſedatus eſt: reformati nihilominus ſumpta hinc occaſione concluſerunt in poſterum, nunquam extra, ſed intra urbis pomœrium conciones conventuſque ſuos celebrare. Princeps Auriacus, cum hanc reformatorum ſententiam propoſitumque intellexiſſet, ad aliquos concionatorum, alioſque reformatæ religionis primarios, duos ex aulicis ſuis cum Penſionario miſit, eis pro poteſtate ſua imperans, ut à tali propoſito diſcederent, caverentque ne intra muros urbis concionarentur, donec Regentis nobiliumque ultimam reſolutionem intellexiſſent (quod brevi fore certum erat) alioquin cogeretur oſtendere, id abſque ſua voluntate fieri, atque armare ſeſe, ut ſi nihil ſuavitas impetraret, violentia compelleret. Manſere nihilominus obſtinati reformatæ religionis ſectatores: tamen ne contumacia uſi viderentur, jam multo veſpere ad Principem mercatores miſerunt, qui prædicta quatuor puncta, reliquaſque cauſas referentes, quibus erant impulſi ut depoſitis armis meliori remedio adverſus ea quæ ab hoſtibus inferri poſſent ſe tuerentur, atque in civitate in poſterum conciones ſuas haberent, rogarent Excellentiam ſuam, ne ægre ferret, malentes nihilominus indignationem ipſius incurrere, quamquam inviti, quam innumeras populi querelas audire, promptiſſimi alias futuri ad obedientiam, poſſe vim ſibi abſque illius conſenſu inferri: itaque non mirum ſi pro defenſione ſua

Impedit Princeps Auriacus, ne in urbe Antverpienſi conciones habeantur.

ſolliciti

ſolliciti eſſent. Promiſere ad hæc quamquam in urbe conventus ſuos & prædicationes haberent, nihil tamen occaſione ipſorum tumultus aut perturbationis oriturum.

Verum cum Princeps nullo modo poſſet induci ut conſentiret, ſed multa in contrarium adferret, reſpondere ita à communitate eſſe concluſum, Excellentiæ tamen ſuæ honore ac reſpectu, conaturos ut negotium everterent, quæ licet media nocte contingerent, miſit tamen ad Senatum Princeps, monens ut prima aurora cives armaret, quibus per omnia urbis loca dimiſſis, turbaturum ſe conventiculorum initia ſperabat; ſed eo ipſo mane ij rurſus quibuſcum veſperi egerat, eum acceſſerunt, affirmantes ſe tantum effeciſſe, ut conciones adhuc extra urbem haberentur; addebant vero ſe vehementer vereri, ut populo perſuaderi poſſet, ſi præſens timor & pericula imminere pergerent, niſi de omni vi ſecuri eſſent, de quibus omnibus Excellentia ſua extemplo ad Regentem perſcripſit.

Creſcente indies numero reformatorum, magnaque populi multitudine ad conciones illorum affluente, partim curioſitate, partim etiam zelo, aliqui ipſorum, quos vehementior ardor impellebat, auſi ſunt in Flandria circa Ypras, aliquot Chriſti ac ſanctorum imagines deturbare; inde ad ſacella, templa & monaſteria, quæ in circumiacentibus campis ſita erant, progreſſus furor, tandem in urbes irrumpens, adverſus crucifixos, ſtatuas, ciboria, altaria, imagines, univerſa denique Catholicorum ornamenta deſæuijt; ita ut nihil plane intactum popularis inſania relinqueret, idque incredibili celeritate. Neque vero exiſtimandum eſt abſque ſceleratorum hominum auxilio, multiſque furtis hæc accidiſſe; quamquam plurima variis in locis rectoribus reſtituerentur. Hæc in Flandria primum, cum Gubernator Comes Egmondanus vocatus ad Aulam abſceſſiſſet, exorta tempeſtas, haud aliter ac ventus, ingenti ſane celeritate, omnes Belgicas Provincias ita pervaſit, ut nulla penitus

Iconomachia in Belgica.

ab hac iconomachia libera exſtiterit : ſive id à fæce populi paſſæ fuerint, ſive à Rectoribus Eccleſiaſticis, aut ſecularibus, timore jacturæ templa & clauſtra ſpoliata ſint. Quod vero mirabilius eſt, ſciri nunquam potuit, quo auctore iſta contingerent, neque quiſquam reformatæ religionis inventus, qui ſe hac de re jactaret, aut ſe probare factum oſtenderet, quamquam poſtmodum confecto negotio non parum lætitiæ ac voluptatis hauſerint.

Antverpienſis iconomachiæ initium.

Vt ex uno reliqua lector diſcernat, de Antverpienſi tantum civitate (quoniam Belgicarum ocellus eſt) referemus. Cum Princeps Auriacus, quem, ut dictum eſt, Regens civitati Gubernatorem miſerat, rurſum Bruxellas eſſet profectus, poſtridie cum in publica proceſſione Virginis Mariæ imago circumferretur, nec quidquam motum eſſet ab aliquo, donec rurſum in locum ſuum cathedralis ſcilicet templum relatum eſſet, nec ullus timor ſupereſſe videretur, eodem die adoleſcentes nonnulli irridentes interrogarunt, num timeret Maria, quod tanta feſtinatione ſeſe in Chorum recepiſſet, hæc atque alia ſimilia dicteria jactitantes. Alij præterea in ſumma æde proxime concionatoriam cathedram colludentes, ac concionabundi prædicationem imitabantur : aſcendit unus cathedram quem cum alij irriderent conarenturque detrahere, ille ſeſe defendens, nunc hos nunc illos deturbabat : unde tandem jocus in ſerium verſus, & cives nonnulli, qui forte advenerant, cum ſeſe immiſcerent, pœne ad manus ventum. Nautæ cuiuſdam filius, qui cum detrahere alterum laboraſſet, primus initium pugnæ dederat, inventus extra fores Eccleſiæ, ad Magiſtratum ductus eſt, cui rem ordine ut geſta erat aperuit.

Poſtero die vigeſimo Auguſti, circa veſperam, adoleſcentes quidam ac viri, ut moris erat, circa laudes in templo obambulabant, ubi rurſus Mariæ virginis imago dicteriis ac ſchomatis impetita; unde anus quædam, quæ ante Chorum cereas candelas diſtrahebat, recipiebatque oblationes, offenſa, pulueribus ac cinere nebu-

lunculos iſtos aſperſit: qua de cauſa orta diſſenſio, ita ut Marchio Antverpienſis Dominus Iohannes de Immerſelle, cum ſatellitibus ſuis templum ingreſſus juſſerit excedere eos qui ambulabant; quorum quidam dicto audientes, alij ſe laudibus auditis egreſſuros aiebant, cum intuliſſet Marchio non celebrandas hoc veſpere, offenſi nonnulli, ipſimet cantare occœperunt inconditis vociferationibus, donec pluribus undique affluentibus, cernens Marchio non ſufficere ſe ad expellendam multitudinem, clauſis templi portis, una tantum excepta, ipſe cum timoris ſignificatione diſceſſit. Qua de cauſa auctis plebis animis, jam noctis initio, ſeſe mutuo incitarunt quidam, ad deturbandam frangendamque Virginis imaginem, irrumpentes in Chorum, clamanteſque vivant Geuſij. Hinc uſque adeo proceſſit audacia ac furor, ut ante mediam noctem omnes Chori violenter aperti ſint, diffracta altaria, deiectæ imagines, rupta clauſtra, in grandi illo templo, in quo ad ſeptuaginta omnino altariorum numerus adſcendere dicebatur, totque excellentiſſimis ornamentis artificioſiſque picturis, atque omni opulentia decorata, ut vix ſimile uſpiam reperire eſſet.

Patrata hac in ſumma æde iconomachia, ingens nebulunculorum multitudo, cum viris quibuſdam ac meretricibus, undique ad idem in aliis quoque templis præſtandum diſcurrit, adeoque abſque ullo reſpectu debachata eſt, ut ante crepuſculum lucis, quidquid in urbe templorum erat violatum eſſet. Mirabile profecto negotium tanta celeritate ab ignotis autoribus talem rem eſſe perfectam.

Inter hæc Magiſtratus & cives ſtupore perculſi, totam noctem in armis tranſigebant. Catholici hæc à reformatis fieri exiſtimantes verebantur ne nimium invaleſcens manus ipſorum, in ſeſe ingrueret: reformati quoque metuentes ne ſibi imputaretur, providendum judicabant, ne ab adverſariis obruerentur. Dum hæ duæ partes mutuo timore tenebantur, com-

munis

munis timor erat utrimque, ne fex illa hominum ad mercatorum etiam crumenas ac ciſtas idola quæſitura prorueret. Hoc itaque modo Magiſtratus & cives ſtabant perculſi, ligatis animis ac manibus, quamquam armati, bonoque ordine ſeſe mutuo ad concordiam coniunctionemque animorum exhortantes, ut pro bonis atque opibus ſuis dimicando, ab ædibus ſuis inconditæ multitudinis cupiditatem furoremque propulſarent: unde arguendi eos occaſionem Hiſpani ſumpſere, quod pro divitiis ſuis ſolliciti, ſanctæ Romanæ fidei propugnationem negligerent. Etſi autem in hac oppugnatione templorum plurimæ ſummi pretij res amiſſæ ſint, non paucæ tamen ad Senatum in curiam apportatæ ac reſtitutæ.

Civium aliqui antificioſas excellenteſque picturas, atque imagines amore artis precibus ſuis extorſerunt.

Vt primum ſequentis diei aurora apparuit, ſeditioſorum iſtorum aliqui apertis portis erumpentes, primo S. Bernardi Monaſterium tribus ab urbe leucis ſitum ad Scaldim magno impetu incurrerunt, eademque qua in urbe audacia ac furore omnia diripuerunt; quod ſimiliter aliis in circuitu civitatis clauſtris ac Monaſteriis factitatum. Neque ideo tempeſtas in urbe ceſſavit, ſed ſequentibus aliquot diebus, quidquid adhuc integrum primus furor reliquerat diffractum: nec quiſquam reperiebatur qui contradicere aut obſiſtere auderet, donec tandem egregium auroque decoratum, ad ſummæ Eccleſiæ Chorum ſtantem crucifixum multo labore deturbarent; iſque labens pondere ſuo inſigni arte depictas aurei velleris Equitum imagines quas Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimoquinto in congregatione ſua ſtatuerant, confringeret. Qua de cauſa Magiſtratus civiumque plurimi non mediocriter offenſi, ſumptis animis obſtitere omnibus, qui tale quid ulterius tentabant, duodecim circiter eorum in vincula coniectis; quorum

tres in ipſo crimine deprehenſi, 18 Auguſti capitali ſupplicio pœnas dedere, ad patibulum in foro ſuſpenſi, tres alij exilio, reliqui aliis pœnis caſtigati.

Magiſtratus confeſtim incubuit ad impediendas reformatorum quæ jam inceperant in templis conciones, & ad reducendos, à furtis & rapinis ad obedientiam modeſtiamque cives, quod tandem autoritate ſua apud populum effecit; promulgata etiam ſuſpendij pœna in eos, qui rapta bona ad regionum urbis magiſtr..s non reportarent, aut quidquam in poſterum rapere aut confringere præſumerent.

Miſſus ad reformatos Iacobus VVeſenbecius, qui eos nomine Magiſtratus admoneret, unde occaſionem ſumpſere, hæc quæ ſequuntur, tum verbo tum ſcripto declarandi Magiſtratui; vigeſimoquarto Auguſti Anno milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto, Conſule Domino Iacobo vander Heyden. Primum teſtari ſe coram Divina Maieſtate, conſcientiaque ſua imaginum, templorumque direptionem abſque voluntate conſenſuque ſuo accidiſſe, neque placere ſibi modum; quia abſque ſuperiorum autoritate contigerat, deteſtari ſe præterea rapinas, furta, aliaſque inſolentias, non niſi à populi fæce commiſſas: Prædicantes ſuos hortaturos pro concione, ut ablata Senatui reſtituerentur; Eccleſiæ ſuæ adhærentes, paratos eſſe omni obedientia ac promptitudine ad Dominorum mandatum, & ad ſimilibus nebulonum tumultibus reſiſtendum: agnoſcere ſe Dominos Senatores ac Magiſtratus à Deo ſibi præpoſitos, ideoque ſe teneri, dicto audientes eſſe, quemadmodum in Divinis litteris præſcribitur.

Ad quorum maiorem firmitatem ac certitudinem paratos eſſe paſtores ac prædicantes ſuos ſacramento ſeſe obſtringere fidelitatis, atque obedientiæ in omnibus ſecundum Dei verbum præſtandæ ad conſervationem, ſalutem atque utilitatem reipub. ſupplicantes interim ut ſub tutela atque auctoritate Dominorum donec aliter conſtituta res eſſet concionari permitterentur neminem

autem

autem à ſeſe quoad conſcientiam vim eſſe paſſurum verum fore contentos cum gratiarum actione iis mediis, quæ divina maieſtas ad obſequium ſuum ipſis impertierat: quapropter orabant ut ſtatueretur nemini in poſterum licitum fore, alium quenquam religionis cauſſa convitiis aut maledictis impetere.

Hiſce rationibus ac ſupplicibus libellis eo tandem res deducta eſt, ut reformatis autoritate magiſtratus in nova civitate concionari permiſſum ſit, idque ut in conſecratis templis prædicationes impedirentur: confeſſionis tamen Auguſtanæ prædicanti, in templo S. Georgij concionari permiſſum.

Horum omnium Magiſtratus quotidie degentem Bruxellæ Auriacum certiorem faciebat, obteſtans ut ad ſeſe properaret: quibus ille id culpa eorum accidiſſe, quod conſilio ſuo in conſcriptione militum, aliiſque rebus non ſtetiſſent, obiecit. Qua de cauſſa ex ampli conſilij ſententia univerſam in ipſum urbis poteſtatem contulerunt, promittentes obedientiam in omnibus, modo civitatis immunitatibus ac privilegiis ne detraheret. Vigeſimo ſexto igitur Auguſti Antverpiam rurſum ingreſſus eſt.

Similes interea in plurimis aliis templis, monaſteriis ac civitatibus facta deſtructio. Mechliniæ ne in minorum templo idem accideret impeditum. Lyræ Magiſtratus irrumpentes avertit facta promiſſione ſeſe ipſum pro illis id eſſe facturum quod & præſtitit, idem quoque in plurimis aliis Brabantiæ Flandriæque locis in univerſis denique provinciis accidit.

Hagæ Comitis Adrianus Memmingius & Theodorus Iooſten incentores extitere: quorum eouſque prorupit audacia ac temeritas ut ad præſidem Suſium acceſſerint, petentes ipſius ac conſiliariorum autoritatem, publicos præterea fabros quorum opera in deſtruendis imaginibus, ac cæteris templorum ornamentis uterentur. Quod à perculſis, conſternatiſque timore obtinuerunt. Denique hæc iconomachia tanta celeritate

univerſas provincias pervaſit ut tempeſtatis turbiniſque ventorum inſtar deſæviiſſe videretur.

IN territorio atque vrbe Tornacenſi cum incredibilis civium inſolentia & furor graſſaretur publiceque in vrbe conciones in ſumma æde haberentur D. Ioannes Chaſtelet qui vice D. Montigny Gubernator erat, cum occurrere non poſſet, eo quod inviſum eum reformati ac ſuſpectum haberent ſcripſit ad Gubernatricem obſeſſum ſe in arce imo non ultra viginti quatuor horas tueri poſſe cibariorum inopiâ. Quapropter generali totius conſilii Ordinum ſententia Comes Hornanus eo ad componendas turbas miſſus eſt: qui pridie Kalendas Septembris adveniens turbata omnia & pluſquam ſex hominum millia in armis invenit: cui ingredienti magna inſolentia nonnulli acclamarunt, Vivant Geuſii. Ille non abſque ingenti diſcrimine armatæ plebis turmas ingreſſus in civitate diverſorium elegit effecitque tandem quanquam incredibili labore ut relictis templis ac ſacris ædibus in profano loco concionarentur, depoſitiſque armis ſeſe componerent. Conſignatam quoque ſcripto compoſitionem ad Regentem miſit. Et denique ut verbo loquar ſingulari opera ac ſtudio perfecit ut extra pomœrium in poſterum conciones haberentur. His peractis Bruxellam reverſus cum adverteret accuſatum ſe oneratumque calumniis apud Regentem aula egrediens VVerdam domum ſuam ſe contulit certo proponens ab omni negotiorum publicorum in his tumultibus tractatione abſtinere. Miſit præterea epiſtolam ad Regem, conqueſtus non modo non agnoſci, ſed perperam etiam explicari conſilia ac labores ſuos.

Ante diſceſſum eius Gubernatrix confectos ab ipſo compoſitionis articulos per Secretarium De la Torre ad Tornacenſes miſit: erant autem eiuſmodi.

Ad tumultuum ac diſcordiarum compoſitionem reformatæ Religionis ſectatores obſtringunt ſe ad ſervanda quæ

da quæ ſequuntur, donec à Rege & Generalibus Ordinibus aliter ſtatutum eſſet.

Primo divinum obſequium aliaſque Catholicæ Religionis obſervatas ab antiquo ceremonias, minime turbaturos, nec permiſſuros ut Eccleſiaſticis aut ſecularibus ullo modo impedimentum aut injuria inferatur.

Ceſſaturos in poſterum à concionibus & conventiculis in urbe, aut in templis extra eam, contentos locis ſibi aſſignatis. Quibus locis dominicis modo feſtiſque diebus conciones habebunt, ſed abſque armis.

Nunquam ultra duos uno tempore Prædicantes habituros, adiunctis totidem eorum vicariis, eoſque non niſi Regis ſubditos fore, facturoſque ſacramentum fidelitatis atque obedientiæ, Magiſtratui in Politicis rebus exhibendæ.

Ad quorum maiorem certitudinem factum à deputatis reformatorum juramentum, & à Magiſtratu promiſſio nihil in poſterum hinc inde moleſtiarum illaturos.

MIddelburgi non contenti templorum ac altarium deſtructione reformati coëgerūt Magiſtratum captivos univerſos è carceribus dimittere.

Vltraiecti cum fama verſaretur eorum quæ in Flandria ac Brabantia contigerant, atque inſuper ad octo millia ſectariorum per Provincias diſcurrere, ingens terror, rerumque omnium turbatio erat.

Vigeſimo quarto Auguſti poſt meridiem cum Reformati matutino tempore prædicationi interfuiſſent, quidam ipſorum, per unum è Conſulibus duo in urbe templa à Magiſtratu petierunt, acceptoque reſponſo non eſſe id poteſtatis ſuæ, ſed poſtridie cum conſilio civitatis tractandum, eo ipſo ſequenti die prædicatione extra urbem finita, quidam in S. Gertrudis templo deturbare imagines cœpere, quo intellecto Magiſtratus tum quidem quanquam ſedulo per miniſtros inquirerent reperire autores non po-

tuere: altero tamen die compertum adoleſcentes aliquot à ſclopetariis quibuſdam adiutos hoc facinus perpetraſſe.

Vigeſimo quinto Auguſti mane congregato civitatis conſilio rurſum petitionem ſuam indicarunt Reformati, volentes minorum & prædicatorum templa ſibi aſſignari, addito concluſum à ſeſe abominabilem imaginum adorationem ulterius non eſſe tolerandam neque tamen velle ſeſe quidquam ſpoliare. Ad quæ cum diu multumque deliberatum eſſet à DD. Hermanno de Vecht, primario Conſule Iohanne Taets Ameringio, Henrico de Vecht Reyneveltio, VVilhelmo à Diemen, ac nobilibus D. Iohanne de Renes D. in VVulp, Iohanne Stephano à Zeulen & Iohanne VVilhelmo à Nievelt, qui ex confœderatis erant, aliiſque compluribus nobilibus ac primariis civibus, petivere à deputatis Reformatorum, ut quandoquidem concedendi ea quæ vellent ſibi poteſtas non eſſet, octo dierum darent inducias, donec ad Gubernatricem & Auriacum Principem ſcripſiſſent. Cui aſſenſerunt tandem communi voluntate Reformati dataque invicem manus & facta promiſſio. Quibus nō obſtantibus vix digreſſo Magiſtratu, facta in S. Iacobi aliaque templa irruptione, ingenti furore bacchati ſunt. Quod cum à Conſulibus intellectum eſſet convocatis in curiam Magiſtratibus aliiſque civium primariis, conſultarunt quid hoc in negotio potiſſimum aggrediendum eſſet; concluſum non videri reſiſtendum ex tempore ſed armatos aliquos, qui excubias in curia agerent conſtituendos. Centum & ſexaginta delecti. Poſtera luce 26 Auguſti multo mane Rectores urbis, intelligentes rurſum congregatos in area S. Mariæ Reformatos quorum numerus ad ſexcentos aſcendebat, armatoſque deſtinata ſibi effecturos, conſilium civitatis convocarunt, miſeruntque D. Ioannem de Renes ad Reformatos, qui aliorum conſilio ſuiſque precibus tantum effecit ut quatuor dierum inducias pollicerentur, ut interim ad Gubernatricē & Auriacum ſcribi poſſet & impetrari templa

aliquot ad Religionis ipſorum exercitium: nihilominus tamen interim dum cum ipſis ageretur aliqui ipſorum ad S. Nicolai & S. Gertrudis templa digreſſi ſunt exorſique iconomachiam, aliorum quorundam quos Magiſtratus miſerat autoritate deterriti ſunt.

Leovardiæ in Friſia haud abſimilia his agitabantur Magiſtratuum plerorumque, Conſulis imprimis Theodori VValles conſerſione; imo è conſiliariis nonnulli una cum Reformatis civibus armati prædicantem in præcipuam fere urbis Cathedram ſtatuerunt. Quod ut Comes Arembergenſis qui Friſiæ præſidebat accepit, Leovardiam cum feſtinatione contendens, vocatis ad ſe Conſulibus juſſit, ut omnia in antiquum ſtatum reſtituerentur, qui ſeſe excuſarunt, nimiam populi multitudinem ac furorem obtendentes. Quia autem audaciores aliqui jactaverant ſcire ſe modum arcis invadendæ, invecta annona & militibus eam firmavit, ut tumultibus qui in Friſia & frequentes & vehementes erant poſſet obſiſteret.

Amſtelodami cum fama perveniſſet graſſari iconomachiam, & ab una in aliam civitatem pervadere, Rectores urbis Monaſteriorum templorumque miniſtros, admonuere, ut quæ in templis ſuis pretioſa haberent, ad ſecuriora loca aveherent: quod cum fieret à pleriſque atque adverteretur à populo vigeſimo tertio Auguſti in templo veteri plurimi Reformatorum congregati inceperunt ingenti celeritate ac furore in imagines & altaria ſævire: quo intellecto Conſules & Magiſtratus ſclopetariorum centuriones advocarunt. Prætor interim collecta 40 virorum Manu in templum ingreſſus irruit in plebem & templo expulit plurimis eorum percuſſis; unde fex illa erumpens è templo, & aliorum aucta accurſu, iterum in prætorem invecta eum cum ſuis fugavit: quæ dum agerentur ſclopetariorum adventu ſedata turbatio & iconomachia diſcuſſa.

Delphis quanquam pleraque è templis prudenter avecta eſſent, ſævitum nihilominus in ea quæ reſtabant,

neque quidquam ſclopetariorum reſiſtentium vis profuit. In Octobri poſtea minorum monaſterium diripientes, templum ipſorum nequidquam reclamante magiſtratu occuparunt.

Hagæ eo furor aliquorum prorupit, vt non in templa modo baccharentur, verum ablatas etiam ab aliquibus imagines frangendas violenter è domibus eriperent.

Groeningenſes aliique Friſiæ confines poſtremi in hac iconomachia fuere, propterea quod non uſque adeo vexati perſecutione fuerant. Videntes tamen propinquorum ſibi Leovardienſium, aliorumque Occidentalis Friſiæ exemplum tandem etiam eruperunt: tamen Groeningenſes ea diſcretione proceſſere, ut cum autoritate ſenatus minores tantum invaſerint, templumque eorum depoſitis ſedate quæ diſplicebant ſibi præpararint.

Nimiæ prolixitatis notam incurrerem, ſi ſingula quæ in variis urbibus ac locis circa hoc negotium contigere, recenſere vellem: pergendum itaque ad alia ne lectori tædium offeratur.

Cum hoc modo univerſa flagrarent confæderati nobiles minime neglexere ſecuritatis ſuæ cogitationes: armarunt itaq; ſeſe ad repellendum ſi quæ inferretur iniuriam, miſeruntque ad diverſa loca deputatos, qui quoscunque poſſent ad confœderationem ipſorum allicerent. Verum enim vero antequam extrema tentarent, è re ſua fore arbitrati ſunt, ſi iterum apud Gubernatricem, calamitatum harum remedium expoſcerent, quod miſſo hoc qui ſequitur ſupplici libello præſtitere.

Domina dignas Celſitudini Tuæ gratias agere nō poſſumus pro ijs quæ Duffelij 18 huius menſis per D. Auriacū Principem & D. Egmondanum Comitem nobis obtulit, à quibus ſcripto comprehenſam accepimus Celſitudinis Tuæ ſententiam, quæ ſequentibus octo articulis conſtare nobis videtur: quorum primus eſt.

Celſitu-

Celſitudinem tuam Marchionem Bergenſem & D. de Montigny miſiſſe ad Regem, ut ei preces noſtras exponerent.

Secundo refricata nobis memoria promiſſionis, qua obtulimus in Regiæ Majeſtatis ac Celſitudinis Tuæ obſequio vitam effundere, in qua perſiſtimus etiamnum neque vnquam ex animo noſtro deleta eſt.

Tertio ut cognoſceremus nihil novi quoad Inquiſitionem atque Edicta accidiſſe & à Celſitudine tua in omnibus eſſe ſatisfactum. Credimus Domina à Celſitudine tua nihil innovatum, verum Rectores ac Magiſtratus, litteris Celſitudinis tuæ mandatiſque non obedientes, adverſus Celſitudinis tuæ voluntatem atque ſententiam (quemadmodum exiſtimamus) in perſecutione proceſſerunt.

Quarto vt tanquam fideles ſubditi ſecundum promiſſa noſtra ſectariorum cohiberemus inſolentiam. Quantum ad pollicitationes noſtras Domina exiſtimamus pleniſſimè ijs à nobis eſſe ſatisfactum, vt qui incredibili ſtudio ac diligentia incubuerimus ad ſedandam populi ſeditionem ac tumultum, impediendaſque conciones: Verum ut nihil efficeremus cauſſa fuit, quæ ex tarditate Celſitudinis Tuæ & protractione negotij, in hominum animis erat nata ſuſpicio: acceſſit inſolens Provinciales Ordines congregandi ratio, & quotidianæ minæ tam adverſus nos, quam populum, præſertim ab Eccleſiaſticis; quæ coniuncta populum impulerunt ad publicos conventus & prædicationes quas huc uſque exercent.

Quinto ad publicas ſeditiones tendere hæc omnia, atque ab exteris, iis quoque qui capitales ſemper provinciarum noſtrarum hoſtes extiterant, agi negotium. Ad quæ reſpondemus Domina primos nos fore qui in arma pro patria ruamus, ſi quidquam ab exteris ullis attentetur: verum ut populares noſtros, qui Generalium Ordinum ſententiæ ſtare decreverunt, opprimamus, neque è publica, neque è Regis, neque è noſtra re fore arbitramur.

Sexto iactare ſectarios iuſſione ac conſenſu noſtro hæc fieri, ita ut iudicari poſſit, ſupplicem noſtrum libellum, quem ad patriæ ſalutem obtuliſſe dicimus unicam eſſe malorum omnium ac prædicationis originem. Credat Celſitudo tua Domina, contraria omnia hactenus præſtita à nobis ut diximus: Verum advertentes virium noſtrarum minime eſſe tantam populi inſaniam furoremque prohibere, permiſimus ijs agere quæ vellent. Omnium autem eorum quæ hic attulimus offerimus probationem, excepto quod noſtrum nonnulli, quia novam Religionem ſectantur, prædicationi conſentiant. Fatemur hoc libenter: neque tamen ideo Religio ipſorum impediet quo minus præſtent ea quæ ad Regiæ Majeſtatis ſpectant obſequium.

Septimo, ad eorum nos impeditionem obligari, ſi ipſo facto declarare voluerimus, in ſupplicatione noſtra Regis obſequium ſalutemque Patriæ habuiße præ oculis. Reſpondemus Domina nihil à nobis operæ nihil ſtudij omiſſum: verum quia populi furor exſuperat, rogamus Celſitudinem tuam ut alias rationes ac media, quibus nos accommodemus excogitare dignetur.

Octavo ut non diffideremus Regiæ bonitati quam ſemper erga ſubditos ſuos oſtendit, quod profecto tantum à nobis abeſt ut committamus, quin imo nullatenus dubium nobis eſt quin tantæ bonitatis ac prudentiæ Rex, ſi quemadmodum deſideramus præſens adeßet vniverſa cito componeret. Poſtremo conſtare Celſitudini tuæ Majeſtatem Regiam quidquid delictum eſt eiecturam ex animo, tuamque inſuper Celſitudinem ad ipſam non raro in favorem noſtri ſcripſiſſe, dicimus Domina nullius nos commiſſi adverſus Regem facinoris conſcientia urgeri: imo è contra reperietur nunquam perperam nos admonuiſſe quidquam, ut iam rerum exitus ſatis oſtendit: nihilominus tamen Celſitudini tuæ de beneficio habemus gratiam.

Ignoſces Domina ſi liberius Celſitudinem Tuam alloquimur & animi noſtri intima patefacimus. Viſum nobis eſt

hactenus

hactenus Celſitudinem tuam omnino diffidere animo noſtro cuius diffidentiæ oſtenſione à Celſitudine tua facta excitati complures inimicorum noſtrorum, apertè profiteri auſi ſunt ad nos opprimendos ſeſe ſolum mandatum requirere: & quod amplius eſt ſpargebant quotidie in plebe calumnias ad conciliandum nobis odium hominum, iactantes adventare Regem, ut nobiſcum tanquam rebellibus ageret, pluraque alia quæ hic referre longum eſſet. Nos interim longa patientia ac ſilentio pertulimus abſque querela quamvis minime deeſſet occaſio: verum quia quotidie magis advertimus non leve diſcrimen impendere capitibus fortuniſque noſtris, violenter impellimur, ad quærenda nobis in provinciis aliquibus auxilia, conciliandoſque amicos, quibus ad tuendos noſmetipſos utamur; ad quod præſtandum Celſitudinis Tuæ diffidentia nos coëgit: Quapropter oramus, ut ne id ægre ferat Celſitudo Tua, cum non niſi ad ſecuritatem noſtram ſincera intentione proceſſerit, velitque nobis promittere ipſa, & ab equitibus Ordinis aliiſque Dominis curare promitti, nihil adverſum nos ſubditoſque Regis eſſe tentandum, donec aliter Maieſtas ſua ſtatuerit.

Vlterius ac poſtremo Domina Celſitudinem tuam celare non poſſumus interim dum Trudonopoli verſaremur, adiunctam hic ſupplicationem anon exigua hominum multitudine oblatam, qui promiſerunt arma poſituros, ſubiecturosque ſe omnibus quæ à Generalibus Ordinibus de Religione ſtatuentur, modo Celſitudo tua jubeat, ut ad ipſorum ſecuritatem iis nos adiungamus, ad propulſandam vim atque iniuriam, donec univerſa compoſita ſint. Rogantes ut Celſitudo tua noſtrum aliquos qui ſupplicem libellum obtulimus, per civitates Provinciaſque diſpenſet, à quibus rectè Gubernentur, & in quorum manibus arma deponant: alias Domina timore oppreſſionis adigentur in armis perſiſtere, & ad alios quibus magis fidant confugere: Quapropter nos verentes ne Gallos hæreditarios hoſtes veſtros inducant in Belgicam Celſitudinem tuam admoni-

tum voluimus, ut prout neceſſitas poſtulabit providere dignetur, proteſtantes Domina, quæ officij noſtri erant à nobis abunde præſtita eſſe,& ſi quid gravius oriatur, præſenti hac noſtra ſupplicatione purgatos nos volumus, qua iterum ut fideles ſubditi Maieſtati Regiæ, ac Celſitudini Tuæ,uſque ad vitæ profuſionem obſequia noſtra deferimus, rogamusq; Celſitudinem Tuam,ut quam celerrimè apoſtilla,brevi bonaque reſponſione nos dignetur.

Adiunxerant verbotenus deputati, ut quoniam nonnulli ipſorum, falſis apud Celſitudinem ſuam calumnijs impetiti eſſent, conferre vtrosque & dolatores & accuſatos,purgationemque vellet accipere, vt falſitas talione puniretur.

Ad hunc nobilium ſupplicem libellum matura ac diligens deliberatio adhibita, donec interim à Rege litteræ cum reſolutione eius, de Inquiſitionis abrogatione,alijsque punctis Gubernatrici traditæ, quæ inter alia hæc continebant.

VT ad ſingula puncta reſpondeamus,ac primo quidem de Inquiſitione, non fugit nos, vnicum fere temporibusque omnibus Eccleſiæ Catholicæ fuiſſe remedium, quo omnes in officio continerentur;qua ablata,exiſtimaret quiſque licere ſibi pro libidine ſua agere quæ vellet: Cōſiderantes nihilominus è contrario eam inquiſitionem in provincias meas primum invectam Epiſcoporum defectu, Paſtorumque negligentia;de quibus cum modo proviſum ſit, curabunt ij, ut tanquam boni paſtores curam gerant pro ovibus ſuis,ut ſeſe illæ ad Eccleſiæ matris noſtræ mandata conforment, qua de re Baronem de Montignij inſtruximus. Conſideratis itaque omnibus; modo Epiſcopalis iurisdictionis vigeat exercitium,permitto ut abrogetur inquiſitio.

Quantum ad edictorum moderationem, etſi verendum ſit nihil aut parum allaturam auxilij, tam quoad hæreticos qui ea contenti non erunt, ſed plenam Religionis liberta-

tem expoſcunt, ut ex ſparſis eorum libellis ſatis apparet, quam quoad Confœderatos nobiles, quorum ulterius tendit ſupplicatio, aſſentiendum ei extemplo videtur, cum appareat ex eo confœderatorum, nobilium diſſipanda confœderatio.

Quibus omnibus accuratè perpenſis expedire nobis viſum eſt, ut alia moderationis forma concipiatur, ita tamen ut S. Catholica fides, & autoritas noſtra illæſa conſervetur, quam ſubito ad nos mittes ut prout expedire iudicabimus ſtatuamus.

His permota Gubernatrix ex dominorum equitum Conſiliorumque ſententia prædicationem permiſit ijs in locis vbi hactenus viguerat dato deputatis ſimili ſcripto.

SI Polliceantur ſtare promiſſis nobiles concedit Celſitudo ſua ut populus depoſitis armis ad prædicationes accedat in poſterum, abſque omni metu donec à Maieſtate Regia, é Generalium Ordinum iudicio aliter ordinatum fuerit, ea conditione ut nullo modo Catholicæ Religionis exercitium impediant, ſuaque illi templa relinquant.

Datum Bruxellæ 23 Auguſti *1566.*

POſt multam autem collocutionem, conſultationemque habitam tandem Gubernatrix pacti formam concepit, cui utrimque depoſitis armis, & data acceptaque ſecuritate ſtaretur, *24* Auguſti, cuius formam cum nihil præter jam dicta novi contineat brevitatis gratia omittendam cenſuimus. Ad hanc Nobilium deputati quorum nomina hic ſubſcribimus diſſolutum pactum ſuum nec ullius momenti futuram quam inter ſeſe hactenus confœderati habuerant conſpirationem, donec à Rege ea ſtatuta ſervarétur ſcripto proteſtati ſunt. Erant autem D D. Ludovicus Comes Naſſovius, Euſtatius de Phiennes Dominus de Eſquerdes, Carolus de Revel Dominus de Andriguies, Bernardus de Merode, Dominus in Rumen, Carolus vander Noot Dominus de Riſoor,

Georgius

Georgius de Montigny Dominus de Noyelles, Martinus à Serclaes Dominus de Tillij, Philippus vander Meeren Dominus in Stenbeeck, Philippus à Marbais Dominus de Louverval, Ioannes à Montigny Dominus in villers, Carolus à Lievin, Dominus in Famars, Franciſcus ab Hâſten., Ioannes Leſauvage Dominus in Eſcaubeke. De hoc pacto Gubernatrix generalibus litteris omnes Belgicæ incolas edocuit 26 Auguſti 1566.

Ex hoc pacto ingens totius patriæ quies ac fœlicitas inſecuta. Exercebant Reformati Religionem ſuam, & publice conciones habebant. Nobiles in ſua quiſque profecti, Gubernatores ad Provincias ſuas ſe contulere. Princeps Auriacus Antverpiam 26 Auguſti ingreſſus, Reformatis juſſit ut quaternos cuiuſque linguæ deputatos eligerent quibus cum omnium nomine tractarent. Belgicæ linguæ electi quatuor Marcus Peres, Carolus à Bombergen, Hermannus vanden Meere, & Cornelius à Bombergen, Gallicæ Franciſcus Godin, Ioannes Sartier, Nicolaus du Vivier & Nicolaus Selin, à confeſſionistis conſtituti VVilhelmus de Greve, VVilhelmus vander Banderijen, Henricus vanden Broeck, & Thomas van Geere. A quibuſcum Principe ac Magiſtratibus, conſtitutiones quædam firmatæ, ut certis locis ab inermibus conciones haberentur: quia autem hyemis aſperitas inſtabat; neque permittebantur templa Catholicorum; conceſſum ut duo nova ædificarent. Vlterius ut ſuperioribus dicto audientes eſſent, qui eos viciſſim in protectionem ſuam accipiebant, ut à mutuis iniuriis conviriiſque abſtinerent,&c. Eaque omnia donec à Rege cum Generalibus Ordinibus extrema conſtitutio facta eſſet: quæ ſi adverſus Reformatorum conſcientias pugnaret, debitum tempus aſſignaretur, quo cum univerſis bonis ſuis ex Belgica diſcedere poſſent. Hi Articuli generali omnium, etiam militum inter cives ad cuſtodiam urbis conſcriptorum ſacramento firmati ſunt.

Hinc Princeps Auriacus in Provinciam ſuam Hollandiam, Zelandiam, Vltraiectinam diœceſim, Friſiamque diſceſſit,

diſceſſit, ut quæ collapſa erant reſtituere conarentur. Verum cum apud Vltraiectum Brunſvicenſis Dux Ericus, Vetus Regis amicus ac famulus, militem ad cuſtodiam ſui, ut aiebat, conſciberet recens iterum orta ſuſpicio.

In Flandria Comes Egmondanus Gubernator, nihil non præſtitit ut populum ſedaret, qui pluſquam ſexaginta diverſis locis, ante 25 diem Auguſti conciones celebrarat: quas ille paulatim ſuavitate ac clementia ad minorem numerum redegit, permiſit tamen plurimis locis exſtrui templa, aliaque commoda loca ad Reformatæ Religionis exercitium. Iconomachos digna caſtigatione affecit. Principe Auriaco in Hollandiam profecto, relictoque vicario eius Philippo de Lalaing, Comite Hoogſtratano, Ordinis equite Gubernatore Mechlinenſi, nonnulli in civitate tumultus exorti, propterea quod Reformati rurſus in ſummam ædem irruere, imagineſque & altaria quibus eam rite ornarant Catholici deſtruere tentabant. Quapropter Comes Hoogſtratanus confeſtim cum armatis urbis militibus obſiſtens perturbatores publicæ pacis abegit, vulneratis aliquibus, captiſque nonnullis, qui cum ſeverius in eos quæreretur, autorē huius factionis profeſſi ſunt quendā Bergemond qui ſe pro nobili gerebat. Hic autem eadem nocte, è lecto ſuo abreptus, ſubiectus quæſtioni & ad capitale ſupplicium damnatus eſt, ac ſequenti die, cum quinque aliis ad reliquorum exemplum in patibulo ſuſpenſus. De quo cum Comes Hoogſtratanus, Rectoreſque Antverpienſium Gubernatricem edocuiſſent, laudati ſunt ab ea, monitique ut in ea ratione perſiſterent.

Reformati ibidem verentes ut hoc negotium ægre ferretur à Rege ſupplicem ad ipſum libellum, Hoogſtratano Comiti 27 Octobris dederunt, in quo ea quæ acta erant excuſantes, aſſerebant è cælo demitti fidem, nec ulla violentia cogi poſſe, orabantque ut ſecundum Gamalielis conſilium populum non urgeret, &c. Affirmabant

bant credere ſe quæ in ſacris litteris haberentur, 12 fidei articulos, antiquiora concilia ſtaturoſque ſe libero concilio generali ſeu nationali, Germaniæ, Galliæ, Angliæ aliarumque circumiacentium Provinciarum: Poſtulabant interim exercitium libertatemque religionis, promittentes omnem in politicis obedientiam, oblatis præterea pro libertatis ſuæ pretio tribus millionibus ſeu triginta auri vaſis, multorum Principum qui ſimilia fecerant allegatis exemplis. Ad hæc ad Germanos aliquos Principes pro interceſſione ſcripſerunt. Verum ſupplex hic libellus riſui potius fuit: quod virium tantum oſtentatio videretnr, ut ea exteros Principes ad auxilium ſuum allicerent.

Regi interim Hiſpaniarum miſſus contractus pactique huius exemplar gravem dolorem inuſſit Segobiæ ex febre decumbenti. Diu multumque agitatum hoc in conſilio eius negotium, & concluſum denique majeſtatis ſuæ præſentiam in Belgica eſſe neceſſariam: reſpondendum tamen interim dum pararetur iter ad Gubernatricis litteras eo modo ut ſilentio ſuo Rex pactum nec improbare nec etiam approbare videretur. Generalium autem Ordinum congregationem abſque conſcientiæ læſione à Rege permitti non poſſe. Scripſit itaque Rex binas in Octobri litteras, unas quæ conſilio Dominiſque oſtenderentur, alteras ſecreto. Primæ continebant quod Regina primam prolem ſuam filiam peperiſſet, ipſo S. Claræ, quam propterea Iſabellam claram eugeniam appellaſſet, diſcedere ſe Segobia Madritum ut ſuam in Belgicas profectionem maturaret. Vlterius animum ſuum inducere nullo modo poſſe ſedatum iri tumultus Generalium Ordinum congregatione, ſe præſertim abſente, &c.

Scripſit quoque Rex ad Maximilianum Cæſarem, graviſſime de Belgicis tumultibus conquerens: qui velut prudentiſſimus Princeps in Septembri anno 1566. ad ſingula puncta reſpondit offerens auxilium favoremque ſuum in omnibus, ut fratrē fratri præſtare decebat,

addens inter alia, multiſque rationibus demonſtrans, poſt accuratiorem conſiderationem graviſſimi ponderis negotium ſibi videri; præſertim quia Catholica Religio apud multos Germanos Principes, tum ſanguine tum affinitate Belgicæ nobilitati coniunctos odio erat, à quibus haud ſane exiguum diſcrimen imminere poſſet. Videri itaque ſibi nullum præſtantius eſſe remedium quam clementiam ac bonitatem: offerebat autem ſeſe mediatorem imperator, ut inter Regem & ſubditos componeret, &c.

Scripſit quoque in eandem ſententiam ad Ducem Parmenſem Gubernatricem, ad Principẽ Auriacum, Comitẽ Egmondanum, Hornanum, Manſveldium, &c. quas litteras ad Regem ẽ deſtinavit, diſcretioni eius permittens, an tradendæ viderentur, quod Rex poſtmodum vetuit.

Eadem illa tempeſtate cũ plurimi proceres ac Nobiles ad Regem de negotiorum ſtatu perſcriberent; ſingulis benigne reſpondit, collaudans, hortanſque ut in fidelitate obſequiiſque ſuis perſeverarent: imo ad Præſidem Viglium, propria manu, incredibili humanitate ſcripſit, gratias agens pro ſtrenuis laboribus, ac fideliſſimis eius obſequiis, à quibus eum nec ſenectutis onus, nec afflicta corporis valetudo unquam abſtraxerat, rogansque ut in iis uſque ad adventum ſuum perduraret.

Cum autem Princeps Auriacus & Comes Egmondanus, apud Regem alioſque in Hiſpania amicos ſuos graviſſime conqueſti eſſent, ſiniſtras de ſe ſuſpiciones haberi, calumniiſque invidorum onerari adverſus veritatẽ, ut exitum ipſum comprobaturum eſſe confidebant: reſponſum iis ab Hiſpano quodam conſiliario per tertiam perſonam nullam meliorem eſſe rationem effugiendi calumnias, quam ſi contrarium ipſo facto demonſtrarent, conformantes ſe in omnibus Regiæ voluntati, à qua non niſi omne bonũ expectari poſſet: eſſe enim veri ac fidelis ſubditi, ubi de Principis ſui voluntate conſtaret, totis viribus ad eam exequendã incũbere, quanquã ea prudẽtiæ cõſiliiſq; ſuis adverſari videretur: quãdoquidẽ particulare

membrũ capiti ſuo ſe præferre abſq; vitij nota nõ poſſet.

Vlterius ſcribebat communem in Hiſpania opinionem eſſe, nunquam eo res fuiſſe lapſuras ſi Auriacus aut Egmondanus ſeſe viros fortes præbuiſſent, & exiguo momento, ſi quæ officij ſui ſunt præſtent in poſterum, res uſque ad Regis adventum ſuſtentari poſſe.

Hæ litteræ cum in Belgica acceptæ eſſent, ſatis advertit Gubernatrix, quam moleſte Rex cum conſilio ſuo haſce turbas tuliſſet, tum propter exemplum, quod fortaſſe ſequutura alia ſua regna Provinciaſque verebatur, tum etiam ut Catholicam fidem defenderet; quo miro accenſa eſt, ad Regis in hac re voluntati obſecundandum, ut data jam occaſione Belgicis frænum inijceret, quos privilegia, nimiaque libertas efferebant.

Ad hunc finem mittebat Rex ad Gubernatricem tales quæ illo tempore neceſſariæ videbantur inſtructiones. Huius quoque propoſiti, non pauci tam nobiles quam mercatores certiores fiebant. Gubernatrix etiam undiq; ſecreto ad cõfœderatos nobiles quos Catholicæ fidei ſectatores cognoſcebat perſcripſit, quos promiſſis allectos in partes ſuas perfacile trahebat. Magni Ordinis Magiſtri, aliique proceres perſæpe ex Hiſpaniis litteras accipiebant, ut inter alios Princeps Auriacus, ad quem ipſe Rex propria manu Segobia ſcripſit Kalẽdis Auguſti *1566*, conatus ex animo eius opinionem evellere, qua ſe ſuſpectum Regiæ Maieſtati arbitrabatur, idque adeo fortibus amiciſque verbis, ut admiratione dignæ litteræ typis excuſæ ſint. Hæ ſollicitationes ac preces uſque adeo prævaluere, ut tertia confœderatorum pars exiguo tempore ad Regem tranſierit.

Gubernatrix facta inter Nobiles ſciſſione, iconomachos puniendi prætextu clam militem ſuſcepit, duas videlicet legiones, unam ſub Comite Arenbergio, qui quinque tantum turmas, alteram ſub Carolo à Bremen Megenſi Comite qui decem conſcripſit. Iuſſa quoque duarum Germanicarum legionum conſcriptio ſub Comite Philippo ab Overſteyn, quæ in comitatu ferrettenſi

apud

apud Francofurtum collectæ, tres præterea VValonum legiones ſub Domino Guilhelmo à Barlaimont Domino in Hierges, Ioanne à Croy Comite in Ryeux, & ſub Comite Carolo Manſveldio; equites quoque ſuſcepti. Paulatim Gubernatrix variis locis prædicationes perturbare aggreſſa eſt, ſumta occaſione, quod alibi quam ubi conſuetæ erant, haberentur; varios prædicantes, cepit, vnum apud Aelſtium in patibulo ſuſpendit: addebat ſe quibus conſenſiſſet, timore coactam feciſſe, & quanquam prædicationes, non tamen earum exercitia à ſe eſſe permiſſa, ut matrimonio copulare, baptizare infantes, aliaque ſacramenta adminiſtrare.

Cum iam Gubernatrix in exercitus pæne modum tam peditem quam equitem collegiſſet, Valenſenatibus in Hannonia ſcripſit ut à Gubernatore ſuo Domino in Norcarmes Bergenſis Marchionis vicario præſidium acciperent.

Cauſſa cur hanc potius quam aliam urbem præſidio muniret hæc erat, quod ad Reformatā Religionem propenſiſſimi eſſent, ita ut violenter quoſdam qui Religionis cauſa flammis addicti erant eripuerint, quos male combuſtos appellabant; & nihilominus poſtea flamma conſumſit. Deinde Galliæ plane confinis erat; quapropter timeri poterat ne eiuſdem Religionis Galli aliqui ſe in illam intruderet, ut quæ regno Galliarum percommoda civitas eſſet, prima à Metropoli in Hannonia, ſita ad Scaldim, omnibuſque rebus quæ ad pulcherrimam munitamque civitatem conſtituendam requiruntur ornata. Recuſarunt præſidium Valencenenſes plurimis rationibus privilegiiſque allegatis. Cum autem à Norcarmio vigeſimo Octobris, oblatum iis eſſet ut extra urbem concionarentur ſi præſidium vellent evadere, ex prædicantium conſiſtoriique ſententia conditionem acceptarunt.

Venit itaque ad civitatem Norcarmius, ut pactum ſtabiliret: verum cum jam tum eius quod conceſſerat pœnitentia duceretur, magno comitatu ad unam ex urbis

portis acceſſit, vocatiſque Magiſtratibus & conſiſtorio, quod extemplo non adeſſent, ſumpta occaſione plenus minarum abſceſſit. 21 Novẽbris novis litteris juſſit Gubernatrix ut præſidium acciperent, quod cum iterum recuſarent 24 Decembris 1566 rebelles hoſteſque patriæ declarati ſunt, & à Norcarmio adducto exercitu obſeſſi, de quo inferius. Laboratum interea tum ſuavibus tum ſeveris mediis ut prædicationes ceſſarent; adeo ut in hieme vix ullæ amplius haberentur. In patria vero Leodienſi tum primum cœpta iconomachia, quam tamen Epiſcopus è familia Groeſbekenſi compeſcuit.

Antverpienſes graviter hiſce rebus perculſi Kalendis Decembris Deputatos ſuos Bruxellam miſerunt, Dominum Henricum à Berchem Conſulem, Lancelottum ab Vrſele, Nicolaum Bokoep, Conradum de Lavalia cum Penſionario Ioanne Guilhelmi, qui nihil in aula impetrantes abſceſſerunt.

Belgicarum Provinciarum Proceres hac Regis intentione comperta, viſoque quod Gubernatrix quotidie augeret exercitum, conſulendum quoque rebus ſuis exiſtimarunt, plurimaſque inter ſeſe conſultationes habuere. Tertio Octobris Dermondæ congregati Princeps Auriacus, Comes Egmondanus, Hornenſis, Hoogſtratanus, Comeſque Ludowicus à Naſſouw ſuper litteris quas Dominus à Mõtigny ex Hiſpania ſcripſerat conſultarũt, quibus Regis iram ſignificabat. Lectæ quoque Franciſci Davila litteræ ad Gubernatricẽ ſcriptæ Pariſiis decimo octavo Auguſti, ubi is pro Rege Hiſpaniarum legationẽ obibat: quibus confirmabat opinionem eius quam de Auriaco, Egmondano, Hornenſique conceperat, illos malorum omnium cauſſam atque originem extitiſſe, hortabaturq; ut diſſimulare cũ iis pergeret, punitura aliquando data meliori occaſione. Similiter quoque de duobus in Hiſpania legatis (qui jam tum ex hac vita diſceſſerant.) Præterea juraſſe Regẽ, expoſiturũ prius periculo omnes facultates ſuas quam impunitos dimiſſurum qui non modo autoritatem ſuam, verum etiam divinæ maieſtatis honorem,

honorē, Catholicæq; fidei ſinceritatē, quæ ipſi vita charior erat violarant: velle ſe itaque proficiſci in Belgicā advocatis ad auxiliū ſuum Pōtifice Romano ac Imperatore.

Hæ ſimileſque aliæ litteræ, quæ in manus Dominorū inciderant, varias in animis ipſorū motiones excitarunt. Induci nōn poterant aliqui ut crederent tantā Regis fore ſeveritatem, alij expedire judicabant è Regis ditionibus excedere, nōnulli etiam arbitrabantur unanimi conſenſu ſumtiſque armis poſſe obſiſti. Verum cum Comes Egmondanus, qui præcipuæ inter milites autoritatis poteſtatiſque erat, in ſententia ſua de Regis benignitate perſiſteret, juberetque diſcedere è Belgica qui de ea deſperarent, ſibi id integrum non eſſe, ut cuius bona in iis Provinciis ſita eſſent, neque alibi media ſuppeterent, ad numeroſam prolem familiamque ſuſtentandam, abſque ulteriori concluſione diſceſſum, ſperantibus aliis, cum tempore Comitem ab ea mente dimoveri poſſe: Verum cum poſtea Princeps Auriacus VVillebroeckij diu multumq; laboraſſet variis rationibus, ac argumentis, oſtenſiſque periculis quæ poſſent incurrere, perſtitit tamen Egmondanus, affirmans ſi præterita emendarentur mitiorem Regis iram futuram: ad quæ Auriacus cum reſpondiſſet dubia eum ſpe niti, fore ut pœniteret, & per ipſum tanquam pontē Hiſpani in Belgicam penetrarent, à ſe mutuo diſceſſere. Quoniam autem plurimum Reformatorum intererat hanc Dominorum conſultationē, & quicquid in ea concluſum eſſet non ignorare, pretio inductum aliquem in camino abſconderunt, qui cuncta percepit. Circa Kalendas Aprilis anno 1567 habita hæc poſtrema collocutio.

Cum duo hi Principes Auriacus & Gaverenſis diverſa ſentirent, alij quoq; confœderati in diverſa trahebantur, ita ut vix tertia pars in confœderatione permaneret, ij videlicet qui Reformatæ Religionis erant, à quibus omni conatu ſtudioque laboratū, ut Principes aliquos in partes ſuas pertraherent quorū autoritate atq; præſidio Patriæ immunitates tuerentur, omneſque ex ea exteros eiicerēt.

In Auriacum Principem omnium ora oculique conjecti erant. Verum ipſe vires Regis accurate perpendens, aliaſque cauſſas ac momenta rationum, impelli non potuit. Hanc ob cauſſam Dominus de Brederode, aliiq; confœderatorum primarij, omnia prius tentare voluerunt, antequam ad extrema devenirent. Scripſere itaque ad Gubernatricem petentes, ut ſibi Bruxellam venire liceret, & coram oſtendere iniuriam qua afficiebantur, adverſus promiſſam ſecuritatem. Reſpondit illa Bruxella abſtinerent ut quorum nuper adventus malorum omnium ac perturbationum cauſſa extiterat.

Rurſum Brederode octavo Februarij Antverpia ſcripſit non ſupplicationem ipſorum, verum inquiſitionem novitateſque & tarditatem in reſolvendo tumultuum eſſe originem. Quandoquidem autem Celſitudo ſua nollet eos venire Bruxellam, tertium ei confœderatorum ſupplicem libellum mittebat; quo conquerebantur, conſcribi militem, ſe ut hoſtes haberi, denique diſcedi ab iis quæ ultimo pacto convenerant, rogabantque ut Celſitudo ſua, exautoraret legiones, aboleretque quæ adverſus promiſſa facta erant, promittentes in pace ac tranquillitate fore Provincias, fideleſque ſe Regi ſubditos eſſe futuros.

Reſpondit Gubernatrix miſſis litteris 26 Februarij 1567, graviter eos incuſans, quod ſi violata eſſent promiſſa ab ipſis id primo accidiſſet, ut prolixius allatis rationibus oſtendebat, poſtremo ignorare ſe quinam illi confœderati nobiles quiſve populus eſſet, quorum ipſe procuratorem agere videretur, & ſi hac ratione procederent pr viſuram ſe patriæ commodis quemadmodum expedire judicaret, aliaque nonnulla, ex quibus ſufficienter intelligentes confœderati nobiles civitateſque, quid Gubernatrix intenderet, videnteſque obſideri Valencenas, augeri quotidie exercitum, ipſi quoque ad colligendos milites ſe accinxere. Brederode circa Vianam, Dominus de Toulouſa apud Antverpiam, in Flandria alij. De Brederode famoſi libelli ſpargebantur, conari eum, uſurpare

uſurpare ſibi titulum Comitis Hollandiæ aliaque ſimilia.

Sylvam Ducis commiſſarios miſit Gubernatrix Dominum de Merode, Peterſon, &c. Cum Cancellario Brabantiæ Scheyff, ut ſecreto ad novum ſacramentum cives adduceret, quod adverſum à civibus novæ rurſus iconomachiæ cauſſa fuit.

Quapropter Gubernatrix Megenſi Comiti dedit in mandatis, ut decem peditum quinque equitum turmas, in civitatem adduceret. Cancellarius Scheyff ut populo ſe gratum redderet, ſuaſit ne admitterent præſidium, ſed Dominum de Merode Gubernatorem acciperent: ſed nullatenus Reformatis perſuadere potuit; propterea quod à fratre cuiuſdam concubinæ Comitis Megenſis intellexerat hanc eſſe rationem, qua militem laborabat inducere: quod tribus omnino menſibus, ſucceſſum ſortiri non potuit, quamquam plurimis modis tentaretur. Semel inter alias, cum de inducendo ſummo mane præſidio conveniſſet, Doctor Agileus qui rem odoratus erat, monuit Reformatos, qui ad octingenta arma capientes, electiſque inter ſe centurionibus obſtitere: Miſſoque quodam Hermanno de Ruyter Antverpiam à Domino de Brederode auxilium petierunt, qui miſit ad eos Antonium de Bombergen, egregium ſane fortemque virum, qui ſub Lazaro Swendel militarat, ut auxilio conſilioque eis adeſſet. Hic Sylvam Ducis 16 Februarij profectus eſt.

Munivit ſe confeſtim Bombergius, Dominumque de Merode & Peterſon, cum Cancellario captivos accepit. Verum cum denique Reformatorum res abſque reſolutione ac conſilio male ſuccederent, honeſte eos dimiſit, perſoluto prius militibus ſuis ex pecunia ipſorum ſtipendio: cumque eo uſque moratus eſſet adverſarios donec Reformatis fugæ tempus eſſet 11 Aprilis ex urbe diſceſſit.

Exordiente Novembri Valencenenſes, gravi obſeſſione ad extremas anguſtias tantum redacti non erant: nihilominus

hilominus tamen abſque omni militum præſidio viros ſeſe fortes præſtiterunt, erumpentes non raro; acceptaque undique frumenta in urbem convehentes, aliaque complura damna inferentes hoſtibus, adventuri auxilij ſpe ducti.

Occidentales Flandri Militem colligebant adiuvantibus Tornacenſibus, quem Valencenas ſubſidio mitterent: verum cum plerique militiæ prorſus ignari ac rudes eſſent,&Centurionum ac Ducum laborarent inopia, hinc à Domino de Raſingiem, illinc à Norcarmio,qui cũ decem peditum turmis & equitibus aliquot in eos invectus eſt oppreſſi ſunt, ingenſque eorum numerus trucidatus inter VVaterloo & Lanoy. Ioannes Soreau Centurio graviter vulneratus evaſit. Plurimi Tornacum fugam ſuam direxerunt, qui poſtea exiguo intervallo, inducto per arcem in civitatem præſidio, una cum aliis Reformatis eiecti ſunt, multique capti & ſupplicio affecti.

Obtulerunt Valencenenſibus ad liberandas obſidione Valencenas decem mille milites ſub Principe Portiano Galli, à quibus ad confœderatos nobiles tanquam ſubalternum Magiſtratum ſuum miſſi ſunt, ut cum illis de liberatione ſua tractarent. Decimoquinto Ianuarij ad aurei velleris equites ſupplicem libellum miſerunt, purgantes ſe in eo de obiectis à Gubernatrice criminibus, quæ nullo alio fundamento niti aſſerebant quam quod Reformatæ Religioni addicti eſſent, rogabant ut ſi Celſitudo ſua præſidium civitati imponere omnino vellet, fieret id ſub excellentiarum ſuarum Ordinis Dominorum mandato, cum promiſſione immunitatis ab omni iniuria ac violentia, imprimis quoad conſcientiam Reformatæque Religionis exercitium. Supplex hic libellus parum ſane momenti attulit, in Martio tantum cum jam tormenta ad urbem oppugnandam admota eſſent, Dux Arſchotanus & Gaverenſis Princeps miſſi ſunt, ut conditionibus quibuſdam cum iis componerent, videlicet ut prædicantibus ipſorum

aliiſque

aliiſque libere diſcedere permitteretur conceſſa omnium præteritorum venia. Sed intelligentes, circa Antverpiam aliiſque locis parari ſibi auxilia, conditiones recuſarunt. Norcarmius igitur viginti duobus tormentis quatere muros aggreſſus eſt, inter Bergenſem & Gardonenſem portam. Intellecto autem nihil auxilij ſperari poſſe, præterea quæ Ooſterwelæ Antverpiæq; contigerant, auditis vigeſimo quarto Martij Norcarmio ſe dediderunt. Qui civitatem ingreſſus, appoſitis ad portas cuſtodiis primarios atque opulentiores coniecit in vincula. Michaelem Herling Patrem ac filium, quos cum quibuſdam aliis paulo poſt capite punivit. Prædicantes duos, Magiſtrum Guidonem de Bres & Peregrinum de la Grange, alioſque ad ducentos ex patibulo ſuſpendit.

S. Amandi prius in poteſtatem ſuam redegerat Norcarmius: miſit itaque exercitum ſuum in Cameracenſem ditionem quo Reformati maxime confugerant, ſed multi illorum in itinere intercepti, inter quos prædicans unus Magiſter Philippus qui abſciſſa manu ſuſpenſus eſt.

Iam pœne Domina rerum Gubernatrix, Ordinis equites præſideſque Provinciarum ad novum ſacramentum adegerat, Catholicam Romanam fidem ſartam tectam inviolatamque conſervaturos; exceptis Principe Auriaco, Comite Hoogſtratano & Brederode qui recuſarant. Ab Hornenſi Comite exactum ſacramentum non erat, eo quod VVerdam domum ſuam ſe contuliſſet. Perſuadebatur populo leniendam Regis iram, ingentemque exercitum quem in Hiſpaniis præparabat emanſurum, ſi adverteret ſapientia Gubernatricis omnia eſſe compoſita: imo etſi in ipſis Provinciarum finibus verſaretur exercitus, diſceſſurum mandato Regentis; quæ minime paſſura eſſet alium laboris ſui fructus percipere: harum perſuaſionum vi impulſi Patriæ Proceres, Nobiles ac civitates contulerunt operam ſuam ut prædicationes undique ceſſarent: ita ut

tandem in Martio atque Aprili, omnibus omnino locis, Reformatorum exercitia comprimerentur, Catholica vero Religio antiquum florem ſuum vigoremque reciperet: Reformatorũ autem templa diſiecta & ex ligneis eorum trabibus ac tabulatis patibula erecta; ad quæ multi ſuſpenſi tum propter iconomachiam tũ ob geſtationem armorum.

Exordiente Aprili Antverpienſes ſtatum negotiorum intuiti cernenteſque nihil auxilij ſperari poſſe, Bruxellam miſerunt qui pacta componerent, quod factum eſt 7 Aprilis. Vt Reformatorum prædicationes ceſſarent, diſcederent prædicantes, Catholici in integrum reſtituerentur, repararentur templa, &c. Illi viciſſim ab omni moleſtia tam quoad perſonas quam bona ipſorum immunes permanerent, uſque ad ulterius Regis & Generalium Ordinum judicium: iis tamen exceptis qui crimine Maieſtatis, iconomachiæ, rebellionis obſtricti eſſent. Promiſit Gubernatrix ſe pro ipſis ſcripturam ad Regem ut gratiam ab ipſo impetrarent, relictis nihilominus omnibus Regiæ Maieſtatis voluntati atque ſententiæ.

Nono Aprilis conceſſere Antverpienſes, ut cum quanto vellet militum præſidio urbem Gubernatrix intraret. Convocati tam Reformatorum quam Auguſtanæ confeſſionis prædicantes in curiam, ut à Dominis dimiſſionem acciperent. Poſtquam igitur Dei iram, punitionemque tantæ ingratitudinis intentaſſent, decimo Aprilis, cum deputatis, conſiſtoriis, multiſque civium diſceſſere. A quibuſdam Germaniæ principibus à Regente petitum erat, ut Auguſtanam confeſſionem eiuſdemque exercitia vellet permittere: quibus reſponſum id non in Celſitudinis ſuæ ſed in Regiæ Maieſtatis eſſe voluntate. Idem quoque Maximiliano Cæſari qui pacifice componi rem, ſeque Mediatorem accipi petierat reſponſum.

Poſt diſceſſum Prædicantium clauſa ſigillo nova templa, aperta, ornata, atque conſecrata Catholicorum; adeo

adeo ut maiorem pœne quam antea ſplendorem obtinerent.

Princeps Auriacus cum cedere tempori induxiſſet animum, Bredam diſceſſit undecimo Aprilis, quem aliquot hominum millia partim comitata, partim etiam ſequuta ſunt. Inde Princeps acceptis ſecum quæ poterat in Germaniam & Naſſovienſem comitatum ſuum diſceſſit, quoſcunque poterat ad ſe in eo imitandum inducens, prædicenſque venturam tempeſtatem. Reliquit tamen in Belgica maiorem natu filium ſuum Philippum, qui in Lovanienſi univerſitate litteris operam dabat, exiſtimans eum adoleſcentia ſua, privilegiiſque univerſitatis tutum fore; ſed fefellit eum opinio, paullo enim poſt honoris prætextu ab Albano Duce ad Regem in Hiſpaniam ductus eſt, cum *15* circiter ætatis annum ageret, qui viginti octo annorum ſpatio in Hiſpaniis libera captivitate detentus, tandem poſt, patris ſui mortem anno *1595* dimiſſus eſt.

Vigeſimo ſexto Aprilis Gubernatrix juniorem Comitem Carolum à Manſvelt Antverpiam miſit, qui ſummo mane cum *16* VValonum vexillis quaſi ad pugnam inſtructis ingreſſus eſt. Poſt duos deinde dies ipſa Gubernatrix cum quingentis equitibus intravit, nec quidquam habuit antiquius quam Catholicam Romanam Religionem, omnibus modis ad florem ſuum revocare, honorando ſua Equitumque Ordinis præſentia publicas proceſſiones; nihil denique omittendo quod ad Eccleſiæ reſtitutionem pertineret. Multos ſeditioſorum ad patibulum ſuſpendit, renovavit antiqua edicta, deſtruxit templa Reformatorum, civiumque arma per ſingulas domos inquiri atque in catalogum referri mandavit.

Dominus de Brederode, Nobiliumque confœderatorum aliqui, militem circa Vianam & Vltraiectum habebant, qui effecerunt ut ab omnibus locis fugitivi liberum fugiendi tempus haberent.

Ipſe Brederode relictis omnibus, imo Viana civitate ſua, quam valide munierat, tandem Amſtelodamum profectus

profectus eſt, ad quem Gubernatrix Secretarium la Torre miſit mandans ut ex Regia civitate cum adhærentibus ſuis diſcederet, qui ita ab iis exceptus eſt ut clam effugiſſe ſe gauderet. Poſtea tamen Brederode cum familia ſua & militibus aliquot conſcêſa navi Embdam, atq; inde in Germaniam abſceſſit, ubi mortuus eſt Gemmæ in Clivenſi patria anno 1568. Vidua autem eius Amelia, ex familia Comitis Meurſenſis Palatino Principi Electori poſtmodum nupſit.

Milites confœderatorum quingenti circiter numero exautoritati. Qui poſtquam Monaſterium in Egmond aliaque nonnulla ſpoliaſſent in Patriam Clivenſem trans Rhenum pervenere, atque inde quiſque in ſua diſceſſit. Plures alij navigiis evaſerunt. Verum maxima nobilium confœderatorum pars cum milites ſuos dimiſiſſent, à nauclero cuius navi vehebantur, in arenam impacti proditique, ubi à centurione quodā Mullart, qui ſub Arenbergenſi Comite militabat capti & quinto Maij Haerlingam in Friſiam Ducti ſunt: erant autem inter eos duo fratres Domini in Batenburg, duo Friſones Dominus Hermannus Galama & Sieurt Bayman aliique complures. Septem Vilvordam avecti: alij diverſis locis affecti ſupplicio. Bergenſis Comes qui Auriaci ſororem duxerat, Regentis admonitione permotus, ad præſidem Viglium ſcripſit excuſans ſeſe, Regiſque fidelem ſubditum permanſurum eſſe promittens.

Vianæ tria peditum vexilla manſerant ſub Domino ab Vichtenbroeck, à Nievelt & Reneſſe: qui vigeſimo ſexto Aprilis ad velitandum cum hoſtibus egreſſi, ſuperati ſunt, captuſque Dominus de Renes & Vltraiectum Ductus, ubi poſtmodum capite plexus eſt. Poſtea cum Dux Brunſwicenſis Erycus circa Vianam vaſtaret omnia tam cives quam præſidium terrore perculſi hinc inde dilapſi ſunt. Quinto Maij Vianam ingreſſus Dux deiectis portis patentem locum effecit.

Sic

Sic itaque Gubernatrix vere mendicos ac Geuſios Nobiles effecit omnemque pœne patriam victoria pervagata eſt.

Finis gubernationis Margaretæ ab Auſtria Ducis Parmenſis.



Quicunque ſævas ſenſit Eumenidum faces
Ardere fibris, hoſtis humani Nero,
Phalariſque generis, vincitur ſævitia.
Teſtare Belga, quem furor tulit meus.



Imitata patrem noſtra ſe crudelitas,
AEmula furoris veterum, atrocem præbuit,
Te Belgica premens. Sed quid inſanus furor,
Quid ira invit? Belgica pœnas dedi.

Atrox ac crudele DVCIS ALBANI, ET FILII EIVS REGIMEN.

POſtquam Hiſpaniæ Rex diu multumq; fruſtra laboraſſet inducere, in Belgicas Provincias inquiſitionem Hiſpanicam, novoſque Epiſcopos ideoque ingentes quotidie tumultus ac ſeditiones exardeſcerent; neque tantis ſedandis tumultibus mulieris videretur ſufficere autoritas, tum Madriti tum Segobiæ Rex, cum conſilio ſuo deliberatione habita, rogavit ut medium aliquod utiliſſimum excogitarent. Variæ in hoc negotio fuere ſentētiæ aliis benignitate ac clementia procedendum exiſtimantibus; aliis vero ſeveritate opus eſſe adſerentibus, ſtatuendumque poſteris exemplum. In priori ſententia erat Ruygomes Suareſius, Figueroa, Dux Feriæ, & Bernardinus Freſneda conſiliarius Regis; in hac Ferdinandus à Toledo Albanus Dux inquiſitionis generalis, Cardinalis ſpinoſa, Cardinaliſque Granvellanus, qui tandem in ſuas partes Ducem de Feria pertraxere. Rex cum conſilio ſuo denique ſeveriſſima quæque ſectari propoſuit, atque eum in finem ingentem exercitum cum plenæ poteſtatis Imperatore in Belgicas mittere.

De Duce eligendo magna diſſertatio. Plurimis Princeps Carolus filius Regis aptiſſimus videbatur; propterea quod gratiſſimus Belgis tum ſecularibus tum Eccleſiaſticis habebatur: neque ipſe minus ad eam profectionem affectus erat. Alij Conſiliarij minime onerandum tam gravi negotio Adoleſcentem Principem ſed rerum experientia callidum potius Ducem veteranumq; militem

militem cenſebant: nominabant aliqui Ducem de Medina cæli, alij Albanum nonnulloſque alios. Poſtremo tamē Dux Albanus electus: quod cum Princeps Carolus intellexiſſet graviter moleſteque tulit, odiumq; quo ante Albanū proſequutus erat vehementer auxit: quod nonnulli captivitatis ac mortis eius cauſſam fuiſſe exiſtimāt.

Ad hanc expeditionem tanquam ſanctam & Religionis cauſſa ſuſceptam beneficio Eccleſiaſticorum & inquiſitionis, ingens Regi pecunia contributa. Scriptum extemplo ad Præſides Neapolitanum, Sicilienſem, Sardinienſem & Mediolanēſem, ut præſidia omnia in Lombardiam mitterent, quæ ſeſe proficiſcenti in Belgas Albano coniungerent. Albanus itaque Dux cum Hiſpanica nobilitate ac militibus, & cum duobus filiis ſuis Frederico & Ferdinando Barcelonæ conſcendit & cum triremibus 17 Maij anno 1567 Genuæ appulit, ubi tertiana podagraque paululum conflictatus hæſit. Inde profectus Alexandriā de Paillia, à Gabriele Cueva Duce Albuquercio Gubernatore Mediolanēſi ſalutatus conſtituit omnem exercitum ſuum in Pedemontana ditione ad S. Ambroſium in alpibus quæ Germaniam, Galliam atq; Italiam diſtinguunt congregare. Inito militum numero invēta ſunt quadraginta novē peditū vexilla, quæ 8678 numerum conficiebant, exceptis lixis ac calonibus, iiſq; qui gratis militabant. Equitū 12 turmę 1200: his in Burgundia quatuor aliæ turmæ 400 equitū ſe adiunxerunt.

Facta hac exercitus luſtratione 3 Iunij profecti, in Sabaudiam advenere, ubi uſque ad Iulij exordium manſit Albanus, Gubernatricis rogatu, quam tot apud Regē de Belgis querelas depoſuiſſe jam pœnitebat, ſcripſeratque ad Regem ſedata omnia, punitos, captos, aut fugatos rebelles: timendum potius ne Hiſpanorū adventus novos motus concitaret. Et vero, niſi propter promiſſa ac perſuaſiones Gubernatricis, & quia minime facturum Regē, ut alius in ſororis ſuæ labores ſuccederet, nec ipſam id eſſe paſſurā ſperabatur, facillimus impediendi Hiſpanorū ingreſſum modus erat. Verum fefellit opinio: accepto

enim ſecundò procedendi mandato Albanus Genevam acceſſit ad ſeptimum uſque ab urbe lapidem, qui oppugnari ab ipſo metuebant: ſed quia forti præſidio muniti & Helveticorum amici erant, ab iis abſtinuit.

Venit itaque per Burgundiam & Lotharingiam in Patriam Luxenburgenſem: ubi illi ſeſe adiunxere Comes de Ladron, Comes ab Overſteyn, Comeſque Schouenburgenſis, cum Legionibus ſuis Germanicis, equitibuſque nonnullis. Acceſſere præterea 2000 equitum qui diu in præſidiis fuerant, quorum nonnullos accepit. Gubernatrix Luxenburgum miſit Dominum de Barlaymont & Norcarmium, ut commiſſionem patenteſque ſuas iis oſtenderet Albanus. Luxenburgum uſque proceſſere obviam Belgici Proceres, inter alios Comes Egmondanus: quem ut procul intuitus eſt Dux elata voce hæreticum appellavit: quo cum perculſus eſſet Egmondanus, accedentem amplexus Dux amphibolia, & aulicismo eluſit. 22 itaque Auguſti, cum univerſo exercitu ſuo Bruxellam advenit anno 1567.

Humaniter à Gubernatrice acceptus, inſtructuſque de omnibus, atque edoctus eſt, qua potiſſimum ratione contineri in pace ac tranquillitate Provincias poſſe exiſtimaret. Sed Albanus quia infixum habebat animo & opinione præceperat lentitudinem nimiamque bonitatem Regentis occaſionem rebellibus præbuiſſe, diverſam omnino gubernandi rationem proponebat. Maiorem longè ipſi quam Gubernatrici poteſtatē impertierat ex videlicet ut deponere & creare præſides Provinciarum, denique in omnibus pro voluntate ſtatuere poſſet: quam commiſſionem ut ab omnibus videretur typis excudi mandavit. Cum videret Dux Parmenſis ſe cum inani titulo abſque ulla autoritate relinqui in aula, atque ad reſidentem in aula Culenburgenſi Albanum omnes confluere, aliumque regendi modum inceptum, ſcripſit ad Regem, ut ſibi ad maritum ſuum diſcedere liceret.

Conſtitutus jam in Regimine Albanus, exercitum ſuum

ſuum in proximas urbes diſtribuit, collocata Bruxellæ Longobardorum legione, Gandavi ea quam Neapoli acceperat, quæ Hiſpanis conſtabat, Antverpiæ Comitis Ladronij. Plurimos VValonum, quibus diffidebat exautoravit. Portarum claves abſtulit à civibus. De quo Gandavenſes oblato per Egmondanum ſupplici libello conqueri auſi ſunt: quo offenſus Dux reſpondit facturum ſe ea quæ ad Regis ſibi viderentur obſequium.

Conſtituit duodecem virorum conſilium Albanus qui de omnibus quæ præcedenti tumultu contigerant judicarent, quod judicium ſanguinis vulgus appellabat. Conſtabat autem tam popularibus quam exteris. Populares erant Barlaymontius, Norcarmius, Flandriæ præſes, & præſes Arteſiæ: præcipui autem erant Licentiatus Ioannes Vergas conſiliarius, Doctor Ludowicus Delrio, Burgundiæ fiſcus, advocatus Fiſcalis Ioannes de la Porta, Conſiliarius Iacobus Heſſel, Conſiliarius Belinus Bieſe, Advocatus Fiſcalis Mechilienſis, du Boys Procurator Generalis. Præſidem ſe ipſe Dux conſtituit. Sed in eius locum Vergas ſubſtitutus, homo crudeliſſimus, qui propter flagitia ſua, & cum pupilla quadam ex cognatione ſua inceſto ex Hiſpania pulſus fuerat. Iactabant de ipſo Hiſpani Belgarum vulnus quod cancro laborabat, adeo acrem ut Vergas erat cultrum requirere. Secretarij erant Vlierden, la Torre, Praets, Meſdach. Primis duobus tribuſve menſibus congregabantur Dux & Iudices ante ac poſt meridiem: quorum ſententias conſultivas tantum ſuam vero deciſivam volebat.

Hanc ob cauſſam quod nimiam crudelitatem ferre non poſſent, paulatim Iudices emanſerunt: ita ut duodecimus numerus tandem ad ternarium decreverit, ut ex variarum ſententiarum ac condemnationum ſubſcriptione conſtat. Inter alias Domini Antonij à Stralen ſubſignata tantum erat à præſide Verga, Doctore Ludowico Delrio & Secretario de la Torre.

Hoc judicium omnium judiciorum conſiliorumque autoritatem ſibi aſſumſit, judicavit Nobiles atque igno-

biles, ablata omnibus aliis autoritate, atque eo plane collimare viſus eſt Albanus, ut Belgarum omnium opes vitam ac ſanguinem exhauriret, ut ex ſequentibus latius intelligetur.

Quanquam autem concluſum eſſet in Hiſpania non debere procedi adverſus confœderatos nobiles qui in Provinciis manſerunt, ſed adverſus profugos modo: eos quoque tantum qui vel iconomachi, vel Doctores aut Prædicantes, aut ex conſiſtorio erant, vel denique adverſus Regem militaverāt nihilominus hoc conſilium certos ſtatuit articulos, quos omnes Maieſtatis crimen continere judicabant: adeo ample crudelitatem extendentes, ut vix ullus liber aut immunis eſſet. Inventi ſunt hi articuli in cubiculo præſidis Vergæ, in domo Marci Nonij Antverpiæ.

Erant autem ut ſequitur.

I *Qvicunque ante hac petitionibus ſuis impetrarunt ut Hiſpani milites e Belgicis excederent.*

II. *Item universi Ordines, civitateſque Patriæ, qui adverſus Epiſcopos inquiſitionem, & pro moderatione edictorum ſupplicem libellum obtulerunt.*

III. *Nobilitas quæ eaſdem ob cauſas ſupplicarat.*

IV. *Omnes Proceres, Nobiles, miniſtrique juſtitiæ, qui neceſſitatis prætextu prædicationem permiſere.*

V. *Universi Nobiles Domini, &c. qui primam Nobilitatis ſupplicationem, prædicationes, iconomachiam, &c. non repulerunt, ſed permiſere vel conniventes, vel terrore perculſi.*

VI. *Eodem modo omnia tribuum capita, Centuriones, Decuriones, &c. qui ſeſe non oppoſuerunt.*

VII. *Quicunque defendunt aut judicant Belgicæ incolas, ut qui omnes adverſus Regem divinamque Maieſtatem peccarunt, omnibus privilegiis ſuis atque immunitatibus non excidiſſe.*

Quicunq

VIII. *Quicunque vel aſſerent iniuſte ſupplicio affe- ctus quoſcunque Maieſtas ſua & Gubernator eius dignos judicarat,*

IX. *Quicunque Nobiles alioſque Regis ſubditos qui ex Provinciis profugere auxilio aut conſilio juverint.*

X. *Omnes qui judices dum officio ſuo ſatisfaciunt crudelitatis inſimularint: qui etſi ſubinde videantur excedere, apud bonos tamen Chriſtianos Catholicæ Religionis Zelus excuſat.*

Adverſus omnes prædictas perſonas, abſque ulla exceptione, ad duorum delationem & jus jurandum procedetur, apprehenſione, confiſcatione bonorum & vitæ, abſque præcedente forma proceſſus.

XI. *Quandoquidem autem conſtat experientia coniunctionem ac matrimonium cum hæreticis ſeditioſiſque perſonis, ſeduxiſſe plurimos, atque in eundem errorem involviſſe: proxima oportunitate promulgabitur edictum quo tales copulæ prohibeantur: ut tandem aliquando cum ipſa radice Zizania evellantur.*

Ne hæc mira forſitan Lectori videantur, addemus inquiſitorum hæc de re in Hiſpania Regiſque ſententiam, quæ ad Albanum miſſa eſt.

REgia Maieſtas viſa informatione mandato ſuo accepta, de horrendis apoſtaſiis, hæreſibus ac ſeditionibus commiſſis à Belgicarum incolis, laudabili etiam ſententia ac judicio, ſanctiſſimæ inquiſitionis, cum graviſſimis rationum ponderibus, ad juſtitiæ adminiſtrationem, abſoluta ſua Regia poteſtate decernit, ut omnes ſubditi Belgicarum Provinciarum imo totum corpus (exceptis modo qui in informatione memorantur, & quorum nomina ſuo tempore promulgabimus) crimine maieſtatis teneri, tam propter apoſtaſias, hæreſes adverſus Deum & S. Eccleſiam Catholicam Matrem noſtram, quam etiam quia plurimi ipſorum ſe Catholicos ſimulantes, non præſtiterunt ea ad quæ ex officio & ſacra-

mento ſuo obſtringebantur: quin imo potius tam quã veri hæreticorum ſeditioſorumq; fautores in animo ſuo gaviſi ſunt. Item eos quoque qui ſupplices libellos adverſus ſanctiſſimam inquiſitionem obtulerunt, animoſq; addiderunt hæreticis, patrandi ea quæ abſque horrore nõ cogitari quidẽ poſſunt. Vult itaque & ſtatuit Maieſtas ſua nõ diſcedi ab hac ſẽtẽtia, omnemq; veniæ ac diſſimulationis ſpem exulare, ita ut plenarium effectum ſortiatur, eo tamen modo qui ſuo tempore fiſcalibus in Belgica præſcribetur. Atque hæc ad poſterorum exemplum. Sic ſtatutum Madriti 26 die Februarij anno 1568.

Hoc ſanguinis judicium, accepta talibus inſtructionibus autoritate, paulatim exercere poteſtatem cæpit, juxtã reſolutionem factam in Hiſpania ad Gubernatricis querelas, quas de proceribus depoſuerat nominatim de Auriaco, Egmondano, Hornenſi, Hoogſtratano, Marchione Bergenſi, & Montigny atque aliis.

Albanus Dux negotiorum aliorum prætextu, nono Septembris in domo Comitis Culenburgenſis in qua commorabatur, præcipuos Patriæ proceres congregavit qui tum Bruxellæ verſabantur: Inter alios etiam Egmondanum & Hornenſem Comites. Conſumto variis deliberationibus die, circa quintam aut ſextam horam in cubiculum ſuum ſe recepit. Comes ab Egmond à plurimis Nobilium & famulorum ſuorum expectabatur; verum egredienti è cubiculo juſſum, ut ad alteram aulæ partem ſe reciperet, tanquam ſecretioris quid negotij cum ipſo tractandum eſſet.

Quod cum nihil ſuſpicans lubens feciſſet, invenit Fredericum de Toledo Albani filium, & ſubito à Centurione quodam militibuſque Hiſpanis circumdatus captuſque eſt, nequicquam vim atque injuriam adverſus patriæ privilegia inferri ſibi teſtatus. Incluſus itaque in cubiculum aulæ iſtius, validaque militum cuſtodia ſeptus eſt.

Idem in alia domus parte Hornano accidit. Capti præterea Magiſter Ioannes Caſenbroot Dominus in

Backerſeele Comitis Egmondani Conſiliarius; Secretarij quoque alijque præcipui prædictorum duorum Principum officiales ac miniſtri. Inquiſitum adhæc in litteras & chartas omnes, ex quibus aliquid adverſus eos indicij habituros ſperabant.

Hoogſtratanus Comes qui diebus aliquot Coloniæ vulneratus decubuerat, & jam in itinere Bruxellam verſus erat, intellecta Comitum captivitate, retro unde venerat abſceſſit.

Eodem fere tempore Albanus per Comitem Ladronium, Antverpiæ in vincula conijci mandavit D. Antonium à Stralen, Equitem Conſulemque Antverpienſem, Eximiæ autoritatis atque opulentiæ virum. Hic Bruxellam prius, deinde Vilvordam ductus. Bonorum eius factus à Ladronio catalogus. Similiter Antverpiæ Mechliniæ, Bruxellis, Lovanij atque alibi comprehenſi complures.

His ita perpetratis, Comites Manſveldium & Barlaymontium ad Gubernatricem miſit Albanus qui certiorem eam redderent, excuſarentque factum, oſtendentes ex Regiæ Maieſtatis præcepto, & ad publicam utilitatem ita eſſe facta & Celſitudinem ſuam celata hactenus.

Hinc rurſum inter omnis generis mortales facta turbatio, multique timore perculſi, ſolum vertentes, Germaniam, Gallias, Angliam, cæteraſque circumiacentes regiones complevere.

Nihilominus replebantur captivis carceres, quos adhunc finem tum erexerant novos, tum munierant antiquos: Propterea quod in Belgicæ confinibus, Occidentali Flandria præſertim, plurimi captivorum inſidiis, nonnulli etiam violenter erepti eſſent.

Iam rerum potitus Dux cum conſilio ſuo innumeram hominum multitudinē extremo ſupplicio affecerat; ita ut patibula univerſa, multæque etiam arbores replerentur.

Comites Egmondanus & Hornenſis, poſtquam 14 dierum ſpatio accurate cuſtoditi eſſent, 22 Septembris, ſeparato quiſque curru vecti, cum trium millium

Hiſpanorum militum præſidio, ex civitate Bruxellenſi, & Comitatu Brabantiæ ad arcem Gandavenſem deducti ſunt, traditique Alphonſo de Viloa Hiſpaniæ Præfecto, à quo ſeparati ab invicem, miſereque habiti ſunt, neque ulli permiſſus ad ipſos acceſſus.

Alij Nobiles Vilvordæ Bruxellæque imprimis coniecti in vincula. A plurimis monitus fuerat ante captivitatem ſuam Egmondanus, verum ægre tulerat, Regis amore atque in eum confidentia.

Cardinalis Granvellanus intellecta horum Principum captivitate, confeſtim percontatus eſt num taciturnum quoque tenerent, negantibuſque affirmavit potius ſibi ſolum eum quam omnes reliquos cepiſſent.

Comitis Egmondani uxor graviter hac viri ſui adverſitate afflicta, planeque ignorans quid ſibi hac in re potiſſimum faciendum eſſet ut coniugem ſuum in libertatem aſſereret. Obtulit plurimas per Nicolaum landas Mariti ſui procuratorem Albano ſupplicationes; quibus eum obteſtabatur, ut ita cum coniuge ſuo procederet, quemadmodum cum aurei velleris equitibus, Brabantiæque incolis oportebat, & conſuetum hactenus fuerat.

Reſpondit Albanus 21 Ianuarij 1568 ſe à Regia Majeſtate conſtitutum Belgicarum Provinciarum Gubernatorem: ſeſe itaque proceſſurum in eo quod ſibi expedire videretur: addita interdictione, ne Dominus Landas in poſterum ſimilibus ſupplicibus libellis ſibi moleſtus eſſe pergeret.

Timens itaque Comes Egmondana, ne Maritus ſuus in Hiſpaniam veheretur tum alias ob cauſſas, tum quia Belgicas naves omni uſu armorum inſtructas Albanus parabat, alterum ſupplicem libellum priori conſimilem Brabantiæ Ordinibus obtulit, oſtendens quæ & quanta Coniunx ſuis patriæ beneficia præſtitiſſet.

Brabantiæ Ordines quanquam non abſque metu, judicarunt tamen offerendam Duci Albano ſupplicationem, addita breviter ſententia judicioque ſuo, ne ab aliquo argui poſſent.

Ad

Ad Dominum Ducem Albanum, pro Regia Maieſtate in Belgicis Provinciis Gubernatorem.

OMni cum demiſſione declarant Brabantiæ Ordines, Comitem Egmondanum obtuliſſe ſibi ſupplicem libellum pro Comite Marito ſuo. Non potuerunt itaque non facere certiorem excellentiam ſuam, coacti ſacramento quo Regiæ Maieſtati Patriæque obſtricti erant, rogantes ut pacta contractus, aliaſq; Patriæ immunitates ac privilegia, tam in hac quam in aliis cauſſis, inviolata conſervare velit, &c. Eadem quoq; Comes Egmondana Comitiſque Hornani Mater ad Cæſarem, Principes imperij omneſque Ordinis Equites, tam in Hiſpania, Italia, Germania atque alibi ſcripſerunt, auxilium undique requirentes. Varij quoque Albano ſupplices libelli oblati, ad quos nihil reſpōdit, niſi daturum ſe operam ut debito modo juſte in hoc negotio procedatur; præſertim cum tantæ dignitatis perſonis, quæ tot ante Regi obſequia præſtiterant: neque eſſe dubitandum, quin ipſe Rex nihil permiſſurus eſſet, quod cũ æquitate juſtitiaq; pugnaret.

Interea Comites arctiſſima captivitate tenebantur in arce Gondenſi duorum omnino menſium ſpatio: inquirebaturque adverſus eos diligentiſſime, ut quicquam reperiri poſſet, cui tanquam fundamento accuſatio ſuperſtrueretur. Tandē 10 Novemb. 1567 Licētiatus Ioannes de Vergas, & Doctor Ludovicus Delrio conſiliarij ſanguinis, una cum Secretario Praets Hornenſem acceſſere, affirmantem miſſos ſe ab Albano, ut ab ipſo veritatem intelligerent, ſub ſacramēto pede ligato, eumq; quamvis renitentem, obtendentemq; patriæ privilegia, minis tormentorum adegerunt, ut ad interrogata reſponderet. Interrogatus itaque 10. 11. 12. & 17. Novembris, juſſuſq; exhibere ſcripta, quibus defenſionē ſuam ſtabilire vellet. Solus deinde relictus uſq; ad 12 Ianuarij quæ Secretarius Praets 28 Articulos, quorum ipſum Procurator generalis Reum agebat exhibuit. Ad quæ dato quinq; dierũ intervallo reſpōdere juſſus; reſpōdit, ſeſe id abunde præſtiturũ ſi tanquã Ordinis eques atq; apud judices juberetur: quæ

 reſponſio

reſponſio cum Albano diſpliceret, indicatum Hornenſi concluſum eſſe apud Ducem procedendum adverſus eum tanquam contumacem, coactus eſt abſque ullius auxilio defenſionem ſuam ſubire. Accuſationem autem Reſponſionemque eius, quia prolixæ ac ſæpius typis excuſæ omittimus.

Comes quoque Egmondanus 12 Februarij ad 88 Articulos reſpondit.

19. Decembris ad Procuratoris Generalis du Boys inſtantiam, Dux Albanus poſt 6 Hebdomadum ſpatium citavit ad ſeſe Principem Auriacum, Comitem Ludovicum fratrem ipſius, Comitem Hoogſtratanum, Bergenſem, Culenburgenſem, Dominum de Brederode, alioſque diverſos Patriæ Proceres: qui ſeſe ſcripto, quod typis excudi curarunt defendere: Princeps Auriacus, Comes Hoogſtratanus atque alij allegabant, ſe non legitime neque ad competentem judicem eſſe citatos, & tanquam aurei velleris equites non niſi à collegis ac fratribus ſuis debere judicari, offerentes ſe Cæſaris, aliorumque imperij Principum judicio, ut ex dicta reſponſione ad quam Lectorem remittimus clarius apparet.

VErum Albanus, cum non comparerent, Maieſtatis eos condemnavit, omniaque ipſorum bona Regio fiſco adiudicavit, eaque ſententia undique executioni data. Eadem quoque in alios Nobiles Lata.

Interea Gubernatrix, Dux Parmenſis miſſionem à Rege impetraverat, additis præſtantibus donis, annuiſque reditibus ad laborum compenſationem. Paravit itaque ſeſe ad iter in Italiam & tandem 9 Decemb. *1567* ſcripto Provinciis atque Ordinibus valedixit: in quo refert ſuſceptam à ſe gubernationem in generalium Ordinum congregatione Gandavi *1559*, optaſſe ſe in eorum quoque congregatione deponere imperium, quemadmodum ab aliis gubernatoribus & Gubernatricibus factum erat. Verum mandato Regis ſe eſſe prohibitam, durantibus hiſce tumultibus Ordines convocare. Cogi

itaque ſe ſcripto id præſtare quod coram non poterat. Rogabat ut curas ac labores ſuos boni conſulerent, deplorans miſerum duorum poſtremorum annorum, calamitoſumque ſtatum, quem tamen divina aſpirante gratia, auxiliantibus bonis jam compoſuerat, ante ultimam Aprilis: ita ut Maij initio, undique præſidia diſpoſita eſſent, nec quicquam reſtaret niſi ut mali punirentur, taliſque in omnibus Ordo ſtatueretur, qualis Regiæ Maieſtati placebat: qua de re ſuam ad Regem ſententiam perſcripſerat, ſperans à Regia Maieſtate hoc modo univerſa compoſitum iri, ut brevi ad optatam priſtinamque fœlicitatem ſuam Provinciæ redirent, quod ex animo optabat. Addita iterum obteſtatione ut æqui à ſe facta conſulerent, atque in Catholicæ Religionis, Regiæque Maieſtatis obſervantia perdurarent.

30 Decembris Bruxella diſceſſit Italiam verſus, pluriina Belgica nobilitate comitante, ducenteque ipſam Albano.

Anni *1568* initio per conſilium ſanguinis inaudita atrocitate Albanus procedere exorſus eſt adverſus plebem, ad quam aliquo modo præcedentium tumultuum culpa pertigerat. Sævitum in omnes, qui vel prædicationi interfuerant, vel prædicantes alioſque ſimiles exceperant hoſpitio: denique quicunque non omnino repugnarant, nulla habita ratione ullius conditionis aut ſtatus. Graſſabatur imprimis in opulentos, quorum ingentem numerum ex omnibus civitatibus Bruxellam quotidie citabat. Apprehendebantur comparentes, non comparentium bona redigebantur in fiſcum: abſque ulla citatione pauperes prehendebantur. Innumeram plane mortalium multitudinem in campis & civitatibus extremo ſupplicio affecit, opulentiſſimos juxta ac honeſtiſſimos caudis equorum alligatos raptavit ad crucē. Non deerant ea tempeſtate cordati viri, ac conſiliarij, qui monebant Ducem non eſſe illam homines ab erroribus convertendi rationem, verum potius fundamentum obſtinationis, alienationiſque omnium Provinciarum à

Rege:

Rege: propterea quod nimium clare adverteretur, minime id agi, ut ſedaretur turbatio, ſed ut Regius fiſcus diteſceret: qua ratione viduæ atque orphani aliíque tenuiores quorum reditus ſuper confiſcatis bonis fundabantur plane in ruinam agerentur. Quibus harum tractatio mandata erat deliniebant Regem magnitudine divitiarum quas vel ipſis regnis æquari poſſe oſtendebant: octo enim quotannis ducatorum milliones ad Regium fiſcum redire adferebantur, decipientes Regem quia innocentium hominum tam Eccleſiaſticorum, quam ſecularium reditus inde detrahi oportuerat.

Affirmabant præterea Albano prædicti conſiliarij, hac nimia ſeveritate fugatum iri incolas univerſos, quos ſuavitate ac moderatione retinere præſtaret, &c.

In hac quoque ſententia erat præſes Viglius, aliique complures prudentes viri, qui faventes Regiæ Maieſtati aperte prævidebant, quantum inde mali tam Regia Majeſtas, quam Catholica Religio acceptura erat, quot miſeræ Catholicorum animæ trahendæ in errorem, &c.

Hæc quæ jam memorata ad ſummi Pontificis Regiſque etiam aures penetrarunt, quare commoti ſunt ad clementiam ac miſericordiam; quam tamen ideo corrumpere, quod ad crudeliſſimi Vergæ præſidis arbitrium eam componerent, ut quem cum aſſiſtentibus ſuis rem omnē penitus perſpectam habere arbitrabantur: quamobrem eo uſque res proceſſit, hoc itaque modo adeo protractum negotium eſt, ut expectata Generalis delictorum venia, omnem plane fructum amiſerit. Idem quoque conſilium fecit ut quæ ſequuta eſt remiſſio, tot reſtrictionibus exceptionibuſque limitata fuerit, ut nemo ei confidere poſſet, ne ipſi quidem Magiſtratus, qui neglegentiæ in reſiſtendo præcedentibus perturbationibus arguebantur.

Adverſus fugitivos quoque promulgata edicta, mandatumque ut deferrentur qui, fugam parabant, bonaque eorum detinerentur; ea pœna quicunque vel adiuvarent, vel non impedirent fugam, ſimilium cum

ipſis fugitivis criminum ſuſpecti haberentur, pœnæque ſubiacerent. Hoc fere tempore de Carolo Principe unico Regis filio nuncius advenit, captum eum à Patre mortuumque eſſe. Varij de captivitate eius ſermones ferebantur. Regij Legati ad varias Principes affirmabant, non immerito contigiſſe. Verum apparet aliud longe ſubeſſe, nimirum quod viginti duorum annorum validus adoleſcens, acuto ac liberali ingenio, homo ambitioſus, cupidusque regiminis, Belgarumque amantiſſimus, temperare ſibi non valuit. Quin amorem ſuum nimia familiaritate cum Belgicis Legatis Marchione Bergenſi, & Barone à Montigny oſtenderet. Cum autem adverteret Ducis Albani diſceſſu cecidiſſe ſpes ſuas, ipſumque Albanum Ruygonem de Sylva, Ebolitanum Principem, Freſnedam Epiſcopum Cuencanum, Regis cōfeſſarium, alioſque conſiliis ſuis diſſipaſſe intentiones ſuas, gravi ira commotus flangranſque odio, minis non abſtinuit. Spurius quoque eius Avunculus Ioannes ab Auſtria occulta invidia, quæ ſecreta quædam ab ipſo elicita pertulit ad Regem. Prævidentes itaque hi univerſi quantum ſibi periculi immineret, ſi ad ſceptrum unquam perveniſſet hic Princeps, non ceſſabant apud Regem, eum accuſare oſtendentes, quantum ab ipſo periculum univerſo Regno immineret, qui etiamnum fideliſſimos conſiliariorum minis territabat: fieri non poſſe quin ſiniſtre de Catholica Religione ſentiret, ut qui ſecreto cum Belgica nobilitate conſpiraret. Similia quotidie per Freſnedam inculcari Regi curabant: adhæc agitare cum animo fugam in Italiam vel in Belgicas, ad quem finem cum diverſis conſpiraret, cum Noverca etiam ſua, cuius honeſtatem, apud Regem in ſuſpicionem trahebant, propter nimiam cum privigno familiaritatem. Hiſce de cauſſis Rex, ut certa reperiret Ruygomio mandavit, ut cubicula, ſcripta, ſecretaque eius viſitaret: cui exequi mandata paranti violenter obſtitit Princeps, quam confeſtim adverſus Regem Patrem eius rebellionem interpretati ſunt. Venit itaque ipſe

Rex

Rex cum Ruygomio, rogantique Principi ne hoſtis ſuus intraret, iratus, juſſit ut depoſito gladio captivum ſe traderet. Quod factum 15 Ianuarij 1568. Viſitatis eius ſecretis litteræ quædam inventæ: quæ inter ipſum Reginamque ſcriptæ erant, de pecunia qua in Italiam vel Belgicas proficiſceretur, aliæ præterea quædam Belgicorum procerum. Captus itaque hoc modo, arcteque cuſtoditus Princeps, qua erant animi generoſitate, dolore cōfectus interiit in Iulio circa S. Iacobi anno 1598, & cadaver eius oſtenſum. Exiſtimant nonnulli, ficuum immaturarum eſu, alij obſtricta gula occubuiſſe. Hactenus tamen nihil certi conſtitit, variaque hominum ſparſa judicia. Sepulchro eius hoc inſcriptum epitaphium.

Aqui jaze quien para deſir vertad, morio ſin infirmidad.

Poſt mortem Principis Regina Hiſpaniarum Iſabella, Galliæ filia ac ſoror tribus tantum menſibus ſupervixit, non abſque ſuſpicione Regis Galliarum, Matriſque, violentiæ illatæ, quia ſuſpectam eam fuiſſe conſpirationis cum Carolo non ignorabant; captivitatemque ac mortem eius tuliſſe impatientius.

Reliquit filias duas, Iſabellam Claram Eugeniam infantem, natam anno 1568 quæ poſtmodum Dux Brabantiæ facta eſt; & Catharinam quæ Duci Sabaudiæ nupſit, multarumque prolium Mater mature obiit. Dicitur hæc Regina Hiſpaniarum cum filium immaturo partu eſſet enixa, abortiens mortua eſſe.

28 Maij Albanus fugitivos, citatoſque Principes damnavit, videlicet Auriacum, Comitem Ludovicum Naſſovium fratrem eius, Antonium de Lalain, Comitem Hoogſtratanum, Florentium à Pallant, Comitem Culenburgenſem, Henricum D. de Brederode, & VVilhelmum Bergenſem Comitem.

29 Maij publica promulgatione, citavit univerſos qui deſerta Patria profugerant, addita confiſcatione bonorum

rum

rum & vitæ in eos qui non comparerent, in loco habitationis ſuæ. Sed cum nuncium accepiſſet de Clade qua Comes Arembergenſis, & Hiſpani VVinſchoti in Friſia affecti erant, gravi ira ac dolore commotus præcipitari captivorum proceſſum mandavit, condemnatoſque ſententia Kalendis Iunij Bruxellæ in foro equino capitis ſupplicio affecit Dominos ac Nobiles qui ſequuntur.



Nos quoque crudeli germanos impius hauſit
Albano mandante furor, quos Geldria *felix*
Antiqua de ſtirpe tulit: ſed nauta ſceleſtus
Prodidit, & miſeros fallaci impegit arenæ.

Giſbertus & Theodorus à Batenburch, Barones, fratres admodum adoleſcentes.

Petrus Dandelot, Philippus a Wingelē, Maximilianus Coccius, ex Geldria Comitis Egmondani nobilis, Philippus Triſtanus à Gandavo, Ioannes à Bloys dictus Treſlong, Bartholomeus de Val, tres quoque primarij è Friſia

- *Hartmannus à Galema.*
- *Sifridus à Beyma.*
- *Iohannes à Bonga.*

Iacobus ab Vlpendam, Ferdinandus Peletier, Conſtantinus de Bruſſelles, Maior Hobokenſis, Ioannes de Eumaul, Ludovicus Carlier, Cameracenſis, Petrus & Philippus Daelts fratres, & Artus de Batſon cubicularius Domini de Brederode.

Omnes

Omnes pariter perſonantibus tympanis ad ſupplicium ducti, ne à populo eorum exaudiri poſſet oratio, ſtabant militari ordine tanquam in acie novem Hiſpanorum vexilla. Septem corpora reorum qui confeſſione expiare conſcientiam recuſarant, ad palos ſuſpenſa, affixis capitibus extra portam Scharembergenſem donec vetuſtate conſumta ſunt.

Quatuor primi duo ſcilicet Domini à Batenburg, cum Petro d'Andelot & Maximiliano Coccio, extra eandem portam, ad leproſum ſacellum profano loco ſepulti ſunt; propter nobilitatem ſuam, poſtquam corpora eorum à decima ad tertiam poſt meridiem horam pependiſſent.

Secundo eiuſdem menſis, eodem loco capite puniti ſunt. Ioannes de Montigny Dominus in Villers, cum Domino d'Huy, qui in Dalemenſi pugna capti erant, cum quodam Quintino Bennoth, Ballivio Edingenſi, & Cornelio de Meeren Eccleſiaſte.

Dominus de Montigny, intellecto quod tympanis non obſtreperetur iis qui in Catholica fide moriebantur, Confeſſario ſuo de Lobel indicavit ſe Catholice moriturum.

Accedens itaque ad ſupplicij locum Montigny, Vir plane egregius, obvios quoſcunque in via familiares atque amicos ſalutabat: Tandem theatrum aſcendens, orationem ad Deum Gallico & Belgico idiomate profundens, profitenſque acerbiorem ſe ſceleribus ſuis mortem ſuppliciumque meruiſſe, ad cauſſas mortis ſuæ devenit, affirmavitque ſe à proditionis crimine maxime alienum, propter Regis autem obſequium, patriæque immunitatem & ſalutem mortem occumbere, quod etſi à paucis jam intelligeretur, fore tamen ut univerſi aliquando cognoſcerent. Talia dicenti, acclamavit confeſſarius, rogans hæccine cum promiſſis eius congruerent: tum ipſe in fine profeſſus, mori ſeſe in Reformata Religione, ſummis eam laudibus decoravit. Eodem quoque animo ſocius eius Dominus d'Huy

mortem pertulit opulentus imprimis vir, Comitique ſuo nihil quidquam pulchritudine corporis animique dotibus concedens.

Tertio Iunij Dux Albanus Comites Egmondanum & Hornéſem, Gandavo, curru vectos Bruxellam adduci curavit, decem militum vexillis, unaque equitum turma comitantibus. Ducti ſunt in domum quæ è regione curiæ ſita in foro, domus panis appellatur: ſententia autem ipſorum, in conſilio pronuntiata, quarto eius menſis, quintoque exequutioni data. Condemnabantur autem rei læſæ Maieſtatis, quod rebellibus, confœderatiſque Nobilibus fautores fuiſſent, multaque in Catholicæ Religionis detrimentum ab iis eſſent perpetrata.

Vocaverat ad ſe Martinum Rithovium Iprenſem Epiſcopum Albanus, qui quarto Iunij præcipiti jam die, ad Ducem acceſſit, ignorans quid ſe vellet. Exhibuit illi ſcriptam adverſus Egmondanum ſententiam Albanus, ut eum ad obeundam ſequenti die mortem præpararet. Hoc audito procidens genuaque Ducis amplexus, pro Comite demiſſe ſupplicavit. Reiecit preces Albanus, ſervandam juſtitiam dictitans: cumque ulterius Epiſcopus dilationem ſaltem oraret; commotus ira Dux confeſſarium eum Comiti, non ſententiæ mutatorem vocatum aſſeruit. Cernens itaque Epiſcopus nihil remedij ſupereſſe, circa undecimam noctis horam Comitem accedens, triſtem ei nuncium attulit.

Nec



Nec me divitiæ, nec avitæ gloria gentis,
Obſequia & ſincerus amor, nec bellica virtus
Inſigneſque animi, quos fortis Gallia ſenſit,
Iuvêre, hoſtili cecidit caput enſe reciſum.

PErculſus Egmondanus cum omnem gratiæ viam præcluſam adverteret: gratias primum divinæ Maieſtati ac Duci etiam egit quod de tali confeſſario in extremo vitæ articulo proviſum ſibi eſſet, qui ſeſe & conſolaretur, & ad fortiter obeundam mortem armaret. Conqueſtus deinde de crudelitate ſententiæ, ſe ſi quidquam deliquiſſet, id recta intentione, Regijque obſequij amore præſtitiſſe affirmabat: rogans nihilominus ſupremum numen ut delicta ſua ignominioſa illa morte expiaret, nec permitteret quidquam dedecoris aut pœnæ ad poſteros ſuos pervenire. Orabat imprimis ut dulcis coniunx ſua innocenteſque liberi à vexatione immunes relinquerentur, hoc unum fidelibus ſuis quæ olim præſtiterat obſequiis concedi poſtulans: cumque Epiſcopi admonitu, terrenis cogitationibus curiſq; animo eiectis, tota mente ad cæleſtia ſe convertiſſet, expiata confeſſione conſcientia, divinique corporis epulo ſub ſacrificio miſſæ refectus, ad moriendum ſe compoſuit. Scripſit autem binas litteras, ad Regem, Ducemque Albanum, orans ſuppliciter cum coniuge liberiſque ſuis.

5. Iunij circa undecimam horam adventarunt Hiſpani, ut ad ſupplicium Comitem deducerent. Volentibuſque ligare manus, dimota toga oſtendit abſciſſo collari ſe ad mortem paratum accedere: ſolutis igitur manibus incedere permiſſus. Recitabat auté inter eundũ 51 Pſalmum, ſequebanturque ipſum Iulianus Romero exercitus Imperator & capitaneus Salmes cum 19 Hiſpanorum vexillis, qui ad impediendos tumultus forum obſedere, uno præterea vexillo, obeunte civitatem, duobus in aula permanentibus.

Excitatum erat in foro theatrum coopertum nigro panno, duobuſque holoſericis pulvillis. Sedebat ante theatrum præpoſitus aulæ Spelt dictus, in equo rubeam virgam prætendens: ſub theatro autem carnifex erat abſconſus. Solus cum Epiſcopo Comes aſcendit, rubea damaſcena toga indutus, nigroque palliolo quod

aure


Horn
Egmondt
N°. 2.

RPJCB

aurei limbi compleverant. Poſtquam paululum inambulaſſet flexis genibus una cum Epiſcopo orationem Dominicam recitavit, tertio eandem repetens, & ſub finem adiunxit elata voce in manus tuas Domine commendo ſpiritum meum. Abiecto deinde pallio & toga, junctiſque manibus ad Deum tota mente converſus, carnificem expectavit, qui uno ictu caput illud amputavit, quod pro Regis obſequio, tot tantiſque periculis ſeſe obiectarat. Cadaver eius ſanguiſque nigro panno tectus eſt.



Et me crudeles Albani hauſere furores
Innocuum, Regique meo Patriæque fidelem:
Attamen (heu Albane ferox) me maxima vidiſti,
Carnificis miſerè dextra Bruxellæ cadentem.

HOc peracto Comes Hornenſis adductus qui cum eadem ratione expeditus eſſet, corpora ipſorum in ſandapila ſuper theatro relicta, donec capita quæ palis affixa ſtabant, apud ea ponerentur. Dici non poteſt in quanto mærore civitas fuerit, imo ipſi etiam Hiſpani, inprimis vero milites, qui Egmondani fortitudinem virtutemque mirabantur, & bonitatem amabant. Dicitur Legatus Galliarum ſecreto huic executioni interfuiſſe, dixiſſeque vidiſſe ſe, ruentem verticem illum, quem tertio Gallia univerſa trepidarat.

Ingenti ſolemnitate, ad minores primo, deinde ad prædicatores, denique ad S. Gudulæ portati, inde Egmondani corpus ad S. Claræ Moniales deportatum aromatibuſque conditum. Familia eius more Nobilium, ad portam inſignia affixerat; ſed ea juſſu Albani detracta.

Incredibile quanto odio univerſa Belgica adverſus Albanum Ducem exarſerit: ita ut dubium non fuerit vim illaturos fuiſſe Bruxellenſes, niſi valido ſe præſidio ante muniiſſet. Comitis Egmondani cadaver, poſt factas in S. Claræ exequias, Sottegemium in civitatem eius tranſlatum; Hornenſis in Campinia ſepultus.

Sic itaque, illi nobiles, magnique Viri, Lamoraldus ab Egmont, Princeps Gaverenſis Egmondanus Comes, Flandriæ Arteſiæque Gubernator, aurei velleris eques, Conſiliarius Ordinum, &c. Et Philippus à Montmorencij Comes Hornenſis,&c. Belgici maris Admirallius, cubicularius Regis, Corporiſque eius cuſtodum capitaneus, etiam aurei velleris eques Ordinumq; conſiliarius, miſere vitam finierunt. Quadraginta circiter ſex aut ſeptem annorum erat Egmondt, vir corporis robore, & animi præſtantia nulli fere ſecundus. Vxor eius erat Sabina Bauarica Comes Palatina, quam præſente Imperatore ſpiræ in Comitiis duxerat Anno milleſimo, quingenteſimo, quadrageſimo quarto. Tres omnino filios reliquit. Philippum qui in Gallia interfectus eſt, nullis

ex Maria ab Horne, uxore ſua, ſuſceptis liberis: Lamoraldum, qui cælebs permanſit: & Carolum cui nupſit filia Domini de Aubigny. Octo præterea filias: ut Leonoram quæ Georgio ab Horne Comiti in VVtkercke data in matrimonium: Chriſtinam quæ nupſit Domino in Capris Comiti ab Henin Litart, & poſtea Comiti Hoochſtratano, ac poſt mortem eius Comiti Carolo Manſueldio: Franciſca quoque filia eius Hagæ Comitis virgo mortua eſt: Sabina Delphis Euerhardo Comiti in Solms matrimonio copulata. Duæ treſve filiæ, Deo in Monaſteriis dedicatæ.

Quinquageſimum circiter annum agebat Hornanus, vir quoq; omnibus animi & corporis dotibus inſignis; uxor eius nulla ex ipſo ſuſcepta prole, nupſit Adolpho Comiti in Nieuwenaer, Alpen, Meurs, &c.

Ab amicis aliquibus hoc Egmondano ſtatutum Epitaphium.

Quos ego ſervavi manibus victricibus Egmond,
Hi caput indigna cæde tulere meum.
Dicitur ingratis meritum periiſſe locatum.
O nimis eventu dicta probata meo.

Hornenſi hoc poſitum.

Hornus ab illuſtri francorum ſanguine Regum,
Supplicium cauſa deficiente tuli.
Eſt aliquid ſubiiſſe necem, ſic fraude nocentes
Quæ datur, immerito pœna luenda datur.

In Auguſto, Vilvordæ varij quoque proceres capite puniti, ut Dominus Antonius à Stralen, Conſul olim Antverpienſis, Dominus Ioannes Caſenbroot D. in Backerſeele, Comitis Egmondani conſiliarius, Alphonſus de Loa, qui Hornenſi Comiti à ſecretis fuerat: Nobilis quoque Friſo Bauwema dictus, cum Penſionario Mechlinienſi, aliiſque compluribus, quorum omnium bona

bona in fiſcum redacta. Nullus ſuppliciorum finis aut modus erat.

Aula Comitis Culenburgenſis, in qua confœderati Nobiles pactum ſuum confecerant, juſſu Albani deſtructa Bruxellæ: loco autem eius erecta lapidea columna in qua inciſa quæ ſequuntur quatuor linguis.

Regnante Philippo ſecundo Hiſpaniarum Rege, eiuſque Gubernatore in Belgica Ferdinādo Alvarez de Toledo, duce Albano, &c. ſtatutum eſt, ut ædes atque aula Florentij à Pallant Comitis Culenburgenſis, funditus deſtrueretur, propter nefandam in ea habitam coniurationem, adverſus antiquam Catholicam Romanam fidem, Maieſtatem Regiam, Belgicaſque eius Provincias.

Hæc columna poſtquam aliquamdiu ſtetiſſet, à civibus proſtrata eſt. Albanus Dux poſt hanc executionem adverſus proceres, alioſque variæ dignitatis ac ſtatus homines in Reformatos ſævire perrexit, in quos omnis generis tormenta excogitabat, edictumque promulgavit, ut quiſquis Reformatorum, aut fugitivorum noſſet bona, ad tribunum ærarium deferret.

21 Iunij Albanus apud Iemmingā prælio victor, fuſoq; Comite Ludovico triumphavit, filius quoq; eius Ferdinandus à Toledo, adverſus Auriacū victoria potitus eſt, ita ut ad bis mille homines à Principe ceciderint, quorum partem fluvius Geter circa Tilmontium hauſit. Captus eo prœlio nobilis quidam Philippus Marbais, Dominus in Louverval, natus in Comitatu Namurcenſi, quem poſtea Bruxellæ Dux ſupplicio affecit. Mirum in modum hoc læto ſucceſſu elatus Albanus, non tantum Pontificem ac Regem certiores reddidit, ſed ut æternam ſui memoriam faceret, trophæum erexit, confecta inſigni ſtatua, per aliquem Iacobum Iongeling, ex captis ad Iemmingam tormentis.

Accurate Ducem referebat hæc imago: ſtabat armatus, excepta galea, ſub pedibus biceps corpus jacebat, cum quatuor brachiis ac manibus, una tenebat facem,

ruptum altera malleum, clavam tertia, quarta ſecurim, ſub pedibus larva erat, pendebat ex collo crumena è qua ſerpentes exibant, ex auribus calices mendicorum: quinque pedum altitudinem habebat totum opus, æreæ laminæ erant inferius, lapidea baſi ſuſtentatæ, duorum aut trium graduum altitudine: ante ad pedem hæc erant inciſa.

Ferdinando Alvares à Toledo Albæ Duci, Philippi ſecundi Hiſpaniarum Regis, apud Belgas præfecto, quod extincta ſeditione, rebellibus pulſis, Religione procurata, iuſtitia culta, Provinciæ pacem firmarit, Regis optimi miniſtro fideliſſimo poſitum.

Ad unum pedis latus erat altare, inſcriptum.

Deo patrum noſtrorum. Subtus *pietas*, multaque arma ac trophæa; ab altero latere erat paſtor oves ſuas paſcens, ante quas lupi leoneſque volitabant: adhæc aurora pellens noctem & tenebras, cum hoc græco titulo

ΑΛΕΧΙΚΑΚΟΣ ΗΩΣ.

Sub imagine erat

Iungelingi opus ex ære captivo.

Adjunctam tabulam lector intuere.

Cur ſtatuam vivo tibi Dux Albane dediſti?
An quia defuncto nemo daturus erat?
Non male coniectas, neque enim, crudelia laudem
Facta tua, infamem ſed meruere crucem.

Superba huius trophæi erectio, etiam apud ipſos Hiſpanos excitabat invidiam, qui aiebant, Regis cuius ſumtibus confecta omnia, non ipſius ſtatuam fuiſſe collocandam. Varij varie explicabant. Quidam biceps corpus Egmondanum & Hornenſem interpretabantur.

Alij



FERDINANDO ALVARES
A TOLEDO ALBÆ DVC.
PHILIPPI.II. HISP. APVD
BELGAS PRÆFEC. QVOD
EXTINCTA SEDIT. RE-
BELLIB. PVLSIS RELIG.
PROCVR. IVSTIT. CVL-
TA PROVINC. PACEM
FIRMAR. REGIS OPTIMI
MINISTRO FIDELISS.
POSITVM.
DEO PATRVM NOSTROR
PIETAS
ΑΛΕ ΧΙΚΑΚΟΣ ΗΩΣ

RPJCB

Alij Auriacum Principem fratremque eius Ludovicum intelligebant, &c. Dux Arſchotanus vir magnæ in loquendo libertatis, eiuſque fœlicitatis ut non peccaret, fertur ipſi dixiſſe Albano, cum in arce Antverpienſi ſpectaret ſtatuam, ſubiecta pedibus eius capita, adeo torvum intueri, ut verendum eſſet ſi unquam exſurgerent, ne ſeſe graviſſime ulciſcerentur. Quæ verba ridicule prolata ab aliquibus in prophetiam tracta ſunt: cum Antverpienſes poſt aliquot annorum ſpatium adepta libertate, arceque diruta, pulcherrimum hoc opus tanquam de Albani triumphantes tyrannide deſtruxerunt: quanquam alij aſſerant, à commendatore Caſtiliæ, qui Albano ſucceſſit eſſe ſublatum. Quicquid autem ſit ea de re, hoc patet, nemini amicorum aut hoſtium eius placuiſſe ſuperbiam. Albæ Dux exiguo damno proſtratis undique inimicis, pulſiſque patria, 20 Decembris, cum filio ſuo Bruxellam ingreſſus eſt, militemque ſuum in præſidiis collocavit, exautoratis aliquot VValonum legionibus, una cum equitibus nonnullis.

Convocavit Bruxellæ generales Ordines, à quibus pro Rege pecuniam exegit, ut qui plurimum ſumtuum feciſſet, ad Patriæ Catholicæque fidei defenſionem: quod perlubenter à Provinciis præſtitum, addito Duci Albæ 100 & 20 millium Ducatorum honorario, reſpectu obſequiorum quæ patriæ præſtiterat, quod poſtquam recuſaſſet, tandem acceptavit, ſperans tranquillam fore gubernationem in poſterum, & abſoluto imperio ſubiectam iri Belgicam. Inducebat jam itaque novos Epiſcopos & inquiſitores, rem tantæ quondam molis, ex qua tumultuum origo proceſſerat. Perrexit præterea cum conſilio ſanguinis, in perſequutione, executioneque eorum, qui de præcedente culpa participarant. Ad hunc finem 22 Ianuarij 1569 edicto vetuit, ulla in re fugitivis ſuccurri, ne ipſis quidem uxoribus ad maritos proficiſci indulgens. Fugabat immanis eius ſævitia univerſos, adeo ut profugi Belgæ, plurima artificia exteris ignota in alienas terras invexerint. Ingens Flandrorum multitudo

profecta

profecti in Flandriam, varias deſertas civitates reſtauravere, in quibus cum variis privilegiis, Religionis ſuæ exercitium ab Eliſabetha Regina impetrarunt. Fugitivorum Belgarum numerus ad centum mille familias implevit.

11 Februarij anno 1569 Albæ Dux Bruxellæ ſuſpendi juſſit Iohanné Grovelts alias Spel, ſupremum præpoſitum, executoremque in criminalibus, hominem eximiæ crudelitatis, cum duobus miniſtris ſuis, eo quod corruptus pecunia rebellium nonnullos liberos dimiſiſſe diceretur. Sententia ipſius in carta deſcripta ex collo eius ſuſpenſa erat hoc modo.

HAec eſt juſtitiæ executio quam excellentia ſua fieri juſſit, de hoc homine ob ſequentes cauſas. 1. quia corruptus pecunia rebelles, reoſque dimiſit. 2. quia afflixit innocentes, affecitque ſupplicio famulum ſuum, adverſus aliorum judicum ſententiam, denique quia juſtitiæ prætextu crudelem perſequutionem exercuit.

Hoc eodem anno, menſe Maio Pij V. Pontificis Max. Legatus Bruxellam advenit Carolus de Ebolij Neapolitanus, litteras Pontificis ad Ducem ferens, quorum hic exemplar habes.

DIlecte fili, Nobilis Domine, ſalus & Apoſtolica benedictio. Sequuti morē inſtitutumque Romanorum præſulū, pridie nativitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti, pileum enſemque benediximus: quæ cum quotannis ad aliquem è Chriſtianis principibus dono mitti conſuerint, fratrum noſtrorum S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ſententia E. T. elegimus, ut cui utraque cauſſa conveniat, propter quas mitti ſolent, excellens nimirum pietas, & eximia in Eccleſiam merita, quorum recens memoria, ex animis hominum nulla unquam delebit oblivio. Exiguum eſt donum, ſi rem ipſam intuearis: verum ſi advertas animum ad Apoſtolicæ Sedis Maieſtatem, judicijque præſtantiam, & rei myſterium, non grato ſed devoto etiam

animo

animo ſuſcipies, nihil enim aliud eſt, quo magis affectum noſtrum valeamus oſtendere, quam eo quod ſummis Imperatoribus, ac Regibus donari ſolet. Uteris autem gladio ad propugnationem Eccleſiæ Catholicæ : pileo vero intellige galeam ſalutis ſignificari, cæleſtemque coronam, quæ veritatis defenſoribus principibus debetur. Hunc miſimus, ad Excellentiam Tuam, per dilectum filium noſtrũ Carolũ de Eboli, gratiſſimum nobis propter virtutem nobilitatemq; ſuam cubicularium. Volumus autẽ ad maiorẽ ſollennitatẽ, ut poſt celebratum miſſæ ſacrificium, à Catholico Epiſcopo, quem electurus es tibi tradatur. Vt autem excellentiæ Tuæ tanto gratius accidat ſpirituale hoc donum, tibi, omnibuſque aliis Catholicis, qui vera contritione confeſſi ad venerabile ſacramentum acceſſerint, aut accedere ſuo tempore propoſuerint, 15 dierum indulgentias impertivimus, omnipotentis Dei miſericordia, Apoſtolorumq; Petri & Pauli auctoritate confiſi. Datum Romæ ad S. Petrum ſub annulo piſcatoris, 21 Martij anno 1568, Epiſcopatus noſtri anno quarto. Subſignatum erat Aldobrandinus. Inſcriptio talis erat.

Dilecto filio Nobili Domino Ferdinando Duci Albæ, Gubernatori, & imperatori exercitus Regiæ Catholicæ Maieſtatis in Belgica, Pius P. P. V.

Doni huius traditio magnificis cæremoniis 6 Maij celebrata, abſoluto ab Epiſcopo Mechlinienſi, in ſumma æde Bruxellæ miſſæ ſacrificio : ſequuti ingentes triumphi, ſignificationes lætitiæ ac voluptatis, quas aliquorum ſpectatorum vulneratio, unius quoque, ex iis qui haſta currebant, perturbavit.

Affixus, ſparſuſque Latina lingua famoſus libellus, qua huius doni miſſio irridebatur. Albanus Dux hoc demum anno incepit carpere velle fructum victoriæ ſuæ, magnis à populo exactionibus & vectigalibus, ut poſtea referetur.

Adhunc finẽ ſuum callide uſus eſt diſſidio quod inter

Provin-

Provincias ortum erat, de parte cuique contribuenda. In præcedentibus enim exactionibus, Flandri ſemper tertia parte generalis ſummæ quæ exigebatur onerati fuerant: Quarta vero Brabantia. Hollandi quartam tantum contulerant eius partis, quæ à Flandria exigebatur. Arteſia & Hannonia ſingulæ ſextam tantum partem illius, quod Flandria pendebat; & ſic aliæ quoque provinciæ. Adverſus hæc Flandri, Brabantique murmurabant, Arteſia Hannoniaque antiquum morem obſervandum aſſerebant. Ad ſedandam hanc diſcordiam decimum nummum Dux inſtituit, ut dicetur. Media illa tempeſtate Albanus ceſſante undique bello, plurimos ſupplicio affecit.

Inter alios anno *1567* Hagam Comitis captivi quatuor Paſtores, Sacerdotes adducti: videlicet Arnoldus Dircx, Paſtor Lyrenſis apud Delphos, *70* annorum ætatis, Sibrandus Ianſoon Paſtor Schagenſis, Adrianus Ianſoon, Paſtor Iſelmondanus, & VValterus Simonſoon Paſtor Munſterienſis: Hi hæreſeos & apoſtaſiæ arguebantur. 10. autem Maij in fidem ipſorum inquiſitum, cumque in obſtinatione perdurarent *12* eiuſdem apoſtatæ hæreticique declarati, ab inquiſitoribus atque Eccleſiaſticis judicibus, & ut ſeculari Magiſtratui tradi poſſent degradati 27 Maij. Quod cum fieret, diceretq; Epiſcopus, exuo te veſtē juſtitiæ quam volens abieciſti, intulit Paſtor Leydenſis, imo veſtem iniuſtitiæ. Peracta autem degradatione Magiſtratui eos tradidit Epiſcopus, rogans ut clementius tractarentur. Reducti itaque rurſum ad carcerem, & *30* Maij *1570* audita ſententia proceſſere ad ſupplicium, animati ad mortem alacriter perferendam. Ordine alligati ad palum, ſtrangulatique & uſtulati.

In Maio *1570* Spiræ Comitia celebrata Maximiliano II Cæſare, hic Belgæ fugitivi excuſo typis ſupplici libello, calamitates ſuas cõqueſti ſunt: Comes Culẽburgēſis imprimis, & Bergēſis, uxorq; Comitis Hornani, Domini Batenburgēſes, alijq; qui ſub imperio ſedē habebāt.

Prin-

Principes quoque Imperij, civitateſque Reformatæ Religionis querelas ſuas de Belgica perſequutione poſuerunt, quæ in Religionis ſuæ detrimentum maximum, communiſque pacis perturbationem cedebant: quia autem non ignorabant, Feudatorios eſſe Cæſari Belgas, & contribuere ad onera imperij, requirebant ut auxilium quoque eius propugnationemque ſentirent. Rogabant ut ad Regem ſcriberet Imperator, ut perſequutionem ceſſare juberet, non dubitantes quin cum Germanica natione pacem ſervaturus eſſet. Adverſus hanc ſupplicationem proteſtantes Ducis Albæ legati, impediere ne quidquam certi ſtatueretur.

Rex ne planè Belgicas deſolaret 10 Iulij Antverpiæ Generalem delictorum veniam publicari juſſit, magna ſolennitate ac cæremoniis, excitato ante curiam theatro, ſuper quo, tecto rubris pannis, in Regio tribunali, tanquam Maieſtatis ſuæ referens perſonam Albanus ſedebat., aſſidentibus proceribus nonnullis, circumdatoque militibus eius foro, publice promulgata remiſſio, excluſis nihilominus ab ea prædicantibus ac doctoribus, Romanæ Catholicæ adverſis, conſiſtoriantibus quoque atque Diaconis, iiſque qui eos exceperant hoſpitio, incendiariis, præterea iconomachis, &c.

Data erat hæc venia, à Rege Madriti 16 Novemb. ſed nec dum hactenus prodierat, ad maius deſiderium excitandum.

Eodem anno novæ à Duce factæ conſtitutiones, pro Ludimagiſtris, typographis &, de obſervatione Concilij Tridentini. Celebrata in Iunio à novis Epiſcopis Mechliniæ provincialis Synodus, præſide Martino Rithovio Epiſcopo Iprenſi, variaq; conſtituta, ſecundum Concilij Tridentini ſententiam, quod omnino volebat Albanus ſartum tectumque ſervari.

Hoc tempore Dux Albæ, cum ad perſolvenda militi ſtipendia, pecunia egeret, omni ſtudio incubuit, ad extorquenda à ſubditis vectigalia & contributiones. Vocavit itaque Bruxellam generales Ordines, propoſuitque

ut cen-

ut centeſimum bonorum omnium nummum Regi penderent, decimumque mobilium, & rurſus immobilium vigeſimum, nullo certo tempore aſſignato, quo hæc perduraret exactio.

Expoſitæ à Conſilio Ordinum difficultates, quæ ſimili de cauſſa, quoad centeſimum nummum anno 1556 exortæ fuerant: nolle enim ſciri unumquenq; quantum in ciſtis ſuis reconditum eſſet.

Poſt multam diſputationem, partim precibus partim minis, promiſſiſque, ſe ita moderaturum exactionem, ut nullum inde Patriæ detrimentum inferretur, aliquorum Ordinum ad centeſimum nummum conſenſionem extorſit: loco autem decimi ac vigeſimi, duobus annue millionibus, uſque ad ſex annorum ſpatium ſe contentum fore aſſeruit. Vt autem promtiorem populum, ad decimum aliquando nummum pendendum redderet, duobus tantum annis, remiſſis quatuor duos illos milliones accepit.

Interim dum Dux Albæ aliquot jam annis decimum hunc nummum cuderet, ab anno 1569 Vltraiectenſes jamdudum interpellarat, ad decimum vigeſimumque nummum extorquendum, qui ſeſe adductis pluribus rationibus excuſarunt, & tandem poſt multas hinc inde altercationes 100 & 12 florenorum millia obtulerunt.

Prælati & Eccleſiaſtici Traiectenſes bona ſua Eccleſiaſtica, deſtinataque ad uſum Eccleſiæ immunia eſſe obtendebāt, nec poſſe abſq; expreſſo Pontificis conſenſu cadere ſub Commercium Laicorum; nam in Bulla quæ legitur in cœna Domini, excommunicantur omnes, quicunque ad Laicales exactiones, de Eccleſiaſticis bonis præſtandas conſentiunt, ij quoque qui ſuſcipiunt: quapropter integrum ſibi non eſſe petitionibus Albani conſentire, ſalva conſcientia, & juramento.

Hæc reſponſio Ducem ira complevit: inprimis quia Eccleſiaſtici Bullam de Cœna Domini allegarant, quam adverſus perturbatores, perſecutoreſque Eccleſiæ, non vero adverſus propugnatorem qualem ſe ſentiebat con-

ſtabat

ſtabat eſſe compoſitam. Graviter quoque commotus eſt adverſus typographum, qui dictam bullam poſtremum impreſſerat, ſecretum quoque conſilium, præſidemque Viglium, quod autoritatem impreſſori impertiſſent. Secretarium la Torre, qui permiſſioni, privilegioque ſubſcripſerat, Annum integrum ſuſpendit ab officio, domumque ſuam pro captivitate aſſignavit.

Vt autem cogeret Vltraiectenſes 21 Auguſti 1569 miſit ad ipſos Hiſpanorum legionem, vexillorum decem, quos tam apud Eccleſiaſticos quam ſeculares collocavit hoſpitio, à quibus graviſſime divexata Reſpub. exactuſque pro ſingulis, qui 2400 numero erant quot Hebdomadis florenus.

Cum nec ſic cogi poſſent, 15 Decemb. per Procuratorem generalem, ante ſe conſiliumque Sanguinis, univerſam Traiectenſium Rempub. citavit, ad 29 Decembris; ubi eos Maieſtatis accuſavit, aſſerens omnium privilegiorum immunitatumque feciſſe jacturam, pœnæque ſubiiciendos cum excellentiæ ſuæ viſum fuerit.

Cum hæc ultro citroque inter Traiectenſes & Procuratorem generalem acti eſſent, tandem Antverpia 14 Iulij 1570 adverſus eos ſententiam pronunciavit. Hunc autem proceſſum Ducis adverſus Rempub. Traiectenſem videre eſt in Hiſtoria Petri Borrij impreſſi 1601.

29 Iulij Traiectenſes ad Regiam Maieſtatem appellarunt, miſſis in Hiſpaniam non abſque gravi vitæ periculo deputatis: quod quanquam ægerrime ferret Dux, Magiſtratibus nihilominus, miniſtriſque juſtitiæ juſſit in executione procedere, donec aliud à Rege juberetur elaborabant interim Traiectenſes emollire Ducis animum, oblatis 180 florenorum millibus, aliiſque donis: ſed fruſtra. Tandem tamen cum Principis Auriaci Bellicarum navium timor ingrueret, Hiſpanico præſidio liberati ſunt, cuius inſolentiam viginti menſibus perpeſſi fuerant: Verum paulo poſt rediere Hiſpani, multoque quam ante crudelius bachati ſunt; ita ut ipſi Con-

ſuli Ioanni Taetz Ameringio, in propria domo, ſtrictis gladiis vim intentarint, &c.

Non contentus eo Albanus, Traiectenſi Præſidi dedit in Mandatis, ut originalia omnia privilegiorum immunitatumque civitatis ad ſe tranſmitteret. Recuſantibus id ſumma cum demiſſione, obtendentibuſque appellationem ſuam ad Regem Traiectenſibus, ad Præſidij præfectum ſcripſit, ut vi armata cogerentur: dedere itaque univerſa, quæ in arce Vredenburgana conſervata ſunt, donec à ſucceſſore Albani Rex ea reſtitui mandavit. Manſit tamē adhuc præſidium uſque ad Kalendas, Apriles 1572, quibus Briella in Auriaci poteſtatem venit, mittique eo oportuit præſidium.

Elapſis jam duobus annis, Dux ſtatuta de decimo ac vigeſimo nummo pridie Kalendas Auguſti 1571 promulgari curavit, cum tali moderatione, quæ ſufficiens ipſi videbatur, ad auferendam omnem populo querendi rationem: nimirum ut externi mercatores, qui aliunde merces inferrent, prima diſtractione liberi eſſent, idem quoque in frumenti & pecorum venditione fieret, &c.

Cum ne ſic quidem acquieſcerent Provinciæ, ſed graviter de tyrannide conquererentur, Conſiliariique nonnulli, Viglius & Schetz in primis monerent Albanum, is gravi ira ac furore commotus, aliquoties juramento confirmavit, peracturum ſe quæ cæperat ad Regis honorem, rebelliumque punitionem, aut vitam in conamine poſiturum, affecturum ſupplicio, ut perduelles, quicunq; repugnarent.

Cernentes Albani in propoſito obſtinationem Ordines, pro ſe quiſque ad Regem miſere Legatos, qui non abſque diſcrimine in Hiſpaniam penetrarunt: ſed dum ij res ſuas ibi agebant, rerum in Belgica facta mutatio, Brielæ, Vliſſingæ, aliorumque ab Auriaco locorum occupatione, ut dicetur.

Incepit interim Dux, in particularibus urbibus, decimum nummum exigere, à Bruxella exorſus: verum Bruxellenſes clauſis officinis ab omni commercio, re-

rumqu

rumque emptione ac venditione abſtinuere. Ceſſabant cereviſiarij, piſtores, alijque opifices, unde ſumma in urbe orta confuſio. Furens Albanus, vi perrumpere parabat, juſſeratque miniſtris Iuſtitiæ, & carnifici, ut ſeptuaginta primarios cives una nocte, in foribus ſuis ſuſpenderent: quod perfectum procul dubio eſſet, niſi captæ à Marchiæ Comite Brielæ nuncius, monuiſſet Albanum, ſatius futurum fuiſſe, ſi limites patriæ, ingreſſumque muniiſſet, quam cives ac ſubditos, tyrannide ſua ad deſperationem adigeret.

Amſtelodamenſes quia in decimum nummum non abſolute conſenſerant, 25 florenorum millibus multavit, ad arcis Vliſſinganæ ædificationem; ſed recuſarunt illi, tum propter ingens detrimentum, quod aquarum inundatio perruptis aggeribus intulerat, tũ etiam quia aquatiles Geuſij (ut tum vocabantur) utramque eis Indicam navigationem intercluſerant.

Hiſpanorum in urbe Rotterodamenſi crudelitas.

CVm pulſi Brielæ Hiſpani, non abſque infamia profugiſſent, madidi luto, & laſſitudine confecti Dordracum pervenere, ubi humaniter iis denegatus ingreſſus. Comes de Boſſu, hac adverſitate perculſus, veritusque ne plures civitates in Geuſiorum poteſtatem redigerentur, Rotterodamum venit, ſperans minime denegatum iri introitum: ſed cum rurſus excluderetur, armatique cives ad portam adſiſterent, inſidias tentavit. Ingreſſus itaque ipſe cum nobilibus aliquot, petivit à Magiſtratu, ut ſibi cum militibus ſuis alio tendenti, ne introitus abnueretur; ſed cum non fideretur Hiſpanis, poſt multa ultro citroque, tandem conceſſum ut diſploſis ante urbem ſclopetis una prius cohors tranſiret, eaque egreſſa

altera intromitterentur. Quo prætextu armati expectantes Hiſpani, eo furore irrupere, ut à civibus impediri, portæque claudi non poſſent: unde unus è civibus, dictus Niger Ioannes, faber ferrarius, paulo cæteris animoſior, dixit Comiti jam ultra conſtitutam numerum introiſſe; intulit Boſſu, non decere ab eo Regios milites numerari, orta altercatione, gladio petitus à Comite, paranſque defenſionem, à Boſſu interfectus eſt. Alius quoque Ioannes Dominicus piſtor, egregius civis graviter vulneratus.

Nobilium aliqui irruentes in cuſtodias portam occuparunt, per quam intrantes univerſi Hiſpani, ad 40 circiter civium mactarunt 9 Aprilis 1572 Felices autem æſtimabantur, qui occubuerant, propter inormen ſævitiam, quam in reliquos exercuere Hiſpani, quamdiu in ea urbe manſerunt.

Interim Brielenſes, Delphenſem portum abſque reſiſtentia occuparunt; unde abſque ullius læſione digreſſi, munitionem aliquam apud Schiedamum invaſerunt.

10 Aprilis aliquot Hiſpanorum vexilla Roterodamo egreſſa, Delphenſem portum trucidatis omnibus, aliaq; circumiacentia loca ſpoliarunt.

Comes de Boſſu, ut qui Belga erat, prius dilectus ab omnibus, graviſſimum hoc facto odium incurrit: Hollandorum imprimis, quibus à Duce Gubernator præpoſitus erat.

Boſſu atque Hiſpani, Roterodami ſedem belli ſtatuere propoſuerant: verum cum circumdato ſe hoſtilibus civitatibus adverterent, tandam 21 Iulij, ſuccenſis aliquot pagis Harlemium diſceſſere, quod cum Amſtelodamenſium auxilio, occupaturos ſe arbitrarentur, repulſi à civibus, recepere ſe in ſilvam: unde etiam à Domino de Lumen ad Vltraiectenſem diæceſim pulſi, fagatique ſunt. Occupato interim Roterodamo Lumei, multa præclare patravit, obſeditque Gertrudenbergam, in quam procul dubio admiſſus fuiſſet; ſi Auriaci Principis

cipis mandatum potuiſſet oſtendere.

Delphenſes hoc tumultu, conſcripto ſuis ſumtibus milite clauſere portas: Eorum autem qui Delphis excluſi erant inſolentiam Hagienſes perpeſſi.

Vrbis Mechilinienſis ſpoliatio & clades.

KAlendis Octobris, anno 1572. Albæ Dux cum exercitu ſuo ante Mechliniam venit. Præſidium Principis Auriaci, Præfecto Bernardo à Merode, Domino in Rumen, ut primum Albani intellexit adventum, in exercitum eius tormenta exoneravit. Verum cum nihil nec à civibus, neque ab Auriaco auxilij ſperaretur noctę milites ſeſe extra periculum recepere, ex urbe degreſſi. In ſequenti die Eccleſiaſtici ſepararunt, ut cum crucibus ac vexillis Albano occurrerent, ſed fruſtra; nimio enim furore commotus jam tum ſpoliandā militibus civitatem conceſſerat. Ingenti itaque vi irrumpentes, inaudita crudelitate bacchati ſunt, nulla Eccleſiaſtici aut ſecularis ſtatus, nullo ſexus ætatiſve diſcrimine. Aliquot auri millionibus æſtimata præda.

Ad æternam rei memoriam factum hoc chronographicum carmen.

HIſpanIs BeLgIs, MeChLInIa beLLo ſeCVndo
HeV doLor oCtobrIs aſpera præda fVIt.

Quia autem nimis crudelis videbatur, in civitatem non uſque adeo male meritam tanta bacchatio, rationes ſuas typis excudi curavit Albanus. Primo, quod Mechlinienſes autoritate ſua militem ſuſcepiſſent, ad præſidia Regis arcenda, ſternendamque Auriaco viam: quod in exercitum ſuum tormenta exoneraſſent: Denique quod ſe non monito hoſtile præſidium elabi permiſiſſent.

Quapropter meritos direptionem, nec eam tantum; ſed ſeverius adhuc adverſum eos eſſe procedendum: quemadmodum & in alias civitates quæ Regis iram expectaturæ ſunt.

Promulgavit præterea edictum, ut bonorũ omnium, quæ ad rebelles pertinebant catalogus conficeretur, omneſque quibus vel de iis conſtaret, vel qui debitores eorum eſſent, deferrent ad Magiſtratus, conſtituta dupli pœna in tranſgreſſores; propoſitoque deferentibus tertiæ partis prœmio. Poſt hæc Dux Albanus equitem peditem Dieſtam miſit. Verum quia inde profugerat Principis præſidium, quod minime munitum locum ſe tueri poſſe diffideret, direpta civitas non eſt, ſed damnata in aliquam pecuniæ ſummam, annonæque toti exercitij; tribuendæ neceſſitatem.

Interea Dendermondenſe quoque præſidium deſeruit oppidum, oppidanique octo millibus florenorum redemti. Similiter Aldenardenſes 3 Octobris deſeruere civitatem, poſtquam in Eccleſiaſticos primo ſæviiſſent, eorumque aliquot ſubmerſiſſent, Ooſtendamq; diſceſſere; unde maxima militum pars, navigiis in Angliam Zelandiamque penetrabat. Imbieſe Gandavenſes excellentis animi vir, filius Ioannis ab Imbieſe, cum navis eius in vadum eſſet impacta, atque in præſenti captivitatis diſcrimine verſaretur, in mare proſiliens demerſus eſt. Alij Duces ac Centuriones ut Iacobus Blommart, VVilhelmus de Grave Gandavenſis, Antonius Reyme, atque alij meliore via in Zelandiam penetrare ſperantes, nocte quadam in domo ſeu villa apud Eekloo, deprehenſi, cum ſeſe fortiter defenderent, una cum domo flammis abſumti ſunt. Plurimi per univerſam patriam captivi ſupplicio afficiebantur Nobilis quidam Antonius VVtenhove quod Reformatam Religionem profiteretur, vivens conſumtus incendio.

Albanus Traiectum ad Moſam perrexit, ibique pleroſque equitum ſuorum Germanicorum exautoravit. Acceſſerunt ad eum eo loco plurimarum civitatum

Deputati, excuſantes, roganteſque veniam, quod mittere Auriaco annonam & commeatum vi adacti eſſent, diſſimulavit Dux tempori inſerviens. Inde Neomagum profectus, ubi aliquo tempore manſit, Frederico filio ſuo relinquens in mandatis, ut Auriacum, Reformatoſque perſequeretur. Fredericus Ducis Albæ filius, Regij exercitus Imperator perrexit in Geldriam, ubi variæ ipſi civitates claves obtulerunt, certatimque omnes conciliari ipſi ſtuduere, talis univerſos terror invaſerat poſt Pariſienſem cladem, Bergæ amiſſionem, direptionemque Mechliniæ, ita ut qui Principis partes ſectabantur, omni plane animo conſilioque deſtituti ſint: quemadmodum Zutphanienſibus accidit, ut referemus.

Clades direptioque Civitatis Zutphaniæ.

FRedericus Albani filius vigeſimonono Novembris cum exercitu ſuo ad Zutphaniam venit (valida ea civitas eſt, commodeque ſita ad Iſſelam fluvium, præſidioque munita,) admotiſque confeſtim tormentis quatere muros adortus eſt. Poſt inſequentem diem, noctu militum civiumque aliqui, ex urbe profugerunt, internæ ſeditionis metu, ita ut Hiſpani poſtridie ingreſſi ſint. Quanquam autem dedere ſeſe optarent cives: tamen ut tanquam vi armata captam civitatem diripere daretur, per glaciem currentes, tranſcendenteſque muros, eam invaſerunt, tantaque crudelitate graſſati ſunt, ut nulli plane mortali parcerent. Quod ſupererat mortalium maximam partem demerſum ab Hiſpanis in flumen.

Milites Duceſque aliquot captos ex pedibus ſuſpendere, quia, ut affirmabant adverſus præſtitum Regi ſacramentum, ſub hoſtibus eius ſtipendia fecerant. Trucidatorum numerus 500 exceſſit. Gravi terrore percelluit

reliquas civitates, quod ea quæ moratura Ducis videbatur victoriam, adeo facile in hoſtilem poteſtatem ceſſiſſet.

Hic quoque terror Bergenſem Comitem, cum uxore liberiſque ſuis in Campinia verſantem, convaſatis omnibus, una cum militibus ſuis in VVeſtphaliam fugere compulit.

Nuncius hic tam de occupatione Zutphaniæ, quam fuga Comitis Bergenſis Reformatos Occidentalis Friſiæ perterruit. Comes Iodocus à Schouwenberch, intellecto exercitus hoſtilis adventu, cum aliquot militum vexillis 18 Novemb. Franckeria Maccum profectus eſt, ad maris littus, ibique munitionem exorſus, ut inde facilis in Hollandiam tranſitus eſſet, ſi neceſſitas exigeret, antequam ſeſe muniſſet, à Domino de Billy legionis præfecto fugatus eſt. Quod ut Bolſwardienſes intellexere 22 noctu, nullo perſequente profugerunt.

23 & 24 Novemb. Sneecka & Franekeria, omnes quoq; diſceſſere, tanta perturbatione ac timore, ut plane excordes eſſe viderentur. Inter alios Catholici Sneeckæ nobilem Dominum Theodorum à Bronchorſt & Batenburch, Dominum in Nederwormter, qui civitati præfuerat, captum Leovardiæ coniecerunt in vincula. Conſules Bolſwardienſes Franekeriani & Sneeckenſes Leovardiam profecti, urbium ſuarum claves præfecto legionis Friſiæq; aulæ obtulerūt. Venienti ad dictas civitates præfecto, utriuſq; ſexus cives prociderunt ad genua junctis manibus veniam orantes. Collocavit is Dux Albanus ſcripſit ad Dominum de Billy ut trium quæ rebellarunt civitatem muros ac mœnia deſtrueret: quo intellecto Sneeckenſes ſummis precibus à Billy contenderunt, ut ſuperſederet tantiſper, litteraſque in ſui favorem ad Ducem traderet, quibus veniam ab ipſo impetraret quod tandem licet ægre conceſſit: ita tamen ut peteret modo, quinque pedum altitudine muros relinqui, ad fures, nocturnoſque latrones excludendos.

Iſelia,

Dum hæc contingerent in Geldria, Zutphania, Tranſ-Iſelania, Friſiaq; Amerſfordienſe quoque præſidium, ſub Gilberto à Broeckhuyſen, & Andrea Putman præfectis rebellavit, additis minis, tradituros ſe civitatem Frederico quam primum adventaret. Diſceſſere itaque præfecti, cum duobus militum vexillis, & 50 circiter equitibus Amerſfordio, & Naerdam acceſſere, ingreſſum flagitantes, ſed repulſam paſſi ſunt.

Ad Comitem de Boſſu Vltraiectum profecti Amerſfordienſes, oblatiſque clavibus veniam petiere. Venit is 21 Novemb. cum duobus vexillis, & civitatem ipſorum occupavit.

Hiſtorica relatio cladis ac deſtructionis Naerdenſis, Imperatore Regij exercitus Frederico Ducis Albæ filio, Kalendis Decemb. 1572.

VRbis Naerdæ incolæ ac cives cum induxiſſent animum coniungere ſe cum diverſis aliis urbibus Hollandiæ, Zelandiæ ac Friſiæ, quæ ab Albano deſciverant, ut Hiſpanicum jugum poſſent excutere, & propugnare Religionem, privilegia & immunitates ſuas, factus eſt certior Comes de Boſſu à proditoribus aliquibus: Quapropter is 20 Auguſt. 1572 mane circa octavam horam, cum quatuor Germanicorum peditum vexillis Vltraiecto diſcedens partem ipſorum Naerdam, partem vero Amſtelodamum inducere ſperabat. Vt autem celaret Naerdenſes relicta ordinaria via per alios anfractus profectus eſt.

Accidit tamen ut eodem die poſt meridiem Amerſfordio, quo jam de Comite fama pervenerat, ad dictas civitates milites VValones qui ſub Centurione S. Marij militabant venirent Ductu Lamberti Ianſz.

VViltvanck, rogantes ut admitterentur. Dum ultro citroque ſerunt colloquia ab adveniente Comite de Boſſu, ante urbem deprehenſi, intercluſique ſunt, ita ut nulla ratione evadere poſſe viderentur.

Quia autem plurimi civium bene erga Auriacum affecti erant, recepere in urbem milites, miſericordia ducti excluſo Boſſu, exoneratiſque in eum tormentis, durante uſque in veſperam pugna. Diſcedens itaque inde Comes eo ipſo Veſpere Muydam, indeque Amſtelodamum abiit.

Non ita multo poſt Naerdæ præſidio Germanici aliquot milites ſub Andrea Putman venere, cum equitibus nonnullis, & VValones egreſſi. Qui cum Muydenſibus ſubinde velitationes aliquot, leveſque pugnas conſeruere, quas brevitatis cauſſa omittimus.

Cum Comes Bergenſis ut retulimus diſceſſiſſet ex Campinia, ut videre Naerdéſes circumdatos ſe eſſe civitatibus quæ Albano adhærebant, Deputatos ſuos Gerardum Petrum Aerts, Ioannem Petrum Aerts, & Ioannem Corneliſz. in ſeptemtrionalem Bataviam miſere ad adducendos milites atque annonam, ut hoſtilem impetum qui tum maxime timendus erat congelato Auſtrali mari poſſent depellere: Sed quia dudum ſtipendia militibus perſoluta non erat, petitum auxilium impetrare non valuerunt; quanquam unius menſis perſolutionem offerrent. Similiter quoque miſere ad Bertoldum Enteſſen à Mentheda, auxilium requirentes: verum cum utrobique eos ſpes fefelliſſet,& certior fama adferretur adventare hoſtilem exercitum, derelicti ab omnibus, gravi terrore perculſi ſunt; deficiente imprimis pulvere tormentario aliiſque neceſſariis. Iudicarunt itaque expedire occurrere hoſti, pacemque æquis conditionibus orare: ad quod deputarunt Magiſtrum Martinum Laurentz, dictumque Gerardum Petrum Aerts Conſules.

Permittebatur interea univerſis civibus ac militibus excedere urbe & ad tutiora loca ſe conferre, quod fe-

ciſſent

ciſſent nonnulli niſi ab ebriis quibuſdam militibus impediti fuiſſent.

Venientes Amerſfordium deputati à Frederico ad colloquium admiſſi non ſunt: triſtes itaque ad ſuos rediere. In itinere Magiſter Martinus monitus ab Amerſfordienſibus collegam ſuum deſeruit, qui obſtinato animo; quanquam non ignoraret jam in itinere eſſe exercitum Naerdam perrexit, revocantibus nequicquam amicis.

Meridie circa 12 horam ad Naerdam venit hoſtilis exercitus, eamque circumdedit, ut nulli amplius pateret egreſſus. Toto eo die tam ab oppidanis quam obſidentibus exonerata tormenta.

Veſpere hora ſeptima Gerardus Petrus Aerts ad exercitum venit, & tandem non abſque ingenti labore ad Comitem de Boſſu penetravit; à quo cum veniam oraret pro ſuis, interrogatuſque viciſſim eſſet num præſidium exceſſiſſet, ſeſe id omnino exiſtimare reſpondit: cum negarent Aſſiſtentes, diſcedens Boſſu, duci uſque ad portas civitatis deputatum curavit, juſſo ut ſequenti die cum pluribus rediret.

Kalendis Decembris *1572* Deputati Naerdenſium ad exercitum venerunt, Dominus Lambertus Hortenſius Rector Scholæ, Gerardus Petrus Aerts, Iacobus Antoniſz. Ioannes Pos Lebbertſz. Richardus Adriaenſz. Henricus Andrieſz. VValterus Amſtelodamenſis.

Tendentibus his Deputatis ad Exercitum occurrit Iulianus de Romero, aſſeruitque datam ſibi tractandi cum iis à Frederico poteſtatem. Adhibita fide, pactum cum eo iniere, his conditionibus: ut Frederico portæ aperirentur, exercituique eius per urbem tranſitus daretur; ita tamen ut à civibus militibuſque, & eorũ bonis abſtinerent conceſſa nihilominis 200 Hiſpanis facultate, tantum ex urbe ſpoliorum efferendi, quantum ipſi exportare poſſent: denique, ut ſacramentum Regi cives, militeſque præſtarẽt. His conditionibus cõſenſit Romerus, porrecta aliquoties Hortenſio dextra, dataque atque accepta fide.

Ingreſ-

Ingreſſo urbem cum 28 Hiſpanis Romero, non ita multo poſt 400 circiter Hiſpani inſequuti, à civibus opipare excepti, tractatique ſunt.

Poſtquam epulatus eſſet Romerus indicari per præconem curavit, ut omnes cives, ac milites, abſque armis ad templum Hoſpitalis convenirent: quod præſtitere ij qui Hiſpanicis promiſſis fidem adhibebant alij diverſis locis ſeſe abſcondere, rei eventum expectantes.

Cum jam Hiſpani univerſos adeſſe arbitrarentur, eo quod nulli amplius adventarent, denunciari curarunt à ſacerdote, ut ad mortem ſe pararent, apertiſque maioribus valvis irruentes, immaniſſime cunctos trucidarunt, 500 circiter numero, præter milites: quatuor modo captivos accepere propter ingentia promiſſa, Iacobum Antonij, Bernardum Giſberti, Franconem Franconis, Hermannum Ioannis Scrieck. Patrata cæde, incendere curiam, atque ita omnes pariter flammis abſumti. Cecidit inter alios Gerardus Petrus Aerts, poſtquam Iulianum cum ſuis Magiſtratus juſſu perquam lautè tractaſſet.

Totus interea Hiſpanorum exercitus intravit qui undique cuncta incendens prodire compulit qui latebant, cunctoſque inaudita crudelitate, variis tormentis amputatis pedibus, manibus, &c. communis clades abſumſit: denique ut verbo concludam nulla ſexus, nulla ætatis habita ratione in viros crudelitatem, in fæminas ſævitiam ac libidinem ita exercuerunt, ut nulla unquàm antiquorum immanitas, huic æquari poſſe videatur. Vivos infantes, materno utero (o horrendum facinus) evulſerunt. In corpora etiam mortua ſævitum, prohibitaque ſepultura cadaverum uſque ad 21 Decemb.

Quia autem ſuſpicabatur Fredericus civium nonnullos è manibus ſuis elapſos, publicavit edictum, quo vetabatur ne ruſticorum quiſquam reliquias civium abſconderet.

Inter alios captivos Conſul quoque Lamphes fuit, quem cum crudelibus tormentis diu multumque excruciaſſent,

ciaſſent, promiſit tandem aureos ducentos, pro litro ac redemtione captivitatis ſuæ, miſitque filiolum ſuum ad ſororem ut pecuniam acciperet territus puer aufugit; ipſe quoque parens, mulierum aliquot auxilio in monaſterium vaſit: ubi cum deprehenſus eſſet, captuſque Frederici juſſu in foribus ſuis ſuſpenſus eſt, diviſumque in quatuor partes cadaver, & ad portas affixum. Plurimi alij diverſis modis miſere excruciati, interfectique.

His ita peractis Ferdinandus de Toledo, Albæ Dux, ut juſtitiæ pallio deteſtabile tegeret ſcelus 6 Novemb. 1573 Maieſtatis damnavit Naerdenſes, ut hanc tantam tyrannidem meruiſſe viderentur.

Hac nimia crudelitate adeo perculſi ſunt Batavi ac Zelandi, ut extrema potius tentare, imo ſub Turcarum jugo vivere, quam impotentem Hiſpanorum Dominationem ulterius perferre propoſuerint: Ipſi etiam Catholici atque Eccleſiaſtici in Hiſpanorum odium exarſere: ita ut multo amplius detrimenti quam commodi Albano hæc clades attulerit.

Obſidio atque occupatio urbis Haerlemenſis.

NAerdæ Fredericus cum exercitu ſuo Amſtelodamum diſceſſit, ibique aliquamdiu moratus eſt Haerlemium cogitans. Scripſere ſecreto Haerlemium Amſtelodamenſes, ut pacem petituri accederent, alioqui Regium exercitum ad eos brevi eſſe venturum. Perculſus hoc nuncio Magiſtratus, ſenatum convocavit 3 Decemb. ad conſultandum quid in hiſce rerum anguſtiis fieri potiſſimum expediret. Diverſæ Senatorum ſententiæ erant, volentibus nonnullis, ut ab Auriaco peteretur auxilium, aliis Regias vires expaveſcentibus. Concluſum tandem mittendum ad Fredericum ad petendas

tendas aliquot dierum, inducias ut interim res componeretur. Deputatus Nobilis Dominus Chriſtophorus à Schagen, Theodorus de Vries, & M. Adrianus ab Aſſendelft urbis Penſionarius, qui ſecreto Amſtelodomum profecti ſunt: verum ut intellexit agitari eam rem VViboldus Ripperda, qui civitati præerat. Eodem die poſt meridiem cives convocavit, petitoque ſilentio hunc in modum affatus eſt.

Neminem veſtrum fugere exiſtimo cives, Fredericum Albani filium expeditionem in vos parare. Quo intellecto Magiſtratu nobis inconſultis adverſus ſacramentum ſuum miſere qui veniam orarent. Verùm cives optimi, oculos animoſque veſtros in ea intendite, quæ Mechlinienſibus Zutphanienſibus, & Naerdenſibus accidere, memoreſque eſtote quo ſacramento Auriaco Principi obſtricti ſitis: Nullus dubito quin ſi hæc ponatis ob oculos non dubitetis exemplo meo pro libertate veſtra, pro uxoribus & liberis, pro aris ac focis fortiter dimicantes occumbere. Aperite mentem veſtram, confidimus enim fore ut quam nobis intentant cladem in hoſtes retorqueamus.

Accenſi his dictis cives pariter bona vitamque ſuam pro ſe quiſque ad propugnandã patriam obtulere. Miſit itaque confeſtim Delphos ad Auriacum, & ad Lazarum Muller qui auxilium peterent. Eadem nocte cum legione Germanicorum Haerlemium Muller acceſſit, è qua vexilla quatuor reliquit in civitate, cum ſex aliis Leydam digreſſus, Abſtulerunt confeſtim è templis imagines, & in Reformatam fidem jurarunt.

Redierant interea Amſtelodamo D. Chiſtophorus à Scagen & Penſionarius Aſſendelft, qui ſpe veniæ, promiſerant Frederico Haerleminm tradituros. Theodorus de Vrieſen Amſtelodami remanſerat. Apprehenſi confeſtim hi duo, miſſique Delphos ad Auriacum: ubi Aſſendelft 24 Decemb. tum propter hoc, tum propter alia crimina ſupplicio affectus; D. Chriſtophorus à Scagen in carcere mortuus eſt.

Venere

Venere confeſtim Spaerwouwam Hiſpani: quare ab Haerlemenſibus, miſſi 300 ſub Centurionibus Martino Pruys, Michaele & Gerardo Verlaen ad Sparendamum (munimentum id erat ad ripam, ante quod tranſeundū Hiſpanis) cuſtodiendum: Miſſi quoque foſſores, qui altiorem aggerem perfoderent, terramque demergerent: ſed nec dum perfecto opere, pulſi ab Hiſpanis fugatique ſunt.

Interea aſperrimo frigore, omnes Sparendami aquæ, dictæ Sparen & Tya congelatæ, & Iulianus Romero 9 Decemb. tranſita glacie graviſſime eos oppugnavit, & licet præſidiarij fortiſſime pugnantes, ingentem hoſtium ſtragem ederent, violenter ingreſſus eſt.

Profugere obſeſſi, quanquam Haerlemenſes auxilio, ſed ſero venirent. Centurio Martinus Pruys, cum multis tamen Hiſpanis occubuit.

Advenit hoc tempore Haerlemium D. de S. Aldegonda nomine Principis Auriaci, Ordinumque Hollandiæ, rogavitque cives ut adverſus ingruentem neceſſitatem, alium Magiſtratum eligerent, ponens ob oculos Theodori de Vrieſen proditionem, addito datam ſibi ad id ab Ordinibus autoritatem. Electi itaque 8 Conſules, & 14 Scabini, quorum media pars inſequenti anno geſtura erat Magiſtratum. Conſules electi Nicolaus vander Laen N. D. Ioannes vanden Vliet, Gerardus Stuyver & Petrus Kies: Scabini VVilhelhelmus Adriani, Iacobus ab Heuſen, Cornelius Reycken, Petrus Bal, Nicolaus Mathei, Adrianus à Berckenrode, & Matheus Auguſtini. Teſtabatur autem, intactis urbis privilegiis, ob præſentem neceſſitatem id fieri.

11 Decemb. ante Haerlemium venit exercitus: 35 Hiſpanorum vexilla, 25 VValonum ſub Noircarmio Capres & Licques, 18 Germanorum ſub Comite ab Overſteyn, cum 800 equitibus, accendentibus quotidie novis, cum bellico apparatu, cum Comite de Boſſu Hollandiæ præſide.

Occupatis ante Haerlemium Hiſpanis Princeps Auriacus,

riacus, Marchiæque Comes, ſuos undique milites acci-vere, ut inter Lugdunum & Haerlemium in pago Hille-gom exercitum collocarent. Quo cum veniſſent col-lectis jam 12 vexillis, minorem arbitrati hoſtium exer-citum 8 equos exploratum miſere, quorum aliquibus ab hoſte captis, intellectoque Auriaci & Marchiæ Co-mitis ſtatu, 5 millia peditum cum 6 centis equitibus 10 Decemb. tanta celeritate eos invaſere, ut vix Comiti ſeſe armandi tempus eſſet, diſponendique in aciem militis ſui: ita ut ipſe, & Bartholomeus Entens, non attenden-tes an alij adveniſſent cum duobus modo vexillis equiti-bus ſuis occurrerint: verum equitibus ipſius pulſis Ger-manici quoque pedites, aliique in fugam verſi, non abſq; præſenti Comitis diſcrimine: Tandem tamen evaſit duo-bus ſub ipſo traiectis equis. Inſignis nonnulli vexilliferi, inter alios, Iacobus Martini Gandenſis Flandriæ Præſidis filius, impedire volentes fugam, vexillo ſe involvere in quo interfecti ſunt: inter captivos erant Baptiſta Trevi-renſis & Ioannes Keller, quos ex pede vivos ad patibu-lum ſuſpendere Hiſpani. Obtulit pro Treverenſi Comes bis mille aureos & 14 hoſtium captivos; ſed fruſtra: qua eos quoque confeſtim ſuſpendit.

Fieri curavit extemplo munimenta Fredericus, Belli-caſque machinas diſponit, admiratus reſiſtentiam magnæ atque invalidæ civitatis; ſed animus civium pro muni-mento erat.

18 Decemb. 14 tormentis quatere portam crucis ce-pit, 600 & 80 globis 46, librarum, proſternens anterio-rem partem & munimenta eius: quapropter cives facto ſub portam cuniculo, incredibili diligentia damnum repararunt. Inſequenti die portam S. Ioannis quaſſa-runt 600 & 75 ictibus: adverſus quos obſeſſi novum vallum excitarunt.

20 Decemb. uſque ad meridiem continuata jacula-tione; magnam mirorum partem deiecere, irruenteſque cum 18 vexillis, à civibus catenas tormentis emittentibus repulſi ſunt.

Recenti

Recenti milite inſtaurantes oppugnationem, ab obſeſſis, ignem & tela jaculantibus, gravi clade affecti receperunt ſeſe, repletas armis mortuisque ſuis foſſas relinquentes. Centum circiter & quinquaginta Hiſpani, viginti amplius nobiles præfectiq; occiſi. crevit hinc Haerlemenſibus animus, nihil quidquam concedente militi cive: aſſueti vincere Hiſpani jam circumſpectiores erant: ſequentes itaque dies, agendis cuniculis quatiendaque urbe conſumti.

Princeps interea Auriacus inter Haerlemiam & Lugdunum in pago Saſſem collocavit exercitum; vnde Haerlemium poſtea annonam, militesq; ſubmiſit, lacu Haerlemenſi, aquisque omnibus gelu aſtrictis.

Quibus animati cives quotidie irruptiones in hoſtem faciebant, nonnullos ſubinde hoſtium capientes à quibus ſecreta intelligebant. Inter alias eruptiones digna notatu illa 25 Martij cum mille viris, quibus in Haerlemenſi ſilva, Germanicas legiones invaſere, ſexcentisque circiter occiſis, reliquos pepulere, captis 11 vexillis, 7 tormentis 50 beſtiis, incenſis 300 tentoriis, ovantes victoria & onuſti ſpoliis in vrbem reverſi ſunt.

Obdurato nihilominus animo non niſi victor recedere Fredericus propoſuerat, quanquam hieme aſperrima & annonæ caritate vexaretur exercitus.

Miſerat Dux tria circiter millia foſſorum è Leodienſi patria qui cuniculis quotidie agendis occupati, vniverſi fere interfecti ſunt.

Aliis è tranſverſo cuniculis hoſtium cuniculos excipiebant obſeſſi, & quidquid interdiu damnũ paſsi erant noctu reparabant, in defeſſo labore, integrisque animis. Excitarunt quoque nova valla, ſemilunas, munitiones &c. ad quæ univerſi pariter nulla ætatis, nulla ſexus, dignitatisque habita ratione operam conferebant.

Inſignis emicuit virtus, honeſtiſſimæ viduæ kennau dictæ, quæ virilem gerens animum, excitabat reliquas,

non dubitans etiam omni genere armorum cum hoſte confligere.

Poſt 40 dierum quaſſationem comperit Fredericus, amplum patere in urbem irrumpẽdi, per deiecta mœnia locum, latum ad ducentos paſſus: adhæc foſſarum aquæ adſtrictæ erant aſperrimo gelu 30 igitur Ianuarij oppugnare urbem noctu aggreſſus, ſuis mandavit, ut ad ſeſe internoſcendos albis induciis ſuper armis induerentur: miſtiſque inter Hiſpanos, expeditiſſimis Mondragonij vexillis, duobus præterea VValonum millibus, ſeptemque vexillis Germanicorum ſub Polveyller oppugnationem ſecreto atque acriter adortus eſt. Multi jam in muros evaſerant: cum ſubito animadvertentes qui excubias inter duas portas agebant 50 circiter numero, deiectis qui aſcenderant, cives ad arma vocavere.

Accurrentibus confeſtim civibus pugna incruduit. Cum jam plurimi Hiſpani evaſiſſent in munimentum, atque undique denſarentur, ſuppoſitum cuniculum tormentario pulvere implentes obſeſſi ignem immiſere, quo ingens hoſtium multitudo correpta flagravit: quod ingentem reliquis terrorem incuſſit, ingrediendique demſit audaciam. Plurimi eo die Hiſpanorum occiſi, viri multi Nobiles Duces, &c. Non ultra decem oppidanorum deſideratis.

Tum primum de invadenda violenter civitate deſperare cæpit Fredericus. Quare plures ab Albano milites ſubmiſſi.

Durante oppugnatione ab altero latere 90 circiter trahæ cum annona, omnique apparatu in urbem inductæ; quod durante gelu impediri vix poterat. Parabant interim naves oppidani, quibus ſoluta aquarum concretione uterentur. Idem quoque Princeps Lugduni præſtare ſatagebat, plurimis confectis navibus, quibus Marinus Brant Præfectus. Hiſce in Februario frumentum cum duobus æneis & decem ferreis tormentis Lugdono accepere. Verum Amſtelodami naves quoque parabat, & 19 Maij perfoſſo aggere eas in Haerlemenſem lacum

induxit

induxit 33 numero, præter 7 parvas triremes, Præfecto Comite de Boſſu. Plurima in lacu navalia prœlia commiſſa: Hollandicæ enim civitates, claſſem quoque inſtruxerant: Dordracenſes 20 naves, Delphij 13, Roterodamenſes 15, Gorcomenſes 10, Schiedamenſes 6, aliæque plures, quæ 7 Aprilis Lugduni congregatæ, lacum ingreſſæ ſunt. Quotidie cum Hiſpano confligebant. Tandem 28 Maij Amſtelodamenſes 60 numero Principis claſſem invadentes, 20 circiter naves captivas abduxere.

Cruenta omnino fuit obſeſſio, plurimique hoſtium læſi & interfecti. Nullum ex bellico conſilio immunem abiiſſe ſcribit Bernardinus de Mendoza in hiſtoria ſua: ipſe Federicus vulneratus eſt. Quatuor circiter millia omnium nationum, inter eos octingenta Hiſpanos cecidiſſe commemorat. Oppidani tempore obſidionis paucos amiſere.

10 Mille, 360 tormentorum ictus, in civitatem emiſſi ſunt, qui plurimum damni muris ac domibus intulere: Erecta quoque affixaque ad malos domuncula, è qua ſclopetarij, quoſcunque in plateis videre poterant petebant: ſed ea tandem ab oppidanis tormento deiecta; quinque præterea hoſtium tormenta ab iiſdem jaculando diſrupta.

Quanquam arcte cuſtodirentur obſeſſi, modum tamen invenere, quo Principi Auriaco neceſſitatem ſuam indicarent, miſſo noctu nuncio, qui columbas in civitate educatas ſecum ad Principem detulit: quas ipſe alligatis ad pedem litteris, ad civitatem ſuo tempore dimiſit. Hac ratione in India, & ante illos Romani uſi ſunt.

Tanta in civitate, cum lacus ab Hiſpanis intercluſus eſſet, annonæ fuit inopia, ut tandem ab eſu equorum, canum, felium, gliriumque non abſtinerent: Plurimi itaque fame perierunt. Tandem Auriacus 8 Iulij miſſa Lugduno columba ſcripſit, ſeſe per ſilvam ſubmiſſurum annonam ut illi interim aliis locis tumultum excitarent,

& cierent pugnam. Bis mille circiter milites ac cives alba induſia deſuper induti totam noctem expectabant. Sub Domino à Batenburch, Dominiſque in Carloo& Tſerraets Haſſemij exercitus congregatus 8 Iulij tertia poſt meridiem hora, Saſſemio diſceſſit, cum annona, alioque apparatu, quem Haerlemium inueheret. Media nocte ad Hiſpanorum exercitum cum ſuis Batenburch pervenerat; primamque derelictam ſtationem advertens, fugiſſe Hiſpanos ratus audacter proceſſit: cum tandem Hiſpani qui ſeſe in inſidiis collocarant, erumpentes eum invaſere: quo territi equites rupta peditum ſuorum acie, cum profugerent, omnes pariter cæſi, fugatique: 800 circiter periere, ipſe Batenburch, ut opinio eſt, in fuga è ponte præcipitatus interiit, temeritatis ſuæ luens pænas.

Hæc ad obſeſſos clades, miſſis per columbam litteris ab Auriaco perſcripta, oſtenſaque ab Hiſpanis novem captiva vexilla. Quare Haerlemenſes nullam omnino cernentes compoſitionis cum Frederico ſpem, propoſuere relictis uxoribus ac liberis vrbe per hoſtilem exercitum erumpere: ſed eo intellecto mulieres tanta lamentatione atque ululatu complevere vrbem, vt ea nocte dilata fuerit profectio.

Inſequẽti die 10 Iulij miſſæ ab hoſtibus litteræ, quibus venia pronũciabatur quare universi tumultũ in vrbe excitarũt, deficiẽtibus primo Germanis fidei hoſtili confiſis.

11 Iulij rurſus VValonum præſidiariorum impedita profectio.

Inſigne inter alia factum nobilis Galli Bordet nomine, qui cum Hiſpanis ut adhiberet fidem animum inducere non poſſet famulum ſuum precibus adegit ut ſeſe ſclopo perimeret, qui poſtquam diu multumq; abnuiſſet, tandem perſuaſus ſtragula veſte involuti Domini caput ænea glande trajecit, vt cerebro lectũ aſpergeret, non absq; ingenti Frederici admiratione.

Firmatum pactum, vt cives vitam ſuam ac bona redimerent, 24000 Florenorũ, 57 exceptis, vrbis ſcilicet primarijs,

marijs, quorum ſex aut octo affecti ſupplicio, nonnulli infirmitate obiere, reliqui beneficio Comitis de Boſſu libertatem adepti. Pecuniā autem exhibituri erant 14000 florenorū extemplo, reliqua trium menſiū ſpatio elapſo.

Sequenti luce cum Frederico & conſilio eius plerique Hiſpanorum vrbem ingreſſi. Primarij civium ac Duces ad Clivenſem Domum captivi abducti. 15 Iulij 300 circiter milites VValones, in foro ſuſpenſi. Gubernator N. D. VViboldus Riperda cum vicario ſuo Ludovico Horémaker capite plexus. Eccleſiaſtes eius ſuſpenſus, & 249 milites in lacum demerſi. 17. rurſum plurimi affecti ſupplicio. 18. trecenti. 20 Iulij Nobilis Dominus Lancelottus à Brederode, Roſeni, & Brielenſis quæſtor plexi capite. Paulo poſt 18. adhuc Centuriones & vexilliferi cum reliquis VValonibus, Scotis, Anglis & Gallis, uſque ad 300. Poſtea 19 Auguſti milites nonnulli qui in Xenodochio ægri decubuerant capite puniti. Qui in munimēto extra pomœrium fuerant fame conſumti. 16 Auguſti Germanici milites circiter 600 cum Centurionibus ac Ducibus ſuis urbe educti: verum circa novum templum, à famulis nobilis Domini Sonoy, Enchuyſiorum auxilio, è manibus cuſtodum erepti ſunt, percuſſique cuſtodes. Interfecti hoc modo plusquam bis mille præſidiarij, qui Haerlemium tenuerant, exceptis paucis quos ſecreta fuga abſtulit. Scotus quidam Centurio dictus Balfour dimiſſus, eo quod ſe Principem Auriacum interfecturum eſſe promiſiſſet, ùt ipſemet Principi faſſus eſt, tam nefaria promiſſione ſe minime teneri exiſtimans. Obſidentium longe plures interfecti. 12000 in obſidione perijſſe fama eſt.

Hac peracta victoria, ad vniverſas Bataviæ vrbes ſcripſit Albanus, veniam gratiamque offerens, ſed nemini auditus eſt. Reſpondere inter cæteros Rotterodamenſes, agnoſcere ſe Regem Hiſpaniæ, ſed neminem vice ipſius præterquam Auriacum.

Advertens Albanus, animoq; reputans, quāto ſibi pretio Haerlemēſis urbis occupatio ſtetiſſet, & rebellare mi-

lites ſuos, qui 28 menſibus ſtipendia non acceperant, reſtare plurimas adhuc urbes obſidendas; tamen ſeveritatem ſuam temperare nolens 26 Iulij 1573 publicari juſſit ſeveriſſimas litteras, quibus nomine Regis invitabantur primo ſubditi, ad acceptandam gratiam quæ offerebatur, eamque recuſantibus graviſſimæ intentabantur minæ; deſolaturum ſe terram, alioſque incolas inducturum, &c.

Obſidio urbis Alcmarienſis, eiuſque ſolutio.

OCcupato Haerlemio Hiſpani quatuor poſt diebus 16 Iulij 1573 Alcmariam bis mille quingentos pedites, quatuorque equitum turmas miſere, ſperantes ſe terrore captam eam urbem facillime poteſtati ſuæ eſſe facturos. Plurimi civium deſerta urbe profugerunt: Verum cum circa Egmondam, & Heyloo Principis Auriaci miles eſſet, Iacobi Cabeliau Præfecti opera urbem intrarunt, commiſſiſque aliquot levioribus pugnis, effecere ut diſcederent Hiſpani, qua occaſione utendum rati Alcmarienſes, munire mœnia, annonamque, atque omnem bellicum apparatum convehere.

Interea Haerlemij rebellarant Hiſpani; unde nihil quicquam ab iis effectum, donec acceptis ſtipendiis rurſus ante Alcmariam venerunt 21 Auguſti Fredericus Ducis Albæ filius exercitui cum poteſtate præerat vicarius erat Norcarmius, cum Conſalvo de Braccamonte, Petro de Velaſco, Petro de Toledo, Stephano Divaro, Iuliano Romero, Domino Ognies, la Mote, erat tormentis præfectus. Verſabantur hi Oudendorpij, cum 40 Hiſpanorum 8 Italorum vexillis & 400 equitibus. Huyſwerdæ, erat Ferdinandus de Toledo cum 8 vexillis. In S. Pancratio commorabatur Dominus Polwyler, cum 6 Germanorum vexillis, & S. Belli Gubernatoris

Groe-

Groeningenſis. Koedijckij Baro de Liques, tum Gubernator Haerlemenſis, & Baro Chrevreaulx cum vexillis viginti. Bergæ erat Capres cum 10 VValonum cohortibus. Ad portam novam verſabatur Iovianus Franſberch, & Otho Comes ab Overſteyn, cum Germanis ſuis, miſtiſque aliquot Hiſpanienſibus & Germanicis equitibus. Vniverſa ſimul centum viginti & unum vexillis, quæ 16 hominum millia continebant. Alcmariæ erant mille trecenti bellatores incolæ, præter paucos agricolas & peregrinos. Præſidium erat 800 circiter militum. Iacobus Cageliau præerat urbi, & VVilhelmum à Sonneberch vicarium habebat. Annonæ non multum erat in urbe, nec ulla ſpes adfuturi aliunde auxilij adfulgebat. Verum nobilis Dominus Theodorus Sonoy Septemtrionalis Bataviæ præſes, ſpem oſtendebat miſſis litteris, fore ut perforatus aggeribus, ſi neceſsitas poſtularet, aqua mundaretur exercitus.

Locari confeſtim tormenta mandavit Fredericus: ad quod opus Haerlemenſes 300 cives mittere compulſi ad fodiendum. Sæpius oblatæ civitati pacis conditiones multis, pulchriſque promiſsis; ſed fruſtra. Collocatis jam 20 maioribus tormentis, quorum globi 40 libras appendebant; 18 Septemb. à prima luce uſque ad ſolis occaſum *2036* numeratis ictibus mœnia concuſſere: eodemque die Friſicam portam, rubramque turrim tribus integris horis violenter oppugnarunt, ſecundo vento & fumo: Verum non abſque ingenti ſuo damno repulſi ab Oppidanis, omni genere armorum, ipſis etiam fœminis ac pueris, lapides, picem, ignemque ſubminiſtrantibus Ter recedentes à muris, rurſumque adorti novo milite reſtauravere pugnam. Tria vexilla in mœnia evaſerant: quorum combuſtum unum alia pedibus conculcata, vexilliferis trucidatis. Ad 500 oppugnantium ea die interfecti, inter quos *14* primæ notæ: 300 circiter vulnerati. Non ultra 30 aut 40 Oppidanorum occiſi aut vulnerati, 24 milites, cives circiter 13. Scribit Bernardinus de Mendoza Hiſpanus, multo plures occu-

buiſſe, referens inter alios Franciſcum de Bobadilla, Iacobum Felicem, Blaſcum Navies de Cavagal, vulneratoſque convaluiſſe ut plurimum, vel quia tormentarius pulvis, ſatis exſiccatus non erat, vel nimio fervore eiaculatus.

20 Septemb, rurſum 800 globos evibrarunt in civitatem, parati ad oppugnandum: verum pontes ipſorum ab Oppidanis jaculando deſtructi, ſubſidere incipiebant: vnde fruſtra obnitente Frederico, ab oppugnatione deſtitere. Optabant acceſſum eorum Oppidani: mulieres enim ac puellæ ipſæ ſe ad hoſtium vim à tectis & penatibus ſuis propulſandam accinxerant, adportatis ad mœnia cacabis quibus picem & ſulphur igne coxerant. Illo primum die cadere Hiſpanis animus, vrbemque occupandi ſpes. Accedebat quod pluuio cælo aquis terra repleretur; quare abductis paulatim tormentis *10*. Octobris *1573* ſoluta obſidione Alcmariam deſervere. Egere gratias diuinæ bonitati de liberatione ſua Oppidani. Stanneam pecuniā cuderant, quam poſtmodum argento rurſum redemerunt.

Tandem advertens Albæ Dux novercam ſibi undique eſſe fortunam, gravique Belgicam vniverſam ſui odio teneri, propter immanem Tyrannidem, inauditas graviſſimasque exactiones, metuenſque ne nomini ſuo dedecus inureret ſi diutius in Belgicarum regimine verſaretur, defungi gubernatione ſua à Rege poſtulavit, gravem ætatem ſuam, afflictumque morbis corpus obtendens, imparem ſe eſſe tanto oneri, alium aptiorem in locum ſuum Regia majeſtas ſubſtitueret: quod facile impetravit, tum quia Belgicæ Ordines, communes de ipſo apud Regem querelas, depoſuerant; tum etiam quia Vltrajectenſes, apud Majeſtatem ſuam conqueſti erant, ad ſeſe divexandos Albanum, Briela, alijsque limitibus, vbi neceſſaria erant, ablata præſidia, in vrbe ſua collocaſſe, atque hinc civitates illas ab hoſte captas, Provinciasque turbatas.

Miſit itaque Rex in locum eius Ludovicum Reque-

ſentium

ſentium, magnum Caſtellæ Commendatorem, Hiſpanum natione, qui Mediolanenſibus Gubernator præfuerat. Hic 17 Novemb. 1573 cum duabus equitum turmis Bruxellam aduenit, ingentique honore ac Magnificentia ab ipſo Albano, filioque eius exceptus eſt.

Præmiſſis ingentibus in Hiſpaniam opibus, belgicaq; tantũ nõ exhauſta, 2 Decemb. 1573. vna cũ Filio, Albæ Dux Italiã verſus, atq; inde in Hiſpaniã receſſit, vbi præter multorum opinionem, carus, acceptusque fuit; donec promouit, ad contrahẽdas cum conſanguinea nuptias filium, deſerta alia, quam ſub conſummati matrimonij ſpecie, prætextuque deceperat: quare iram Regis incurrit, coniectusque in vincula, rurſum ijs emiſſus, & Regij exercitus Imperator, quemadmodum Belgicam flagellarat, Luſitaniam quoque afflixit. Obijt tandem Olyſſiponæ, diuturna febre conſumptus 12 Decemb. Anno Dominicæ incarnationis 1582. ætatis ſuæ 74.

Vir erat præſtantis ingenij atque eloquentiæ, bellator expertus: verum tumens ſuperbia, inquietiſque & ambitioſis motibus agitatus, nec fidelitatem præſtans; nec curans, quantumvis maximum iuramentum ubi ſe offerret occaſio. Militaverat Cæſari ac Regi in præcipuis bellis, Italiæ, Hiſpaniæ, Galliæ, Hungariæ, Germaniæ, Belgicæ atque Luſitaniæ. Nuſquam minus quam in Belgica laudis acquiſierat, melior ſemper in adverſis quam ſecundis rebus. Macilentus erat atque oblongus, facie quoque longiore, oculis introrſum reconditis, ſevero vultu. Tanti propriam ſapientiam æſtimabat, ut laudari alterius moleſte ferret: crudelitate erat immanis, avaritiæ pudendæ, quam in Belgicæ gubernatione ſatis manifeſtavit. Dicitur in convivio jactaſſe ſe 6 annorum quibus Belgicæ clauum tenuerat ſpatio carnificum manibus, plusquam 18 millia hominum interfeciſſe, ijs exceptis quos belli tempeſtas hauſerat.



Offenſis populorum animis, quos dira Tyrannis
Albani, & Frederice tui exacuere furores,
Mitior acceſsi. Infelix ſed ſorte Noverca
Peſte obij, Auſtriaco & Belgis turbata relinquens.

LVDOVICI REQVENSENTII

Regimen.

PRofecto ex Belgica Albano, Ludovicus Requeſentius, Hiſpanus natione, magnus Caſtiliæ Commendator ſucceſſit.

Tetra de hoc fama erat, eum paulo ante Æthiopes in Granatenſi ditione, in honeſta potius calliditate, quam bellica virtute ſubegiſſe: ita ut Draconis, leoniſve loco, vulpem aut crocodilum Provinciæ accepiſſe viderentur. Ipſo gubernationis initio Ludovicus affirmavit ſe nihil quidquam abſque Ordinum conſenſu eſſe facturum, vt pecuniam hoc modo ad perſolvendum militem ſtipendia flagitantem eliceret. Recuſantibus Provinciis Germanicarum Legionũ præfectis promiſit ſe reditibus Provinciarum perſoluturũ, aſſignatis pignori plurimis civitatibus, quarum cives diu voracibus illis lupis vexati ſunt. Adepta apud Neomagum 14 Aprilis 1574 adverſus comitem Ludovicum Naſſovium victoria, pecuniam flagitarus Hiſpani, quã Sancio d'Avila in pugna promiſerat: verum cum nihil tribueretur dilaceratis vexillis, pulſisque ducibus rebellarunt, Antwerpiamque profecti ſunt. Factus certior eâ de re Fredericus Perinot, Dominus de Champignij Gubernator ad muniendum ſe animum appulit, ſignificavitque Commendatori, ut præſidium arcis mutaret: verendum enim eſſe ne præſidarij Hiſpani alios rebellantes per arcem in vrbem admitterent: vix fidem adhibere Commendator initio videbatur; tandem tamen *24* Aprilis ipſe Antwerpiam intravit, cumque ſuaderet ei Champignij velle occupare arcem, vel munire adverſus eam, civitatem perſuadere non potuit.

26 April

26 Aprilis vndecima circa meridiem hora, ad arcem adventarunt rebelles Hiſpani. Quo audito Champignij armatum militem ſuum oppoſuit ut ingreſſu eos arceret:ſed à Commendatore prohibitus,iuſſusque abire; quamquam ægre, diſceſſit tamen admirans. Intrarunt interim Hiſpani ruptis paululum vallis:quare cum iraſceretur Commendator,diſceſſit cum ſuis Champignij in novam civitatem,vt in ea ſe muniret. Diſpoſuere ſe in acie inter arcem vrbemque rebelles: Iubente autem Gubernatore ne S. Georgii tranſirent ſi quid vellent: cum nihil præter verba daret, clamarunt universi dineros, VValones fuora, pecuniam ſuam, VValonumq; diſceſſum poſtulãtes,& VValones fuora,fuora Vielliacos ingeminãtes .Tãdem poſt aliquot dierum intervallũ impetrarunt ut 10 menſium ſolutionem præſenti pecunia, quinq;laneis lineisq.pannis acciperent,reliqua à Mercatoribus, conceſſo ſpatio perſolverentur: atque ita,licet ægre quieverunt.

Raræ poſt illud tempus militum rebelliones, partim enim calliditate,partim pecunia placati.

Publicavit hoc anno generalem deliĉtorum veniam Rex,ut animos Belgarum alliceret:verum vixquidquam effecit, cum partim fides non adhiberetur,partim callida diſſimulatione fieri putaretur.

In Iunio convocati Bruxellam generales Ordines, à quibus 20 auri vaſa annue poſtulavit Commendator; ſed repulſam paſſus eſt.

Parabatur interea ingens in Hiſpaniâ claſſis, quæ ſub Petro de Merendis veniret in Belgicã; ſed eo ſubita morte defunĉto, alijſque intercedentibus cauſſis emanſit. Cinxit obſidione Lugdunum Batavorum Commendator,per quendẽ Baldeum nomine:verum Principis Autiaci auſpiciis,divinoque beneficio pæne miraculoſe ſervata eſt anno 1574 tertio Oĉtob.

Durante obſidione, alium militem ſuum circa Bommel, Gorcum & Lovenſteyn habuit : ſed absque vllo emolumento.

Marchio

Marchio Chiappin Vitelli, cum 15 Germanicis vexillis Leerdamenſe oppidum obſedit: poſt multam oppugnationem facta deditio, vt duo præſidiariorum vexilla cum armis egrederentur, cives vniverſa ſua ſarta tecta ſervarent. Ingreſsi Hiſpani, coactos in curiam cives compulere vt Prædicantem ſuum exhiberent: recuſantibus pleriſque, vnus tandem prodidit, inter parietum ruinas latitantem: ad quem accurrens Hiſpanus impacto in caput ſclopeto graviter vulneratum produxit: Ludimagiſter quoque atque alius quidam prædicans, qui in vicino oppidulo Aſperen dicto concionatus fuerat, ad Gubernatorem Chiapin Vitelli adducti, eiusque mandato ex patibulo ſuſpenſi.

Relicto Lugduno, ſolutaque obſidione Baldeus, Hagam profectus eſt; vbi milites ejus quia octo menſibus ſtipendium non acceperant rebellârunt; ſed tandem ſedati ſunt.

Denique infelix Commendator advertens contemtui ſe haberi, & ruere quotidie in pejus Regis res, eo deduxit negotium, ut de pace inter Regem & Ordines tractaretur; ſed rejectæ ab Ordinibus conditiones, eo quod callide ſecum agi exiſtimarent.

Cuſi hoc tempore ab Hollandis nummi expreſſa leonis in horto effigie, additaque inſcriptione, ſecurius bellum pace dubia.

Cepit, ſpoliavitq; per Dominum Hierges Hollandiæ præſidem Commendator, Bueren, aliasque parvi momenti oppidula.

Obſeſ-

Obſeſſio occupatioque civitatum ad aquas veteres.

OBſedit per eundem Dominum de Hierges aquas veteres Commendator, tandemque 8 Auguſti violenter occupavit, adeoque ditā atque in auditam crudelitatem exercuit.

Eo quoque vel ſatis manifeſtavit crudelem animum ſuum, quod miſſa ad Eliſabetham Angliæ Reginam legatione, poſtulavit, ut rebelles Regis regno ſuo pelleret: ſed nihil effecit.

Anno 1575. in Octobris Commendator Bommene munitum pagum obſedit, tantoque oppugnavit furore ut 20 obſidionis diebus, ante Bommenam plures, quam ad Haerlemium occumberent.

Anno 1576 pecuniam rurſum à Provinciis Commēdator exegit, ſed fruſtra. Offenſus perturbatusque tantis difficultatibus Ludovicus, impatienter vociferabatur *Dios nos Libera de eſtos eſtalos* ab his Ordinibus deus nos liberet.

5 Martij 1576 calida febri, non abſq; peſtis ſuſpicione Commendator interiit.

Mortuus quoque Chiappin Vitelli, Marchio de Cetone, qui rheda vectus, lapſusque cum ea, graviterque vulneratus cum Antwerpiam veheretur, in navi animam efflavit. Vir erat induſtrius ac prudens, bellator egregius ſed omnium religionum irriſor, miſſus erat ad Regem à Duce Florentiæ. Fama erat ab invidis eſſe præcipitatum factum autem ab aliquibus hoc ipſi Epitaphium.

Epitaphinm Chiappin Vitelli Marchionis Cetonenſis.

O miſerere Deus Craſsi, miſerere Vitelli,
Quem mors præveniens non ſinit eſſe bovem.
Corpus in Italia eſt, tenet inteſtina Brabantus:
Aſt animam nemo. Cur? quia non habuit.

Mor-

Mortuis his duobus capitibus Ordines in Belgica rexere: quorum à Rege confirmata gubernatio 24 Martij 1576. Primarij erant Dux Arſchotanus, Manſveldius, Barlaymontius, Raſingenius Comites, Præſes Viglius, Haſbout, d'Aſſonvile cum alijs conſiliarijs &c. His data à Rege auctoritas donec ſpurius Regis frater Ioannes Auſtriacus Gubernator mitteretur.

Rebellantes in Provincijs milites, quod dudum ſtipendia non accepiſſent, ingentem in vniverſa patria cladem fecere, occiſis ſpoliatiſque incolis, Aelſtæ imprimis in Flandria, quam Hiſpani 15 Iulij occuparunt.

Sancio d'Avila, arcis Antwerpianæ Gubernator navique ſuis commeatum Aelſtam ad rebelles convexit, mandavitque Oliverio equitum Magiſtro, ut deſertis adverſus Ordinum præceptum præſidiis in Brabantiam veniret: quod factum. Falconetti turma, quæ graſſando Flandriã tranſierat pœne deleta fuiſſet ab agricolis niſi Sancio d'Avila ex arce Antwerpienſi veniſſet auxilio.

Tandem rebelles Hiſpani Regis ac Patriæ hoſtes declarati, dataque cuivis volenti eos interficiendi poteſtas.

Armarunt ſeſe rebelles ac cito è Batavia Ferdinando de Toledo, alijſque Hiſpanis in vnum coactis vſque ad 6000 pedites, cum 1200 tam Italis quam Hiſpanis. Tentarunt quoque in partes ſuas trahere Germanos: ſed fruſtra.

Flandri ac Gandavenſes imprimis arcem ſuam obſedere, nimia Hiſpanorum inſolentia commoti, concluſumque à 4 Flandriæ membris, Gaudenſibus imprimis, ut ſeſe cum Principe Auriaco ſalva Nihilominus Catholica religione & Regis obedientia, adverſus rebelles Hiſpanos coniungerent.

Occuparunt interea Traiectum ad Moſam Hiſpani, & inaudita crudelitate bacchati ſunt: non modo obſtitere Germani, qui præſidio urbi erant: ſed ipſi quoque ad ſpoliandum digreſsi.

Hinc ortus Hiſpanis animus Antwerpiam diripiendi.

Rhoda Sancio d'Avila, cũ complicibus Alphonſus de Ver-

Vergas, ex reliquis Provinciis omnes Hiſpanos accivere.

Qui univerſi quarto Novembris cũ Iuliano Romero Lierenſiq; præſidio arcem Antwerpianam intrârunt. Cũ hiſce rebellibus quos ipſe Roda hoſtes declarâuerat, obedientem Regi, dictoque audientem in omnibus Antwerpianam urbem invaſere.

Eodẽ die immanes, ſitientesq; humani ſanguinis crudeles Hiſpani in pulcherrimam illam Antwerpienſem civitatem, illum orbis ocellum horribili clamore tumultuque irruerunt, calones ac lixæ & meretrices ipſorum ſtramen ignẽq; geſtabãt, ad domos ſuccendẽdas. Champignij cum Marchione Havre, alijsque, in Principis Auriaci naves evaſit: plurimi è muris ac pontibus deſiliebant. Comes ab Overſteyn in ſubiectam naviculam deſilire volens armatus in aquam prolapſus interijt. Comes Egmondanus in Monaſterio S. Michaelis, cum Domino de Capres, d'Oignies, aliisque, à legionis Præfecto Verdugo captus.

Occubuere in hoc Hiſpanorum furore quatuor aut quinque hominũm millia tam civium quam militum: inter alios primarii mercatores: Marchio quoque Antwerpienſis D. Ioannes vander Meeren, Goſwinus Verreeck, Ian vander VVerue, Lancelottus ab Vrſele Franciſcus Deſpommereaux, alijque è magiſtratu. Submerſus quoque Dominus de Bievre, Dominus de Pleci, alijque complures Duces proceresque interfecti. Combuſta curia, magnificum ſane opus, aliæque domus ac integræ plateæ, maiusque fere ex combuſtis mercibus, quam ex ſpoliatione damnũ acceptum. Tribus primis diebus, nulla crudelitate abſtinuere, non ſexui, non ætati parcentes. Ad 40 vaſorum auri pretium æſtimata præda.

Multa interim à civibus patrata facinora, occiſiq; occulte Hiſpani atque inter aggeres cadaverum projecti.

Hoc modo celeberrimum magnificentiſſimumque Europæ emporium, à rebellibus Hiſpanis direptum atque vaſtatum 4. Novembris *1576.* Hiſpanicus furor hæc ab incolis dicta ſpoliatio.

Rede-

Redemere direptioné Flandri à Germanica legione, quæ ſub præfecto Polweyler Dendermondæ in præſidio erat.

Pacificatio Gandenſis.

CONVENERE Gandavum ad ſanciendum fœdus pacemque confirmandam generalium Ordinũ conſenſu, qui ſequuntur. Ioannes vander Linden Abbas S. Gertrudis Lovanij, Giſlenus Timmerman, Abbas S. Petri Gandavi, Mattheus Abbas S. Giſleni, electus Epiſcopus Atrebatenſis. D. Ioannes de mol Dominus in Ettingen. D. Franciſcus ab Haletoyn Dominus à Sweuegem, D. Carolus de Gaure, Dominus in Freſijn: Equites, Elbertus Leonius Doctor & Profeſſor vtriusq; Iuris Lovanij. M. Petrus à Beure, & Quintinus du Praets. Erant hi nomine Ordinum, Prælatorum, Nobilium, Ciuitatum Brabantiæ, Flandriæ, Arteſiæ; & Hannoniæ.

Nomine autem Principis Auriaci, Equitum, Nobiliũ, Civitatumque, Hollandiæ, & Zelandiæ, Ordines harum Provinciarum repræſentantes erant; Nobilis Dominus Philippus à Marnix, Dominus S. Aldegondæ, Arnoldus à Dorp Dominus in Temſſche, VVilhelmus à Suylen à Nievelt Dominus Hierartsborge, armigeri: Adrianus van der Mijlen Doctor, Cornelius Conincx licentiatus Paulus Buys Advocatus Hollandiæ, Petrus de Reycke Prætor Vliſſingenſis, Antonius vander Sickelen Conſiliarius in Zelandia, & Andreas de Ionge Conſul Middelburgenſis.

Congregati hi vniverſi poſt multam deliberationem conſiderata accuratius Hiſpanorum crudelitate ac ſævitia, mutuum pactum, pacemque firmárunt 8 Novemb. His conditionibus quæ ſequuntur.

Primo ut offenſiones atque iniuriæ præcedentium tumultuũ occaſione illatæ perpetua oblivione ſepelirétur.

Secundo, ut omnibus in rebus, invicé auxilio eſſent, &

vnanimi conſenſu Hiſpanum aliumque externum mili-
tem tamquã Patriæ peſtẽ Provincijs arcerẽt: adhæc vt ho-
neſtas æquisq;ac tolerabiles exactiones libẽter præſtarẽt.

Tertio, concluſum ut poſt Hiſpanorum diſceſſum
quietis tranquillisque rebus utraque pars incumbat ut
generalibus Ordinibus rite convocatis quæ ad patriæ ſa-
lutem videbuntur ſtatui poſſint.

Quarto ut liceat in poſterum Belgicæ incolis utrius-
que partis, libere negotiari omni ſecuritate: ita tamen ut
nemini liceat tentare adverſus Catholicam Romanam
Religionem ejusque exercitium, propoſita perduellionis
pœna in tranſgreſſorem.

Quinto, ut interea, ne pateat cavillationis locus, omnia
edicta & conſtitutiones Albani atque aliorum adverſus
hæreſes &c. ſuſpendantur, donec aliter à generali Ordi-
num congregatione ſtatutum ſit.

Septimo, quod ad eas civitates attinet, quæ modo
Principis Auriaci gubernatione ſubjectæ non ſunt
ſui juris manebunt, donec plene omnibus in rebus à
Principijs ſatiſfactum ſit. Octavo nulla interim edicta
in provinciis ac civitatibus, vllius auctoritatis erunt, ni-
ſi qui ab excellentia ſua aut conſilio ac magiſtratibus
approbata ſint, abſque præiudicio tamen futuris tempo-
ribus magni conſilij Maieſtatis ſuæ.

Nono. Demittantur captivi ratione præcedentium
tumultuum apprehenſi, ut Comes de Boſſu &c. ſine li-
tri ullius perſolutione, exceptis ijs, qui iam ante ſolve-
runt: ſumtus tamen quos in carcere fecerint præſtabunt.

Decimo. Statutum præterea ut Princeps Auriacus alij-
que Domini, Equites, Nobiles, & reliqui vniverſi cu-
juscunque ſtatus aut conditionis, in bonorum ſuorum
poſſeſſionem reſtituantur. Reſciſſa itaque omnia quæ
tumultuum tempore ſtatuta erant, tam propter re-
ligionem, quam rebellionem adverſus Regem.

Vndecimo. Fruetur hoc quoque beneficio Illuſtriſſi-
ma Princeps, Coniunx Illuſtriſſimi Electoris ad Rhe-
num, olim vidua Domini de Brederode, quoad vrbem
Vianam

Vianam, aliaque bona ſua.

Duodecimo. *Similiter* quoque Comes à Buyren, deductis præſidiis, in ditionis ſuæ plenam poſſeſſionem reſtituetur.

Decimotertio. Poſternentur quæcunq; Albanus trophæa fixit, columnæ quoque, inſcriptiones &c.

Decimo quarto. Fruentur hi Domini reditibus ſuis, qui temporibus hiſce ſoluti non ſunt.

Decimo quinto ut omnes donationes inter vivos, vel mortis cauſſâ exhæredationes quoque ac diſpoſitiones factæ à privatis, quibus veri hæredes tumultuum aut Religionis cauſſa fraudati ſunt, reſcindantur.

Decimo ſexto. Pacti huius beneficio non fouentur Provinciæ ac civitates adverſæ, donec ſeſe cum hac cófæderatione conjunxerint.

Hoc modo ictum fædus Gandavi, in curia 8 Novemb. *1576.*

Subſcripſit quoque fœderi huic Regia Maieſtas poſtquam ab Epiſcopis, Abbatibus, alijsque Eccleſiaſticis Lovanienſis quoque, vniverſitatis doctoribus edoctus eſſet nil Catholicæ religioni eſſe derogatum, nec Regiæ quoque autoritati atque obedientiæ.

Æternum firmumque fædus appellatum hoc pactum verum ſecus res ipſa oſtendit.

Groeningæ legionis Hiſpanicæ Præfectus Gaſpar de Roble cum militibus ſuis, poteſtatis ſuæ facere civitatem, Friſiamque vniverſam attentavit.

Dum hæc agitat animo Groeningam advenit miſſus Generalibus Ordinibus Franciſcus Martini, vir bello iuxta ac pace egregius, ut ad ſtandum Gaudenſi parte milites induceret. Quo adverſo Roble captum eum quæſtioni ſubiecit, additis propria manu vulneribus.

Vltraiecti erat in arce Vredenburgenſi cum præſidiais Franciſcus Bernardinus d'Avila ad civium terrorem. Irruere quodam tempore ex arce Hiſpani, nonnullisque civium occiſis domos etiam incenderunt: quare providendum ſibi rati cives ne quid reſpub. detrimenti acci-

peret ſeſe adverſus arcem muniere, eamque obſidentes Duce Comite Boſſu 23 Februarij 1576 deditione acceperunt.

Eo ipſo die quo Hiſpanorum Antwerpiæ furor bacchabatur advenerat Luxemburgum miſſus à Rege Belgicarum Gubernator Ioannes ab Auſtria. Scripſit confeſtim ad Ordines & Conſilia Bruxellam, oſtendens diſplicere ſibi, quæ hactenus adverſa illata Provincijs, ne carituros merita caſtigatione autores, modo in Regis obedientia, & Catholica Romana Religione perſiſterent ſin ſecus, armatum ſe quoque ad bellum rebellibus inferendum.

Hiſpaniarum Rex & Ioannes Auſtriacus advertentes non poſſe rebus ita conſtitutis facile cogi Belgas, de pace egerunt mediatore Rudolpho, recens electo Cæſare, alijsque imperij Principibus.

Duodecimo Februarij Anno 1575, ſancitum rurſum fœdus, & decimo ſeptimo eiuſdem Antwerpiæ atque Bruxellæ promulgatum eſt: vocabatur autem æternum edictum.

Comprehendebatur omnium inprimis delictorum venia ac remiſſio.

2. Vt univerſi Hiſpani, aliarumque nationum milites è Belgica diſcederent, ante viginti dies elapſos; neque redire eoſdem, nec ſubmitti alios liceret, niſi externum bellum ingrueret.

3. Vt privilegia immunitatesque ac conſuetudines Belgicæ ſartæ tectæ ſervarentur.

Hoc icto fœdere æternam pacem provinciæ ſperabāt abiere enim Hiſpani omnes Antwerpia, Liera, alijsque locis, & Dux Arſchotanus 10 Martij Antwerpianam arcem ingreſſus eſt.

Confirmatum à Rege hoc pactum collaborante Auſtriaco.

Gen



Genitore clarus Cæſare; aſt inſignior
Victoria, æquum ſuſtuli cælo caput,
Victo hoſte Turca. Belgicæ dantem iuga
Mortalium avidum peſtis abſtulit malum.

ICto hoc fœdere, confirmatoque à Rege, poſt Hiſpanorum diſceſſum, Auſtriacus Lovanium profectus eſt; quo cum præcipua Patriæ nobilitas, ad ſalutandum eum conveniſſet, iiſdem comitantibus Kal. Maij 1577 ingenti triumpho, medius inter legatum Pontificis, & Leodienſem Epiſcopum Bruxellam invectus eſt, exceptusque à civibus ingenti gratulatione ac oſtenſione voluptatis.

4 Maij generalis gubernator acceptus declaratusque eſt, tantis cæremonijs quaſi naturalis Princeps ad Patriæ ſalutem de cælo demiſſus eſſet.

Vivebat tum Præſes Viglius, qui ingredientem Auſtriacum intuitus, deridens; hiccine inquit Princeps, qui pacem adducet? Obijt is quinque aut ſex interpoſitis diebus 8 Maij ætatis annum agens 70, ingentis animi, ac prudentiæ vir.

Dimiſerat quidem Hiſpanos Auſtriacus, adeo tamen firmatis prius rebus ſuis, munitisque valido præſidio limitibus, vt facillime eos reducendi facultas eſſet.

Miſit hoc tempore litteras ad Regem, Eſcovedo Hiſpanus, Auſtriaco à ſecretis, docens eum ad hunc ſtatum res belgicæ eſſe delapſas, ut non niſi ſeveriſſimis remedijs medicina adhiberi poſſet.

Interceptæ à Navarro Rege hæ litteræ, miſſæque ad Principem Auriacũ, quod ut à Gubernatore intellectum, protulit ea quæ hactenus celârat, ratus nunc demum tempus eſſe accingendi ſe ad executionem eorum, quæ deſtinaverat.

Non exuit tamen omnem omnino diſſimulationem: verum cum curaturum ſeſe ut Germanici milites Belgicâ excederent ſanctè pollicitus eſſet, non modo promiſſis non ſtetit, ſed novo eos ſibi ſacramento adverſus Ordines adegit, præcipiens ut civitates quas præſidio occupabant, ſibi ſervarent, ut Bergam Adzomam, Bredam, Silvamducis, &c. Induxit præterea Comitem Barlaymontium cum quatuor VValonum legionibus ut ſibi adhærerent. Cepit Charlemontium, Lutzenburgum, Namurcum

cum, Marienburgum,aliaque loca : Montes in Hannonia, Antwerpiam Bruxellamque fruſtra tentavit.

Hoc adverſo Ordines eiectis Germanicis Antwerpiâ, Lieram, VVouwam, Bergam ad Zomam, Steenbergam, Silvamducis, Bredamque ſuæ poteſtatis fecere, captis Fockero, Fronsbergio, alijsque Germanicarum legionum præfectis, qui adverſum ſe cum Auſtriaco conſpirârant.

Miſſis ad Regem litteris graviter de Auſtriaco conqueſti ſunt Ordines, earumque exemplar quoque ad ipſum miſerunt: quibus lectis Auſtriacus rerum ſuarum ſtatum attendens, veritusque ne Namurci opprimeretur, de pace agere cepit, datis decimo tertio Auguſti 1577 ad Ordines litteris, quibus oſtendebat placere ſibi, (ſi ipſe minus gratus eſſet Ordinibus) alium à Rege poſtulari modo interim utrimque arma ceſſarent. Sed cum agi cœptum, eas propoſuit conditiones, quibus omnino conſtabat Ordines non acquieturos: inter alias ut liceret ſibi punire eos qui quidquam adverſus Religionem patrarent: ut traderentur ſibi qui interceperant ſuas ad Regem litteras: præterea ut Dominus S. Aldegondæ, & Theron atque alij Bruxella exſularent: ut Hollandiæ Zelandiæque ordines reformatæ Religionis exercitia interdicerent, item ut Princeps Auriacus à muniendis varijs locis abſtineret, imo ut excitatas Steenbergæ atque alibi munitiones deſtrueret; ut templa ac monaſteria in eum ſtatum, in quo pacti Gandenſis tempore fuerant reſtitueret, ut bellicas naves Antwerpia amoveret, ut Neoportam oppidum in Auſtriaci poteſtatem daret : denique ut arx Antwerpienſis Regi traderetur, liceretque ei quale viſum eſſet præſidium imponere.

Revocati interim ab Auſtriaco qui Belgica exceſſerāt Hiſpani. Quare Ordines cum cernerent, non niſi dilationem ad colligendum militem quæri, certos ad Auſtriacum articulos miſere, nolentes antequam eis ſatisfactū eſſet de fœdere ullo tractari, affirmantes gratum ſibi fore diſceſſum Auſtriaci, diſcederet modo quam primum relicta Ordinibus gubernatione.

Deſtinavit quoque Nobilem virum ad Majeſtatem ſuam Angliæ Regina, qui conſpirationis cum captiva Scotiæ Regina Auſtriacum accuſaret. Relicto forti præſidio, Namurco Luxemburgum profectus, ſeſe ad bellum parabat Auſtriacus. Brabanti interim Auraicum ſibi Gubernatorem delegerunt: ac non ita multo poſt, ſeptimo videlicet Decembris à Generalibus Ordinibus ruptor fœderis Auſtriacus, & Provinciarum hoſtis declaratus eſt, & decimo octavo eiuſdem, Mathias Archidux Auſtriæ generali Ordinum conſenſu belgicarum Provinciarum Gubernator electus, addito Vicario Auraico Principe.

Declaratus iam hoſtis Auſtriacus, toto conatu animi ac virium ad oppugnandos Ordines incubuit, eorumq; exercitum apud Gemblacum prælio fudit pridie Kal. Februarij 1578. proſecutusque victoriam Oppida nonnulla, partim vi, partim deditione in poteſtatem accepit: inter alia Sichenem, vbi atrox crudelitas eius apparuit. Obſedit præterea Nivellam, quam poſt crebras oppugnationes coëgit ad deditionem, promittens Domino de Villers Gubernatori, permiſſurum ut præcincti gladio ac pugione milites, vectique equis Centuriones ac Duces egrederetur: verum ſitiens cruoris hoſtis, ſævitiam ſuam in vulneratos milites, qui in egrediendo tardiores fuerant oſtendit.

Hoc ſtatu rerum in belgica vicini Principes adlaborârunt, ut tandem aliquando ſopitis motibus certa pax conſtitueretur: qua fini Imperator, Galliæ Rex, Angliæque Regina legatos ſuos in Belgicam miſerunt: ſed nihil effectum.

Aucto iam exercitu ſuo Auſtriacus Belgicarum perfectam ſubiectionem animo præceperat, cum ſubito inexpectata morte correptus interijt ante Namurcum, atque inde in Hiſpaniam vectum eius cadaver. Geſtabat in vexillis ſuis crucis inſigne, addita inſcriptione, in hoc ſigno vici Mahometanos, Hœreticos quoque ſuperabo; ſed Deo aliter viſum.

Ille



Ille ego Parmenſis, Romano nobilis ortu,
Magnus Alexander, quem pertimuere cohortes
Belgiadum, ſævas rapientem in bella catervas.
Interÿ tandem funeſta tabe pereſus.

Alexandri Principis Parmenſis gubernatio.

ALexander Farneſius Parmæ, ac Placentiæ Dux filius Margaretæ Auſtriacæ, quæ Albanum in gubernatione præceſſerat, Auſtriaco ſucceſſit primo Octob. 1578.

Novem omnino menſes cum Auſtriaco verſatus fuerat Alexander, antequam belgicæ præficeretur: Ipſe profectos Belgicæ Hiſpanos rurſum induxerat. Hic vir erat, qui ſi quis alius Provincijs frænum injiceret, callidus ac diſſimulator, quo plus exiguo tempore, quam præceſſores ſui longa ſeveritate, profecit.

Ipſo ſtatim gubernationis initio ſic res ſuas inſtituit, ut factà inter Provincias ſciſſione, Arteſia atque Hannonia, Inſulæ quoque, Duacum &c. ab Ordinibus ad Regem deficerent.

Commoti hac ſciſſione Ordines ad firmandum aliarum Provinciarum ſtatum incubuere, arctiori eas inter ſe fœdere colligantes, à quo tempore unitæ Provinciæ dictæ ſunt.

Vt oſtenderent Ordines quantis animis ad propulſandum hoſtium furorem parati eſſent, numiſma cuderunt impreſſâ ab vno latere effigie corporum Egmondani & Hornenſis, fixis in palo capitibus; ab altero duorum equitum, totidemque peditum inter ſe præliantium, cum hac inſcriptione.

Præſtat pugnare pro patria, quam ſimulata pace decipi.

Quamquam nihil non curæ ac ſollicitudinis adhiberetur ab Ordinibus, effectum tamen à Parmenſi, ut diverſæ civitates in Brabantia, Geldria, Flandria & Vltraiectenſi diœceſi deſciſcentes pactum recuſarent.

Anno 1579 rurſum de pace agi cæptum. Convenere Coloniam ad hunc finem Pontificis, Imperatoris, Regis Hiſpaniæ, & Generalium Belgicæ Ordinum legati, Tantum

tum vero abfuit, ut pax firmaretur, quin potius novæ ſciſſionis data Occaſio, ut Mechlinia quoque ac Silvaducis, aliæque plures à Provinciarum pactu diſcederent.

Advertens Hiſpaniarum Rex Principem Auriacum rerum ſuarum ſucceſſum imprimis morari, omnibus modis tollere eum è medio laboravit, nulli parcens pecuniæ ad ſubmittendos percuſſores. Anno 1582 Antwerpienſi Mercatori natione Hiſpano Gaſpari de Anaſtro octoginta ducatorum millia ſpopondit, commendamque unam S. Iacobi, ſi Auriacum interfeciſſet. Ipſe non audens Anaſtro, ſcribam ſuum Iſauregniinduxit, viginti-trium annorum adoleſcentem: qui poſtquam cum confeſſario Iacobo Timmerman contuliſſet laudatus ab eo confirmatusque in propoſito eſt, eo quod divini honoris Catholicæque Eccleſiæ Zelo ſuſceptum eſſet.

18 Martij armatus Iauregni arcem Antwerpianam, in qua Princeps commorabatur ingreſſus, poſt meridiem cum Proceribus deambulantem, ſclopeto ſub dextra aure per ſiniſtram malam traiecit: palatú globus tranſierat, percuſſum tribus aut quatuor ictibus à proceribus Hiſpanum Satellites interemere.

Quatuor in partes diſſectus hic latro, una cum altero ſcriba Anaſtri Antonio Venero, & confeſſario Antonio Timmermans, fixaque in mœnibus arcis capita parteſque corporis.

Haud ita multo poſt vigeſimo primo Iulii anno 1582 ſubmiſſi alij à Rege Hiſpaniarum per Parmenſem Principem percuſſores, qui non Auriacum modo; ſed Alenconium etiam Brugis interficerent: erant autem Nicolaus Salcedo Hiſpanus, Franciſcus Baſa Italus, & Nicolaus Hugot, dictus La Borde, GalloFlander.

Detecta conſpiratione apprehenſis aliis profugit Hugot, Italus Franciſcus Baza, ut præveniret ſupplicium mortem ſibi conſcivit. Salcedo petenti Galliæ Regi tranſmiſſus, condemnatus & à quatuor equis diſcerptus eſt vigeſimo quinto Octobris.

Anno

Anno 1583 in Martio captus Antwerpiæ Hiſpanus, Pedro Dordonio dictus, qui ſeſe ad interficiendum Auriacum ex Hiſpanijs profectum fatebatur, fueratque in Antwerpienſi ſpoliatione. Hæc atque alia faſſus in Martio ſupplicio affectus eſt. Eodem anno plexus capite ſectusque in quatuor partes, & ad furcam ſuſpenſus quidam Cornelius de Hooge, qui ſe Caroli Quinti Imperatoris ſpurium venditabat.

Anno 1584 decimo tertio Aprilis captus Vliſſingæ affectusque ſupplicio quidam Ioannes, Mercator opulentus, qui ſuppoſito pulvere tormentario Principem cum ſuis interficere cogitârat.

Non ita multo poſt Gallus Centurio è Præſidio munitionis quæ Neuſe appellatur, le Goth nomine, captus, traditusque Marchioni de Roubaix dimiſſus ab eo, & in libertatem adſertus eſt, cum ſeſe interficiendi veneno Principis noſſe modum affirmaſſet: verum is detexit facinus patriæque uſque ad mortem fidelis perſtitit.



Regi fidelis, patriæ fidelior,
Ipſam per hoſtes & per æratos ruens
Nimbos Gradivi, ferream per grandinem
Stratis Iberis dextera ſtatui mea

Principis Auriaci interfectio.

TAndem permittente Deo ſortita effectum Hiſpanorum intentio, per quendam Baltaſſarem Gerardi Burgundionem: qui anno 1584 exordiente Majo, Delphos ad Principis aulam acceſſit, viginti ſeptem circiter annorum adoleſcens, diſſimulato nomine ſe Franciſcum Guyon Veſuntionem appellans, filium Petri Guyon Lugdunenſis, qui pro Reformata Religione occubuerat. Variis autem adductis rationibus, oſtenſoque erga Reformatam religionem amore, Principis iuxta atque aulicorum animos venatus eſt.

Miſſus à Principe in Galliam, paulo poſt rediens tam ad Principem quam ad Ordines de Andegavenſis Brabantiæque Ducis morte litteras attulit; quare ad certiora intelligenda ad cubiculum ſuum etiamnum decumbens eum admitti juſſit Princeps. Hoc loco confodiſſet ipſum Baltaſſar niſi pugio defuiſſet, quemadmodũ ex confeſſione ejus poſtmodum conſtitit.

10 Iulij prandentem Principem accedens trepida voce dimiſſionem poſtulavit, turſumque egreſſus, per hortum inambulans Principis exſpectavit adventum, egredientemque onerato tribus globis ſclopeto traiecit, qui collapſus, portatusque in thalamum paulo poſt animam efflavit. Conatus profugere interfector à duobus Principis famulis detentus captusque eſt.

Examinatus à Magiſtratu faſſus eſt ſex iam ipſos annos ſe id facinus agitaſſe animo: ſed ab aliquibus, quos conſuluerat reprehenſum: tribus vero ante annis cum proſcriptum à Rege Principem intellexiſſet penitus in propoſito fuiſſe cofirmatum, adeoque non modo non pœnitere facti, verum etiam, ſi bis mille leucis diſtaret, protinus ad perpetrandum facinus adventurum. Præmiſſa rite examinatione peractoque ex more reo, pronun-

nun-

nunciata adverſus eum ſententia; ut in erecto ante curiã theatro, manus qua cædem fecerat candenti ferro avelleretur, eodemque ſex locis carnoſæ inprimis partes abſtraherentur: denique ipſe vivus in quatuor diſſectus partes, exſtracto corde & in faciem proiecto, capite truncatus pænas lueret, ſuſpenſisque in quatuor munitionibus corporis partibus, caput palo affigeretur: bonis ipſius omnibus in fiſcum redactis.

Pronunciata hæc ſententia 14 Iulij, anno 1584.

Subſignatum A. van Moer.

Egregium plane animi robur in ſupplicio oſtendit, reiecit Prædicantium admonitiones, avulſaque manu, abſque vlla ſignificatione doloris, trunco crucem formans populo benedixit, nec vnquam vſque ad extremum ſpiritum, ab ea conſtantia deflexit.

Sepultum occiſi Principis cadaver, in noua Delphenſi Æde, (in qua hodieque monumenta cernuntur,) ingenti magnificentia, hoc ordine qui ſequitur.

Præcedebant Delphenſes cives armati, lugentium habitu, ſequebantur tubicines, tecti puella veſte octo equi excipiebant, poſt ſingulos inſignia, ſuam quæq; ditionem exhibentia geſtabantur qualia ipſis etiam equis appenſa erant. Primum equus, N. D. Gerardus à Schoten, cum D. Paulo VVits ducebat; geſtabat inſigne Bredam repræſentans, N. D. Philippus de Grutere Dominus in Diricxlandt. Secundus à N. D. vander Delft, & D. N. de Roubles ducebatur; inſigne Marchionatus vander Vere & Vliſſingæ, ferebat N. D. Iohannes ab Egmondt. Tertius à N. D. N. van Spranger & D. Ioanne à Doeſtium. Inſigne Chalonienſe N. D. Roſue portabat. Quartus à N. D. Florentio Serclays, & D. Petro à Roon Dieſtenſe inſigne, à N. D. Gaſpare à Poelgeeſt geſtabatur. Quintum equum D. Iacobus ab Almonde, & D. N. à Raephorſt ducebant; Inſigne Vianenſe D. Gerardus ab Aa ferebat. Sextum N. D. Cornelius à VVijngaerden, & D. vander Linden; Cattimelibocenſe inſigne

geſta-

geſtabat N. D. Lancelottus. Septimum N. D. *Philippus* ab Aa & D. Hermannus ab VVtenhorſt, inſigne Naſſovienſe N. D. Cornelius à Sweden geſtabat. Octavum denique N. D. Ioannes Bacx, & N. D. Theodorus à Duvenvoorde; Auraice inſigne à Domino Marquette gerebatur. Erant induti omnes veſte Lugubri, pallioque ad talos uſque demiſſo. Sequebantur: N N. D D. Gulielmus à Maulde, Dominus à Manſart, Dominus à Ryhoven, Dominus à Ioannes, à Naeltwijck inſignia Principis Symbolaque portantes. Poſt hos Dominus à Peterſs. à Deure, N. D. VVenceſlaus à Botſelaer, & Ioannes ab Aſſendelft. Nobilisque Dominus à Craelingen inſignia, Naſſovienſe, Stolburgenſe Haſſicum, & Coninxſteynium. D. Iacobus ab Egmondt; Dominus in Kenenburgh, cum coloribus ſuis arma geſtabat. Galeam ferebat N. D. à Botſelaer, gladium N. D. Duyts corporis cuſtodum Præfectus, ſagum VVolfardus à Brederode Equus deinde Principis nigro holozerico uſque ad terram tectus à N. N. D. D. Brecht & Malderede ducebatur: excipiebat Comes ab Overſteyn nudus ferens gladiũ, & Baro à Creauge aureã coronã. Sequebanrur tres aule Magiſtri D. ab Aa, ab Oudenfort, & à Viery baculos præferentes. Pone ſequebatur Saudapila, cui corpus impoſitũ appenſis inſignibus, duodecim viri portabãt: cingebãt Ioannes à Burgunia, D. à Froymont: D. VValravius, D. à Brederode, D. à Merode, Dominusq; à Soeterwoude Poſt funus Mauritius Comes à Naſſau Principis filius, pallio uſque ad terram demiſſo: dextrum latus Colonienſis Elector Trucſeſius, ſiniſtrum Comes ab Hohenloo claudebant. Comes VVilhelmus Ludovicus à Naſſauw, & Comes Philippus à Naſſauw ſoli ſequebantur: Comes à Solms lugentium claudebat agmen, quem pone ſequebantur Præpotentes DD. Ordines Generales, conſilia Ordinesq. Provinciales, Præſides Secretarij, &c. Prætor Conſules omnesque Magiſtratus Delphenſis: Denique Predicantes, Centuriones, alijque militum præfecti. Incondita plebis multitudo agmen claudebat.

Intelligens Hiſpaniarum Rex ceeidiſſe Auriacum, jam proſtratos eſſe adverſarios, omnique deſtitutos præſidio arbitrabatur: Verum falli eum opinione ſua docuit Illuſtriſſimus Princeps, MAVRITIVS à Naſſauw, qui non modo æquavit, verum etiam excelluit Patriam virtutem, oſtendens eſſe Hiſpanos, Hombres como los otros, vincique docens qui hactenus victores extiterant.

Fatendum equidem omnium qui Belgicam rexere Gubernatorum excellentiſſimum extitiſſe Parmenſem Principem, recteque magnum futurum fuiſſe Alexandrum, niſi innata Italis infida calliditate, crudelitateque ac ſævitia clariſſimo nomini ſuo tenebras offudiſſet. Prima victoria eius, Trajecti ad Moſam fuit occupatio anno 1579, vbi laxatis militi ſuo frænis nimiam profecto, indignamque tanto Principe ſævitiam exercuit.

Anno 1586 Noveſium ſitum ad Rhenum antiquæ nobilitatis, bellicæque virtutis oppidum occupavit; in quo non modo cives, militesque vniverſos verum etiam Eccleſiaſtem Foſſerum Oppenheym, cum Gubernatore Cloet, qui graviter vulneratus decumbebat, ex feneſtris ſuſpendit, offenſus quod ſeſe de pace agere volentem è muris tormento petijſſent.

Sed ut redeamus ad Belgicæ noſtræ res, advertendum hoc loco, fictam pacem, cujus prætextu, Angliæ Reginam Daniæque Regem in fraudem inducere tentabat Parmēſis, apparuiſſe Hiſpanicæ claſſis adventu, interim cum de pace ageretur; ſed cum ſubito Caurus exſurgeret, *questo vento fara la pace*, inquit Parmenſis. Quid hac voce callidus diſſimulator voluerit nemini dubium eſſe poteſt.

Ipſo ſtatim Gubernationis exordio Princeps Mauritius adeo acrem ſe patriæ propugnatorem, perſecutorēque hoſtium præbuit, ut ſubmiſſis iterum percuſſoribus, è medio tollere hunc Patriæ clypeum tentârint Hiſpani. Inter alios Michael quidam Renichon Namurcenſis veſte militari indutus Bruxellâ ad confœderatas Provincias ſe contulit, deprehenſoque facinore

libere faſſus eſt, plurimos alios ad interficiendum Principem, Comitemque Henricum Fredericum fratrem eius natu minorem, eſſe ſubmiſſos. Affectus eſt ſupplicio hic Renichon in menſe Iunio Anno 1594 Hagæ Comitis, poſtquam faſſus eſſet ſe à Barlaymontio Comite eſſe conductum, ut Excellentiam ſuam principem Mauritiũ perimeret, Dominum quoque ab Oldenbarnevelt, Leoninum Geldriæ Cancellarium, & Dominum S. Aldegondæ, accepiſſeque ducentos Philippeos, paratosque præterea 15000 aureos pro eo qui factum perpetraret. Deſerta Catholica Religione, in Reformata mortem obijt.



Me Cardinalem, Epiſcopum, Belli ducem,
Caſtum, Maritum, & quidquid horum denique,
Intuitus orbis. Sacra nummorum fames,
Animusque ſæuus gloriam macula inficit.

GVBERNATIO.

CARDINALIS ALBERTI

Archiducis Auſtriæ.

POſtquam Archiduce Erneſto hac vita defun-
cto Comes de Fuentes Hiſpanus Belgicæ res
aliquanto tempore tanquam Vice Gubernato
tractaſſet, ſucceſſit Cardinalis Albertus Archi-
dux Auſtriæ, Cæſaris Rudolphi frater natu
minor: quia autẽ Germanici ſanguinis erat Princeps, fa-
maque ferebatur eum tum in aula Hiſpanica, tũ in Luſi-
taniæ Gubernatione ſuaviter clementerque egiſſe, gratus
fuit plurimis eius in Belgicam adventus. Vt autem tanto
ſe redderet acceptiorem, impetravit à Rege, ut Philippus
de Naſſauw Princeps Auriacus reddita libertate in Bel-
gicam ſecum deſcenderet, qui viginti ſeptem annos &
amplius, captivus in Hiſpania degerat.

Verum concepta de benignitate eius ſpes cito feſel-
lit: primo enim exordio gubernationis ſuæ antiquorum
de inquiſitione edictorũ ſeveritatem cœpit exercere, cu-
ius clariſſimum exemplum ſpecimenque edidit menſe
Iulio 1597, cum juvenculam virginem Annam vandet
Hove, quæ ob Reformatam Religionem diu Bruxella
fuerat in vinculis, vivam defodi in terram juſſit; quanqu
lamentabili voce miſericordiam imploraret.

Eodem hoc tempore in Flandria alijſque locis pluri-
mi propter reformatam Religionem affecti ſupplicio.

Fertur quoque ad procurandam invictiſſimi Principi
Mauritij necem eſſe progreſſus Albertus. Vigeſimo
ſeptimo enim May Anno 1598 captus Lugduni Ba-
tavorum quidam, qui ſe ad interficiendum Principem
conductum faſſus, plexus capite & in quatuor partes
diſſectus eſt.

Fui

Fuit quoque Oſtendæ in Flandria quidam qui ſimi-
ia agitabat.

Media hac tempeſtate conſtitutis hoc modo in Belgi-
a rebus Philippus ſecundus Hiſpaniarum Rex anno
598 decimo tertio Septemb. ex hac vita diſceſſit. De
uius morte juvat referre ea quæ in oratione quadam
n laudem ipſius compoſita, à Magiſtro Ioanne Bou-
hier continentur.

Non erat in corpore eius locus abſque dolore ac vul-
eribus, humeris tantum exceptis, movere ſe non pote-
it. A planta pedis uſque ad humeros fiſtulis erat reple-
is: duo dextræ manus digiti perpetuo pure manabant.
ntegrum annum hic tenuit cruciatus. Sex ipſis annis
aralyſi afflictus iacuit. Acceſſit Ethica febris, ac tertiana
iſuper, quæ duorum annorum ſpatio nobiliſſimas cor-
oris partes emedullatas exſiccavit. Laboravit præterea
yſenteria quæ corrupto ſtomacho ingentem ſitim ex-
itavit, ut ſedari ullo modo non poſſet. Vertiginem in-
entesq; dolores caput patiebatur, oculi præſertim, ple-
um acutis humoribus corpus horribili dolore iactaba
ir, qui cum nullis medicamentis abigi poſſent, aperto
d eos educendos corpore, ingens quotidie pediculorum
opia, & peſtilens pus effluxit, tanto fætore, vt præſentiā
us nemo ſuſtineret. Caſtigata hoc modo à Divino nu-
iine ſævi Regis crudelitas ad aliorum exemplum.

Jmmanis crudelitas,

Quam in VVeſtphalia Clivenſique patria Moderante Hiſpanias

PHILIPPO TERTIO

Arragoniæ Admirantius Regij exercitus Jmperator exercuit.



Tertius obtinui Regnorum ſcepta Philippus
Diuitiis ac Marte potens, mihi decolor Indus
Et tumidus mihi paret Iber, mihi perfidus hoſtis
Seruit, & indomiti ſubmittunt colla Sicambri.



Haud minor Albani noſtra ſavitia mentis,
Iuliadum inſontes populi hanc, & Weſtphala tellus
Et clivi ſenſere viri: ſed criminis atri
Fama perennabit, vulgi & ferar improbus ore

Jmmanis crudelitas.

Quam in VVeſtphalia Clivenſique patria Moderante Hiſpanias

PHILIPPO TERTIO

Arragoniæ Admirantius Regij exercitus Imperator exercuit.

POſtquam Archidux Albertus Belgicæ Gubernator circa medium Septembrem cum Proceribus Bruxella diſceſſiſſet, ſparſa fama Pragã ſeſe in Bohemiam, tendere vt Cæſaris Maximiliani fratris filiam in Hiſpanias duceret, futuram novo Regi Philippo tertio ſponſam; præterea vt cũ infante Hiſpaniarum Iſabella Clara eugenia matrimonium celebraret; quanquam pulchris promiſſis tam Iuliæ Ducem, quam Dominos, confæderatarum Provinciarum Ordines oneraſſet, nihilominus tamen Francifcus de Mendoza Arragoniæ Admirantius, Marchio de Guadeleſca Regij exercitus imperator, cum triginta circiter virorum millibus, in Iuliacenſem, Clivenſemque Patriam, VVeſtphaliam quoque, expeditionem paravit, ut tutoris quaſi prætextu Dominum earum ſe faceret; propterea quod amente Principe, Gubernationis defectu peſſum ire putarentur.

Ad huius propoſiti executionem per Iuliacenſem ditionem in Clivenſem profectus, bellicam imprimis navem, quæ ab Ordinibus ad tuendum Rhenum collocata erat, violenter Rinsbergam adduxit; deinde Orſoyam Clivenſis Patriæ oppidum acceſſit, rogans ut ad tranſeundum Rhenum in urbem admitteretur, verum cum Clivenſis Satrapa D. de Horſt, alijque obſiſterent, accepta ſecuri Admirantius portæ ictum infligens ſignum ſuis

dedit,ſecutique confeſtim milites iam ſcandebant muros,cum portas ſuas patefecere Orſoyenſes,ut Admirantius tranſiret.

Orſoyam ingreditur Admirantius.

Cum huc adveniſſet Admirantius munire cæpit confeſtim ſumma cum diligentia,juſſitque tranſire Rhenum legionem Comitis de Buſquoy,aliasque tres Hiſpanicas, cum duodecem equitum turmis. Excitavit quoque munitionem in VValſom,è Regione Orſoy plurimis arboribus ad roborandum deciſis.

Domum ſeu arcem Orſoyanam in qua militum aliquot præſidium erat adgreſſus, deditionem poſtulavit,adducto ſecum Monacho Capuccino, & Carnifice,qui laqueos manu geſtabat, quibus ſuſpendedi eſſent niſi dederent Terrore perculſi præſidiarij Admirantio ſe perviſere, qui inde ad alias civitates ac loca invadenda ſuosdimiſit.

Exiſtens Orſoyæ Admirantius coniunctis lembis Rhenum ponte ſtravit, qui Septéb. tem peſtate avulſus, rerum omnium in exercitum adduxitinopiam:unde plurimi militum eius diffugere inter alios uno tempore 500 Hiſpani, directo ad Moſellam itinere. Miſit equitem Admirantius,qui vi reduceret fugitivos, quibus ipſi opponentes ſeſe repugnantesque dimiſſi ſunt.

Poſtea Aldenium occupavit Admirantius,quanquam neutri parti faveret: miſit quoque 400 Swollam equos, ad devaſtandam, agendasque prædas,qui ſpoliis onuſti in caſtra rediere.

Maximam deinde exercitus ſui partem ad alteram Rheni partem traduxit, indeque in Montenſere Ducatum profectus 6 Octob. ante arcem de Broucke dictam, Domini Vdalrici à Daun Comitis à Valckenſteyn, & Domini ab Overſteyn venit.

Gravi in hunc Comitem ac vetere odio flagrabant Hiſpani, quod Reformatam Religionem patriamque ſuam adverſus ipſorum furorem egregie ſemper propugnaſſet,quapropter ipſi Princeps militum manum aliquam ad defenſionem ſui miſerat.

Petivit

Petivit ab Admirantio ſalvum conductum miſſis litteris, pro ſe, bonis, ſubditisque ſuis: ad quas Orſoyà reſpondit Admirantius, non abnuens rogata, modo ad Hiſpanicam nationem religionemque Catholicam affectum oſtenderet, litterisque ſuis eum ad id inducere conabatur.

Sexto Octob. certior factus eſt Comes ad occupandā violenter arcem ſuam animum Hiſpanos appuliſſe: quare eodem ipſo die circa veſperam uxorem ſuam cum comitatu eius: ad ſecuriorem locum tranſtulit, inſequenti die reliqua curribus avecturus.

Septimo tamen Octob. Hiſpanicus Centurio Ferdinandus Lopes natus Antwerpiæ Carpenſis Gubernator ante dictam Broucanam arcem veniens poſtulavit imprimis, ut præſidiariorum aliqui, aut punirentur, aut ſibi traderentur.

Eodem die dedi arcem expoſcit, quatuorq; æneis tormentis, pluſquam ictibus quinquaginta muros concuſſit.

Poſtridie cum Hiſpanis compoſuit Comes ut cum militibus ſuis immuni excedere liceret: promiſerunt inſuper uſque ad tutum locum præſidium Hiſpani: verum fallentes fidem, egreſſum cepere Comitem militibus eius occiſis.

Intercedere volentem pro ſuis Comitem veſte ſpoliatum interficere parabant, niſi Hiſpanicus quidam Centurio abductum in arcem ſuam quā jam ſpoliarant captivum ſtatuiſſet cuſtodibus appoſitis.

Sex circiter ſclopetarij fidei Hiſpanicæ diffiſi abſcondentes ſeſe, dum primus baccharetur furor, poſtmodum evaſere.

Scripſit interea alteras ad Admirantium litteras Comes, purgans ſeſe de ijs quæ ſibi ab Admirantio erant obiecta, queſtusque de Hiſpanorum crudelitate ac perfidia.

Nihil

Senior Comes à
VALCKENSTEYN
&
BROVCK.

Nihil tamen obſtantibus excuſatione ac purgationibus tandem interfectus eſt Comes, quemadmodum famuli eius Gerardi Heuſgon, qui interfuit, teſtimonio conſtat. Hac autem ratione ac modo interfectionē eius contigiſſe memorabat, inambulantem poſt meridiē Comitem à binis è præſidio militibus eſſe interfectum, poſt quam in Domo ſua cū Iudice & ærarijs ſuis prandiſſet.

Paulo antequam hæc Comitis Overſteynij cædes patraretur, Santenſe in Clivenſi Patria oppidum occupatum ab Hiſpanis, ſpoliatumque eſt.

Vndecimo Octobris militem ad Burich oppidum in Clivenſi ducatu miſit Admirantius.

Poſtulanti deditionem reſponſum à civibus ſe tanquam neutri parti adhærentes in pace relinquendos : verū incenſa ſub veſperā ab Hiſpanis porta, terrore perculſi cives, corporibus rebusq; ſervatis, dedidere ſeſe. Grande eis graveque præſidium ab Admirantio impoſitum. Eadem hac tempeſtate occupata quoque Clivenſia oppida Dinſlake & Holt, perruptisque limitibus ac munimentis

nimentis Hiſpani, interfectis præſidijs ſecundo Marte propius ad VVeſaliam acceſſere, ſed accepta à civibus ingenti pecuniæ ſumma, milleque frumenti modijs, ad Iſelam fluviũ profecti ſunt, verũ cum adiutus imbribus vehementer excreviſſet, ſumma vi ac mole agentem vndas tranſire trepidantes, Embricam verſus flexerunt iter, relictoq; ibi Germanico præſidio Duetecum Oppidum, ac deinde Anhalt, Schulenbergam, aliaque plurima occuparunt, ſpoliaruntque loca, quæ omnia referre longum.

Trigeſimo Octobris, cum tribus æneis tormentis milites aliquot Reſam miſit, poſtulavitque ut ad tempus aliquod civitas ſibi ad imponendum præſidium permitteretur: verum abnuentibus civibus, alia quatuor tormenta advehi curavit: quibus adeo terrore complevit Oppidanos, ut nulla interpoſita mora ſeſe dediderint. Octo vexilla præſidio impoſita.

11 Novemb. in Imperiali civitate Dortmunda celebrata comitia, deputatorum Principum ac Dominorum VVeſtphaliæ; quorum ſupremus Comes vander Lippe, auditisque generalibus totius patriæ querelis concluſum vt tam ad Cæſarẽ quam Admirantiũ ſcriberent, ad Cardinalem quoque Andream ab Auſtria Conſtantienſem Epiſcopum, Belgicarumque pro tempore præſidem. Statutum prætetea ut ijdem ipſi deputati Coloniam in Ianuario rurſum convenirent.

23. Novemb. ad vrbem Dorſtum Regij bellici apparatus Magiſter, Franciſcus de Velaſco acceſſit, oblatisque Magiſtratui ab Admirantio litteris aperiri civitatem poſtulavit: qui lectis litteris reſpondere haud decere ſeſe absque Principis auctoritate quenquam accipere; ad ultimum quatuor dierum poſtularũt inducias, ſed confeſtim vrbs oppugnari cæpta.

Cum nil proficí precibus ſuis cives adverterent, arma defenſioneq. pararũt: ſed valide quatientibus mænia, oppugnantibusq. vrbẽ ſine intermiſſione Hiſpanis, cum nihil quidquã alicunde ſperaretur auxilij dedidere vrbem. Parati iam in Reckelhincuſana munitione Hiſpani,

Dorſ-

Dortmondam profecti ſunt,pandi mille equitibus vrbē poſtulantes,ſed repulſam paſſi ab Oppidanis,qui ſeſe ad arma accinxerant,diſceſſere.

Plurimæ ab eis captæ civitates, crudeliſſiméque vexati cives.

Decimo Decembris ſcripſit ad Paderbornenſem Epiſcopum litteras Admirantius, hoſtilium minarū pleniſſimas,niſi Lutheranos Prædicantes ditione ſua expelleret. Inclinato iam Decembri,ac pæne præcipiti, Calcar, iam Gochemium,& Chennep ciuitates occupauit,Eſſendiam præterea,Hattingem, & Lennep, in Montenſi Ducatu.

Coacti quoque minis Admirantij VVeſalienſes, à Reformata Religione ſua deſciuere, Prædicantibus, Ludimagiſtriſque ſuis eiectis.

Duodecimo die Martij Princepsq;Mauritius à Naſſauw exercitū ſuum educit;deſertis HybernisHiſpani ex Montenſi Glivenſique patria proceſſere,ut Rhenum poteſtatis ſuæ facerent,liberumque in Geldriam haberent tranſitum: quare quinque in Clivenſi ditione civitates, Reſam, Calcariam, Gocchemium, & Embricam impoſitis præſidijs firmare voluerunt, Embricam Admirantius promiſſis primum,deinde 24 circiter tormentoribus ictibus tentatam deditione accepit.

Tantæ autem ſævitiæ crudelitatiſque ſuæ Hiſpani nullam omnino aliam adferre cauſam valuerunt, quā Catholicæ Religionis propagationem,ut nimirum eam in Germaniā inveherēt,in qua ab antiquis temporibus floruiſſet:verū modū exceſſitnimij furoris immanitas,cuius nōnulla lectori exēpla ponere ob oculos haud abs re erit.

I. VVeſaliæ,cives atque agricolas cōplures, ex collo ſuſpenſos, tātumq; nō ſuffocatos horas aliquotreliquere.

II. Plurimos agricolas ex manibus,ex pedibus alios, denique ex pudendis nonnullos ſuſpendere.

III. Plantas pedis quam plurimis igne torruere.

IV. In Reeckenſi pago miſeros inopesq;tres ruſticos ad lanceā, tanquā verū alligatos aprorum inſtar torruerunt. Fieri nullo modo poteſt ut quis teterrima ipſorum facta, ſtupra virginum,matronarumq;violationes enarret,


ret, aliquot exhibuiſſe exempla contenti erimus. Duelmanenſis Iudicis vxorem 7 Hiſpani coram oculis mariti ordine quiſque polluerunt.

V. Adoleſcente virgine manibus ac pedibus ad quatuor palos alligata uſque ad mortem abuſi ſunt.

V I. Honeſtam matronam Hiſpanus poſtquam violaſſet, ad fellandum adegit.

V I I. Plurimis locis, viuis mulieribus diſſecto ventre, euulſere fœtum; aliumque infantem impoſito in maternum aluum capite, matris ſanguine ſuffocarunt.

Denique adeo horrenda paſſim ſcelera deſignauere, vt ad ſingula enarranda, nulla pagina ſufficere poſſit. Sufficiunt quidem hæc tam Catholicis quam reformatis, ad agnoſcendã, deteſtãdamq. immanẽ Hiſpanorũ crudelitatem ac ſævitiã, quam tam in Catholicæ Eccleſiæ quam Reformatæ fideles, exerceri, experiẽtia conſtat, quamquã Romanæ Eccleſiæ [ſideique propugnationem ſceleribus ſuis prætexant: haud tamen abs re fuerit addere Iunioris Comitis à Valckenſteyn miſerandam necem, quẽ eadem quæ patrem Hiſpanorum crudelitas hauſit.



Profectus

Profectus in Februario ex Hollādia ad viſendum fratrem ſuum ad Brouckanam arcem, Iunior Comes à Valckenſteyn, cum exiguo equitum Comitatu, obſervatus ab Hiſpanis vetere in Patrem odio, circa VVeſaliam, trucidatiſque prius duobus eius pueris, excruciatoque ſecretario, cum ad propulſandam iniuriam arma pararet, ænea glande traiectus occubuit; neque eo contenti latrones, occiſi Comitis cadaver, etiam vltra necem ſævientes, plurimis pugionum ictibus cōfodere. Immane omninò, ſævumque vniuerſis illis Provincijs viſum hoc facinus.

Habes igitur amice lector Belgicorum tumultuum origīnem ac cauſas, atrocemque Hiſpanorum Tyrannidem ac ſævitiam, quam in miſeros Belgas tot annorum ſpatijs exercuere, vnde facile cognoſcere eſt, tanto tempore, Tamberlanos, Attilas, Nerones, Domitianos, Caligulas noſtros Hiſpanos extitiſſe. Sed Benedicta Dei bonitas, quæ Tyrannide ipſorum excuſſa, tandem aliquando nos in veram libertatem adſeruit; eò etenim deducta res eſt, vt Præpotentes DD. Generales Confæderatarum Provinciarum Ordines cum Hiſpaniarum Rege, atque Archiduce Alberto, tamquā vere liberi, Regibus Galliæ, Britanniæ, Daniæ, alijsq, Germaniæ Principibus mediatoribus, inducias pacti ſint.

Dabit Æternum Numen, Paſtor Iſrael, cuius oculi ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum, quæ ad Majeſtatis ſuæ honorem, ac gloriam, ſalutemque noſtram expedient. Amen.

APPENDIX
ſive
HISTORIA TRAGICA
de
Furoribus Gallicis
& cæde Admirallij

NARRATIO.



LVGDVNI BATAVORVM,
Apud Bartholomęum à Bilt, ad inter ſigne
pegaſi. Anno cIↃ. IↃ. cxix.

JCB

HISTORIA TRAGICA de Furoribus Gallicis.

Optandum eſſet recentium furorum memoriam, & eius carnificinæ, quæ nuper in Gallia oppidis propè omnibus admiſſa eſt, ex animis hominum deleri. Tantum enim dedecus, tantaque genti Gallicæ inuſta infamia eſt, ut pleroſque patriæ jam ſuæ pudeat, duabus fœdiſſimis maculis inquinatæ, perfidia & crudelitate, quarum utra maior fuerit, dici vix poteſt. Sed quoniam paſſim jam volitant libelli ſcripti ab aſſentatoribus aulicis & precio conductis, qui res fictas & commentitias impudentiſsimè pro veris tradunt: debere me poſteritati hanc operam exiſtimavi, ut rem quemadmodum geſta eſt, literis mandarem: quippe cuius cognoſcendæ facultatem cum ex mea ipſius calamitate, tum ex ijs, qui magnam illarum trucidationum partem ſuis oculis hauſerunt, acceperim.

Anno Chriſtianæ Salutis 1561. *quum propter multitudinem eorum, qui religionem* (*quam* Reformatam *appellant*) *amplexi fuerant, periculum eſſe videretur, ne quid in Gallia turbarum accideret* (*nam ad id tempus uſitata ſupplicia fuerant, ut qui eam religionem profiteri auderent*, bonis omnibus amiſſis regique addictis *igni cremarentur*) *procerum nobilitatiſque poſtulatu, Conventus omnium propè ordinum habitus eſt in arce regia Sangermana & Laia vulgò dicta, propè ab urbe Lutetia: quo in conventu, præſente atque auctore Rege Carolo* IX. *qui etiam nunc principatum tenet, decretum eſt*, ne cui deinceps fraudi eſſet Religionem illam *profiteri, utique cœtus & conciones, illius exercendæ cauſâ, publicè, ſed tamen in oppidorum ſuburbijs habere liceret. Ei conventui* FRANCISCVS DVX GVISIVS è LOTHARINGIS *ortus, magnus tum Aulæ Gallicæ magiſter, non interfuit: ſed ubi*

*de decreto certior factus eſt, incredibili dolore atque iracun-
diâ exarſit: paucisque poſt diebus, cum in Campaniæ oppidu-
lo Vaßeio, concio ab illius Religionis cultoribus haberetur,
ſatellitio ſtipatus, impetum in illos fecit, viroſque ac mulieres
ad numerum* ducentorum *trucidavit. Erat in Religioſo-
rum numero (nam hoc nomine deinceps propter uſitatam
linguæ Gallicæ conſuetudinem utemur) Ludouicus Borbonius
regio ſatus ſanguine, Condæus, ex villæ nomine vulgò dictus
magnoque propter Regiam agnationem auctoritatis. Itaque
quum Guiſius legem illam Regiam vehementiſsime oppugna-
ret, ac plane (quod in ipſo erat) euerteret, regnique tranquil-
litatem illa lege conſtitutam perturbaret,* GASPAR
COLLIGNIVS, *Regni Amiralius, itemque Franciſcus
Adoletus ipſius frater, pedeſtrium copiarum magiſter, cæteri-
que proceros generoſi ac nobiles Religionis illius cultores, ad
eum certatim de Guiſij importunâ audaciâ violentiâque
effrenatâ queſtum venerunt. Erat tum in procuratione
Regni propter ætatem Regis Catarina Medicea, Clementis
pontifecis fratris filia, & Regis Caroli mater, Florentiæ
(quæ ciuitas Italiæ eſt) nata. Nam etſi Gallicæ gentes in-
ſtituto, neque hæreditas, neque adminiſtratio fœminis de-
fertur: tamen propter Antony* Nauarrorum *Regis iner-
tiam, ad quem Regia præfectura pertinebat, Medicea Re-
gis mater, præter conſuetudinem, in illius præfecturæ ſocieta-
tem aſcita eſt. Ea Guiſianorum arrogantiam ac ferocita-
tem verita, principi Condæo manu ſua ſcripſit (extant literæ
& in Germanorum principum conuentu Frankfordiano,
cui Ferdinandus Imperator præerat, decem prope ab hinc
annis prolatæ ac recitatæ ſunt) vehementerque ab illo poſtu-
lavit, ne ſe in tantis anguſtijs ac difficultatibus deſereret, ſe
& matrem & liberos, id eſt, & ſe, & Regem, Regiſque fra-
tres, fidei ac pietati ſuæ commendatos exiſtimaret, ac primo
quoque tempore ſaluti communi conſuleret, ita ſe operæ ab ip-
ſo nauatæ memoriam Regis in animo infixuram, ut eam
nunquam amitteret. Paucis poſt diebus Guyſius non ignarus
quantum in Gallia Regium nomen auctoritatis habiturum
eſſe*

eſſet, nevè privatò potius, quam regio conſilio aliquid moliri videretur, ſocios conſiliorum ſuorum nactus idoneos, perficit ut Regem in ſua poteſtate haberet. Quâ re cognitâ, multiſque ſubitò exortis difficultatibus, & magnâ Gallicæ nobilitatis parte conturbatâ, Condæus de amicorum ſententiâ nonnullas ſibi urbes occupandas præſidijſque firmandas exiſtimauit, quod primi Civilis Bellici *initium fuit. Nam Condæus armorum cauſam afferebat, defenſionem edicti Regis, quo Reipub. ſalus continebatur, quodque ſinè certiſſima Gallicæ gentis pernicie, & nobilitatis interitu abrogari non poterat, propter incredibilem eorum multitudinem, qui indies ad religionis illius cultum accedebant, in quibus qui illuſtriore loco nati potentia, dignitate, & opibus præter cæteros florebant, ſupplicia & crudelitatem in illius cultores exerceri ſolitam, ſibi perferendam non putabant: ſimul quod Guiſium advenam, peregrinum, & ex Lotharingicis ſalebris in Galliam traductum tantos ſibi ſpiritus, tantumque in Galliâ dominatum ac potentiam ſumere moleſtè ferebant. Eò accedebat Reginæ matris ſingulare (uti videbatur) ſtudium in pace conſervandâ. & Guyſianorem furoribus comprimendis, qua opinione conſtat amplius viginti hominum millia unius illius Reginæ voluntatem ſpectantium, ad religioſorum ſe partes & religionis illius defenſionem aggregaſſe: quippe quæ iam tum regiæ poteſtatis vim obſederat. Factis aliquot prælijs, multiſque ultro citroque acceptis incommodis, & Guyſio interfecto, anno vertente, pax ea conditione facta eſt, ut religioſis integra religionis libertas maneret, cœtuſque & conciones illius exercendæ cauſâ certis locis habere liceret. Valuit ea pax, non omnibus tamen locis, ad annos quinque. Nam in pleriſq; oppidis ac præfecturis magiſtratus religioni Romanæ addicti (quos catholicos vulgò appellant) quibus poterant contumelijs religioſis afficiebant. Itaq; quum Ferdinandus Alvares Toleranus, Albæ Regulus, dux Albanus vulgo dictus, exercitum in Belgas, qui contra regis Hiſpani voluntatem religionem reformatam amplexi fuerant, propè à Galliæ finibus duceret, regina mater ſex Helvetiorum mil-*

lia conſcribi atque in Galliam introduci juſſit, præſidij causâ, ut ipſa loquebatur: ut exitus docuit, eo conſilio, ut Condæus, Amirallius, cæterique religioſi proceres, quibus paratæ inſidiæ fuerant, ſi eas vitarent, ſeſeque armis tueri ac bello contendere vellent, opprimi imparati poſſent. Nam aulici, per quos illæ res adminiſtrabantur, ad id tempus Gallis militibus minus confidebant. Multa autem quæ ad illius temporis rationem & renovationem belli pertinerent, ad inſtitutum noſtrum properanti neceſſario prætermittenda ſunt. Quum ad ſex menſes bellum duraſſet, pax iiſdem legibus, quas ſuperius demonſtravimus, facta eſt, ut colendæ profitendæque religionis reformatæ omnibus poteſtas fieret. Nam hæc una atque extrema conditio pacis ſemper omnibus bellis fuit: ac perpaucis poſt an diebus an menſibus, facile intellectum eſt, pacem illam doli atque inſidiarum plenam fuiſſe: pacem denique hanc non eſſe, ſed bellum atrociſſimum pacis nomine involutum. *Protinus enim urbes omnes, quas religioſi dediderant, occupatæ & præſidijs adverſariorum militum firmatæ ſunt, præter unam maritimam in Santonum finibus Rupellam, quæ Rochella vulgò nominatur. Nam oppidani circiter ducentis ab hinc annis ea conditione ſeſe in Regis fidem ac poteſtatem commiſerant, ne quos præſidiarios milites inviti recipere cogerentur. Simul Condæus & Amirallius certiores facti ſunt iterum ſibi inſidias à Tauannio, capitali homine & facinoroſo (qui nuper Mareſcalcus regni factus eſt) paratas eſſe, quas niſi maturè devitarent, propediem futurum ut ab illo circumventi atque comprehenſi, adverſariorum crudelitati dederentur. His nuncijs acceptis confeſtim Rupellam magnis itineribus contendunt, unaque conjuges parvuloſque liberos infantes ſecum deportant, quod* Tertii *acerbiſſimi & calamitoſiſſimi civilis belli initium fuit. Erat tum in aula Carolus Cardinalis Lotharingius, Guyſij ducis (quem primo bello interfectum docuimus) frater conſanguineus, unus ex omnibus vaferrimus & callidiſſimus præter cæteros habitus, ſed ingenio diro, immiti, turbulento, ut ne Romæ quidem ferendus vi-*

deretur. Hunc reformatæ religionis adverſarium acerbiſſimum atque infeſtiſſimum religioſi prædicabant. Eumque propter ingenij ſævitiam præ cæteris horrebant, civiliumque incendiorum omnium facem nominabant. Is tertij belli principio Regi perſuadet ut edictum promulget, ne quis ullam religionem præter Romanam ſive Pontificiam profiteretur: qui aliam amplecti vellet, in hoſtium numero haberetur. In illo edicto, Lutetiæ impreſſo, nominatim hæc ſententia interjecta eſt, quæ propter rei novitatem, ſimul quod regio nomini turpiſſimam perjurij ac perfidiæ maculam inurebat, in libellis poſterius editis deleta fuit; tametſi Rex compluribus edictis religionis libertatem ante id tempus permiſiſſet, tamẽ eum ſemper in animo habuiſſe unicam illam Romanam & Pontificiam toto ſuo regno retinere, retinendamque ab omnibus curare. Multis utrinq; illatis atq; acceptis detrimentis, quum hujus tertij belli exitus propter ſuperiorum annorum perfidiam difficilior videretur, regni autem ſtatus propter ciuitatis exhauſtas & infirmæ plebis ac ruſticorum hominum inopiam poſtularet ut de compoſitione ageretur: rex ad Amirallium legatos miſit, qui ei ſuis verbis nunciarent, pacis ſe & concordiæ rationem tandem aliquando certiſſimam iniſſe, ut conjuncti ambarum partium exercitus in Belgarum fines adverſus Albanum, qui recentium calamitatum auctor fuerat, ducerentur. Magnas ſe habere adverſus Hiſpanum regem offenſionum cauſas, ſed hãc imprimis quod inſulam Orbis novi Floridam, quæ a Gallis capta, præſidiarijs omnibus repentino incurſu interfectis, occupaſſet, itemque Marchionatum Finalij, cujus incolæ perexiguo ante tempore in regis ſe fidem ac poteſtatem commiſerant, firmiſſimum civilis concordiæ vinculum bellum illud externum fore, neque meliorem excogitari rationem poſſe, qua ſuperiorum diſcordiarum memoria ſempiterna oblivione deleretur. Ad eam rem conficiendam opportuniſſimum eſſe, quod Ludovicus Comes Naſſovius, principis Vranij frater, in ipſius caſtris biennium jam fuiſſet, cui ſummam rerum omnium fidem Amirallius haberet, per eum & ipſius clientes Belgas cæte-

roſque, quos ipſius partibus ſtudere intelligebat, facilè perfici poſſe, ut civitates aliquot occupari, magnaque belli gerendi facultas ſuppeditari poſſet. His rebus auditis vehementer Amirallius perturbatur. Nam & ſi de regis fide non dubitabat, tamen multa ſimul in mentem veniebant: Cardinalis & cæterorum Guiſſianorum potentia, quos omni tempore Hiſpani ſtudioſiſſimos fuiſſe conſtabat. Nam dux Guiſius Henricum filium, adoleſcentem reliquerat, cui regina mater honores omnes quos pater geſſerat, præter ætatem contraque majorum inſtituta mandarat, tum etiam regiorum conſiliariorum perfidia, quos propter Pontificiæ religionis ſtudium eidem Hiſpano regi addictiſſimos eſſe, nonnullos etiam magnis ab illo annuis beneficijs affici ſolere, regnique negotia cum illis communicari compertum habebat. His rebus fieri ut quod apud exteras gentes plane incredibile videbatur, eius Regis legatus in ſanctius Galliæ conſilium admitteretur, atque uti Biragius quidam homo Inſuber, & patriæ (ut fertur) proditor, cæterùm qui literarum omnium expers, atque imprimis Juris civilis ignarus: tamen propter calliditatem ingenij in tantum honorem poneretur, ut jam Cancellarij munus obiret, remoto ab omni adminiſtratione Michaele Hoſpitalio, quo neminem vel prudentiorem, vel doctiorem, vel patriæ amantiorem fuiſſe, inter omnes omnium ordinum homines conſtabat. Eò accedebant adverſariorum calumniæ, quibus præberi anſa videbatur, quaſi turbulentum ingenium Amirallius haberet, neque quietem ferre, aut ſinè tumultu diutius domi permanere poſſet. Aduerſus ea legati, quæ poterant proferebant; ſimul tam repentini in Regem Hiſpanum odij cauſam hanc afferebant, quod Albenius quidam nuper ex Hiſpaniâ reverſus Regi & Reginæ matri pro certo renunciaverat, Philippū paucis ante menſibus coniugem ſuam Regis Galli ſororem veneno ſuſtuliſſe, rumoreſque paſſim totâ Hiſpaniâ diſſeminaſſe, quos multorum honoris causâ, ſilentio præteriri eſt melius. Sed nihil æquè Amirallium permovit, ut Ludovici Naſſovij alacritas, qui ſimul atquè de illo Regis conſilio, certior factus eſt, nihil eorum quæ ad Amirallium cohor-

cohortandum pertinere arbitrabatur prætermiſit. His rebus adductus Amirallius nihil aulicorum perfidiam veritus ad compoſitionem animum adiecit, ita tertio civili bello finis eſt impoſitus, & pax ijſdem conditionibus quibus ſuperiores facta, ut religionis colendæ profitendæque omnibus poteſtas permitteretur. *Paucis poſt menſibus complures Germaniæ Principes religionis reformatæ ſtudioſi, in his tres Electores, Palatinus, Saxo & Brandenburgicus, legatos in Galliam ad Regem mittunt,* gratulantur de concordiâ *civium reconciliatâ, & quoniam ſtabilem ac diuturnam illam eſſe permagni ſua intereſſe judicabant; pollicentur ſi quis Regi ob eam cauſam vel in ſuis finibus, vel extra fines negotium ac bellum inferre conaretur, ſe ſuoſque clientes ad ipſius defenſionem paratos fore: huic legationi Rex primum verbis tum libello manu ſua ſubſcripto reſpondit ac fidem dedit, ſe perpetuo* Pacificatorium ſuum edictum *ſanctiſſime fideliſſimeque ſervaturum. Quo libentius Amirallius ad Belgica conſilia ſeſe traduci paſſus eſt, tametſi reginæ matris ingenium crebrò in memoriam revocans dicere ſoleret, cum alijs multis, tum præcipuè Thelinio, cui poſtea filiam ſuam in matrimonium dedit,* ſibi mulieris illius ingenium verſatile *magnopere ſuſpectum eſſe. Nam ubi nos (inquiebat) in illum Belgicum apparatum induxerit, in medio nos curſu deſeret Naſſovius. Nihilo ſecius ad fratrem ſcribit, communicato conſilio nuncius ad regem mittitur, ſi velit animum ad negocium Belgicum adjicere, ſeſe brevi effecturos ut ſuum erga ipſum ſtudium atque obſervantiam multis & magnis officijs perſpiciat: reſcribit rex amantiſſimis verbis, jucundiſſimum ſibi eum nuncium fuiſſe, atque utrique eorum gratias egit. Per id tempus Maximilianus imperator principis Vranij fortunam (ut ipſe loquebatur) miſeratus, cum Hiſpaniæ Rege per nuncios agebat, ac jam pro impetrarat, ut Principi bona omnia ſua reſtituerentur, ea tamen lege, ne in Belgarum finibus domicilium haberet, ſed alijs in locis, ſede ac domicilio conſtituit, vectigalibus omnibus ſuis frueretur. Quare*

ad Galliæ Regem perlata, confeſtim nuncios ad Principem Vraniæ mittit, ne quid ex ea Cæſaris actione expectaret, fraudem hanc & fallaciam eſſe ea mente ſuſceptam, ut illius delectum in Germania inſtitutum abrumperet: ſi ſuam fidem ſequi velit, certiſsimum ſe illi ſubſidium ad ſuam dignitatem recuperandam præbiturum. His Caroli pollicitationibus Vranius inductus delectus ſuos ſuſtinere, & quãtumvis graves ſumptus tantiſper tolerare ſtatuit, dũ quæ ad bellum illud pertinerent, pararentur. Interea Ludovicus ad Regem permutato habitu Lutetiam proficiſcitur: quum anni tempus minus jam ad exercitus conducendos idoneum videretur, quod hyems ſuberat, de communi conſilio res in proximam æſtatem reijcitur. Interea qui maritimis Vranij copijs præerant, crebro in Hiſpanos atque in Luſitanos graſſabantur, quaſque ceperant naves ad Rupellæ portum (quæ in Condianorum poteſtate tum erat) appellabant, ibique prædam expoſitam oppidanis cæteriſque Gallis mercatoribus divendebant: qua de re frequenter legatus Hiſpanenſis in regio ſanctiore conſilio queſtus eſt. Et cum ad id conſilium conducere videretur, ut Eliſabetha Angliæ Regina in fæderis ſocietatem adſciſceretur, Rex Amiralio negotium ejus rei adminiſtrandæ commiſit. Nam ſuperioribus menſibus blandiſsimis literis à Rege in aulam accerſitus, honorificentiſsimeque acceptus fuerat, qui ne de ſuis adverſarijs diffidendi aut ſecus de regis aut reginæ matris animo ſuſpicandi occaſionem haberet, primum Guiſiani omnes ex aula exceſſerunt: tum Rex Amirallio poteſtatẽ fecit, quem vellet comitatum, & quibus cum armis vellet ſecum adducendi: & quod præter cæteros Coſſæo regni Mareſcalco confidere putabatur, rex illum Amirallio præſto eſſe, præſidiumque ſuo nomine ſi quid opus eſſet ferre imperavit. Anglici fæderis negotium Amirallius ita diligenter induſtrieque confecit, ut non multo tempore interjecto, miſsis ultro & citro legatis data acceptaque fide & jurejurando utrinque interpoſito ſancitum fuerit. De alijs præterea ſocietatibus atque amicitijs conciliandis, quæ ad Belgicum illud inſtitutum conducere videbantur, idem

Amirallius

Amirallius regis juſſu ac nomine agebat, eaque negotia prope jam ad exitum perduxerat. fœderum autem illorum prima ſemper & ſumma lex erat, ut religionis libertas maneret, utque Rex edictum illud ſuum pacificatorium diligentiſsime ſanctiſsimeque conſervaret. Etſi hæc ſecreto geri videbantur, tamen Biragij procancellarij literis (de quo ſupra mentionem fecimus) itemque Moruillerij, quem, propter maciem hypocriticam, pueri vulgo Chimeram aulicam appellant, & Cardinalis Peluei, quo non alius ad proditionem vel excogitandam vel adminiſtrandam aptior habetur, ad Pontificem Romanum, perlata ſunt: qui de Cardinalium conſilio protinus unum ex ipſorum numero, Alexandrinū ſæviſsima hyeme in Galliam cum his mandatis miſit, ut regem in fœderis Tridentini ſocietatem adduceret. Cujus primum ac ſummum caput erat, ut junctis fœderatorum copijs, bellum Turcis & hæreticis inferretur: cum hæreticorum nomine principes omnes, qui reformatæ religionis cultum in ſuis finibus permittunt, intelligantur. Alexandrinus honorifice in aula exceptus, re tamen infecta dimiſſus eſt: ita enim vulgò ferebatur, ac paſſim tota Gallia creditum eſt: quamvis ipſe in occulto hilarior alacriorq́ʒ ad pontificem redire videbatur, dixiſſeq́ʒ aliquoties ferebatur, ejuſmodi ſe à Rege reſponſum tuliſſe, quod in vulgus efferri opus non eſſet: ſibi quidem à Rege & Regina matre abunde ſatiſfactum fuiſſe. Quum ad illud Belgicum negotium peroportunum videretur naves aliquot in mare Britānicū mittere, quib. ſi quid ſubſidij Albano ex Hiſp: in Belgas mitteretur, intercludi poſſet, ei rei Stroſſius & Baroguardius præfecti ſunt, quib. rex mādavit, ut naves aliquot Burdegalæ & Rupellæ armatas atque inſtructas, ex navalibus producerent, & quæ ad uſum earum navium pertinerent, mature providerent. Eo apparatu legatus Hiſpanienſis permotus crebras Regis ſui nomine querelas ad conſilium Regium deferebat: neque interea reſponſum ullum aliud auferebat, niſi Veriſimile hoc Regi non videri: nuncios eum Burdegalā & Rupellam cum literis ac mandatis miſſurum, ne qui navalis apparatus fieret: ſi qui jam factus eſſet, ejus rei

quæſtio

quæſtio haberetur. Quæ mandata ſecretò atque in occulto duobus illis rei maritimæ præfectis data ſint, nobis non ſatis conſtat. Illud nemini dubium eſſe debet, mandatum illis fuiſſe, ut quaſcunque naves offenderent, quibus Hiſpani milites in Belgas tranſportarentur, in eas impetum facerent, totumque illum navalem apparatum adverſus Hiſpanum Regem & Albanum inſtitutum fuiſſe: quin etiam Amirallium per id tempus mandatum à Rege accepiſſe, ut in inſulam novi orbis Peruſam auri præter cætera feracem (quam Hiſpanus tenet) exploratores mitteret, ſi quid forte in illa occupanda conari aut efficere poſſet: quæ res nobili cuidam ex Amirallij clientela commiſſa eſt, qui cum Luſitano navigationum illarum peritiſſimo (quem ei Amirallius Regis juſſu adjunxerat) eò profectus, neque dum reverſus eſſe. Iam verò dici non poteſt, quot & quanta eo tempore amiciſſimi animi ſigna rex Admirallio *itemque comiti Rupifocaldio, & Thellignio reliquiſq; religioſæ nobilitatis præcipuis daret. Primum quæ ſuperioribus bellis in Amirallij & Andeleti villis atque arcibus erepta fuerant, rex conquiri eiſque reſtitui jubebat. Si quos præterea vel Amirallio charos atque acceptos, vel ſuperioribus bellis virtutis laudem egregiam adeptos intelligebat, hos beneficijs atque præmijs afficiebat. Ipſi Admirallio die quodam ad ſarcienda ſuperiorum calamitatum detrimenta centena librarum millia de ſuo fiſco adnumerari juſſit. Quum ipſius frater Cardinalis Caſtalionius magnis & opulentis ſacerdotijs oneratus è vita exceſſiſſet, rex ei unius anni fructus integros attribuit. Quin etiam Philiberto Subaudiæ duci literas dedit, gratiſſimum ſibi fore, non modo ſi mitius cum ijs ageret, qui ſuperioribus bellis ſubſidio religioſis venerant; Verum etiam ſi in alios omnes religionis ejus cultores, quos in ſuis finibus haberet, clementia & manſuetudine uteretur. Iam verò quum Veteres inimicitiæ inter Guiſianos & Amirallium intercederent, ex quibus contentionis Galliæ Regno periculoſæ naſcituræ videbantur, rex utrique ſuis verbis denunciari juſſit, ut illas inimicitias ſua & Reipub. cauſſa deponerent: formulamque illis re-*

con-

conciliationis & concordiæ præſcripſit, cujus ſex fere ante annos jacta fundamenta fuerunt, in urbe Molinio, ubi Rex ſummis quibuſque regni proceribus adhibitis, re conſulta & deliberata, pronunciavit Amirallium Guiſianæ cædis expertem videri, cujus ab adoleſcente Guyſio ejuſq; propinquis inſimulabatur, eique controverſiæ rex de conſilij ſententia finem impoſuerat. Præterea Carolus Cardinalis Lotharingus (quem ſuperiorum omnium bellorum architectum fuiſſe diximus) ut omnem novorum conſiliorum ſuſpitionem *tolleret, Romam profectus erat, unaque per familiarem ſuum Cardinalem recens creatum, vaferrimum & callidiſſimum imprimis habitum, per cauſam Pontificis in demortui locum eligendi deduxerat.* Sed nullum maius ac certius pacis & tranquillitatis publicæ *documentum fuit, quam quod Rex Sororem ſuam Margaretam Principi Henrico reginæ Navarrorum filio, qui religionis cauſam noviſſimo bello defenderat exercituique præfuerat, nuptum locare inſtituit: quod arctiſſimum eſſe civilis concordiæ vinculum & ſuæ erga religioſos benevolentiæ certiſsimum teſtimonium fore prædicabat. Quin etiam quod Princeps Henricus religione impediri dicebatur, ne Margaretam à ſua religione alienam, catholicã, & Romanis ritibus deditam in matrimonio haberet, rex legibus Pontificijs eam ſe ſoluturum dixit, aulicisque omnibus ſumme reclamantibus, ei permiſit, ut ommiſcis ceremonijs in veſtibulo fani Pariſienſis, certa formula religionis reformatæ miniſtris quibuſdam non improbata, matrimonium illud celebraretur: quæ res fama & literis per omnem terrarũ orbem celebrata, dici non poteſt, quam ſecuros religioſorum animos reddiderit, quantopere metum ſuſpitioneſque omnes ex illorum animis expulerit, quanta de regis erga ſe benevolentia fiduciam illis attulerit, quanta denique principes exteros & civitates eidem religioni deditas lætitia affecerit. Sed Amirallij animum multo magis confirmabat epiſtola regis manu ſubſcripta & obſignata, quam per id tempus Thelliginus attulerat: quæcumque Amirallius Belgici inſtituti cauſa faceret, eaſe quaſi ſuo mandato facta cõprobaturum, rataq; habiturum.*

turum. Per id tempus Ludovicus Naſſovius una cum Joanna Navarrorum Regina religionis ſtudioſiſſima ad aulam gallicam proficiſcitur. Inito inter regem Carolum & Uranium fœdere, literis pactiones mandantur. Erant nuptiæ in urbem Lutetiæ conſtitutæ: qua de cauſa Navarrorum regina eò ſe paucis illis diebus contulerat, ut quæ ad nuptiarum apparatum pertinerent, provideret. Ob eandem cauſam rex Cavannium hominem acris ingenij (quem propter Amirallij gratiam in ſummum honorem extulerat) ad eum miſit, uti Lutetiam, cum ejuſdem apparatus, tum vero Belgici negotij cauſſa, præiret, ſeſeque paucis intermiſſis diebus ſubſecuturum confirmaret: nihil eſſe jam quod Pariſienſium minas & inſanias metueret.

Nam quòd ea civitas ſuperſtitionibus præ cæteris dedita eſt & ſeditioſis monachorum concionibus quotidie ad ſævitiam excitatur, difficile dictu eſt, quam acerbo odio & Amirallium & religionis cultores proſequeretur. Eò accedebat ægritudo, quam ſuperioribus menſibus acceperat, ex cruce quadam lapidea, inaurata, pyramidis inſtar facta, & Gaſtinia vulgò dicta: cujus everſionem Amirallius à rege incredibili contentione efflagitarat. Nam quòd in medio belli ardore ad religioſi cujuſdam contumeliam poſita fuerat, monimentum illud civilium diſſidiorum, paci atque concordiæ adverſarium eſſe demonſtrabat. Hujus Pariſienſium capitalis in Amirallium odij rex non ignarus, literas ad Marcellum mercatorum præfectum (quæ Lutetiæ ſumma dignitas habetur) dederat, graviterque interminatus erat, ſi quid motus aut turbarum propter Amirallij adventum oriretur. In eandem ſententiam Henricus dux Andicus, Regis frater itemque regina mater literas eidem Marcello cæteriſque pariſienſibus magiſtratibus dederant ut nulla jam plane Amirallio timoris aut diffidentiæ occaſio relicta videretur: pauciſque item poſt diebus Rex Briqmaldum magnæ virtutis & æſtimationis virum, cum iiſdem mandatis ad Amirallium mittit, Belgicum negotium commode adminiſtrari ſine ipſius præſentia non poſſe.

poſſe. His tot rebus adductus Amirallius, plenus ſpei bonæ atque animi Lutetiam proficiſci ſtatuit: quo cùm veniſſet; atque à rege & ipſius fratribus, & Regina matre honorificè comiterque exceptus eſſet, orto inter ipſos de Belgico apparatu ſermone multis verbis Regi demonſtrat, Ducem Albanum magnas copias cogere, exercitumque comparare: ſi Rex ſuum animum diſſimulare vellet, fore ut multi tardiores ſe ac ſegniores præberent: magnas jam rerum bene gerendarum facultates dari, quas ſi de manibus demittat, non facilè poſteà recuperaturum. Itaque optimum eſſe factu, ut temporis opportunitate uteretur. Non multis ante diebus Ludovicus Naſſovius in Belgarum fines clam profectus comites itineris conſiliorumque ſocios ſibi tres gallos ſummæ apud Amirallium autoritatis aſciverat, Saucurtium, la Noüm & Genliſium, quibus Rex negotium dederat, ut viderent ſi qua ratione urbes aliquot regno ſuo finitimas tentare atque occupare poſſent. Illi compluribus aliis nobilibus in ſocietatem adſcitis, celeriter in Belgas proficiſcuntur inſcio & imprudente Amirallio: qui ubi ſubitam illorum perfectionem cognovit, ſcripſit ſe vehementer illorũ conſilium admirari: ſcire ſe nullas copias ante dies quadraginta cõparari poſſe: Viderent ne quid feſtinantius agerẽt, neve conſilia ſua, quæ nondum matura videbantur præcipitarent. Naſſovius patriæ conſpectu & deſiderio inflammatus, mutabilitatemq; regis veritus, Valentinianas primum de improviſo adoritur: ſed ab Hiſpanis militibus, qui arcem præſidio tenebant, depulſus Montium celeriter profectus eſt, oppidumq; natura munitiſſimum rebuſq; omnibus ad bellum neceſſariis inſtructiſſimum occupat: quæ res fama & nuntiis paſſim in finibus Belgarũ pervulgata & in galliam Germaniamq; perlata, cũ omnes religionis cultores in ſpẽ erexit, tum verò Galli Regis animũ palam atq; aperte jã indicaſſe ac perfeciſſe videbatur. Eò acceſſit quod Genliſius paucis poſt diebus Lutetiã reverſus, ubi rẽ omnẽ Regi, quemadmodũ geſta erat, expoſuiſſet, facilè ab eo impetravit, ut ipſius volũtate ſibi liceret copias aliquot peditũ & equitũ Gallorũ conſcribere & Montianis ſubſidio ducere. Verũ in itinere, quum in Belgarũ fines

ingreſſus eſſet, numerumque peditum ad quatuor millium, equitum circiter quadringentorum haberet, ab Albano per inſidias circumventi & magna ex parte profligati ſunt: id quod Guiſianorum opera factum conſtabat, qui quotidianis nunciis ac literis Albanum de illorum conſiliis & apparatu certiorem faciebant. Quam illorum perfidiam complures etiam Romanæ religionis ſtudioſiſſimi indigniſſime tulerunt, propterea quod in eum ſe numerũ quã plurimi eidẽ religioni addicti aggregaverant. Hoc incommodo & Valentinianæ urbis liberatione regis animus vehemẽtius conturbatus videbatur. Metuebat enim ne ſua cõſilia Hiſpaniæ Regi enũciata, tandem inimicitiarum & bellorum cauſam aliquam afferrent: quanquam ubi recordari cœperat magnam ſuorũ conſiliorum partem ad Albanum perlatam eſſe, ſæpenumero de ſuo animo aperiendo & bello aperte inferendo cogitabat. Sed illum ab hoc conſilio certi homines abduxerunt, quos Amirallius multo ante id facturos opinione præceperat. Huic tamen poteſtatem facit, quæcunque ad Principis Vranii inſtitutum adjuvandum pertinerent, quantumque poſſet ſeu peditum ſeu equitum ſubſidium, ad exercitum, quem Uranius in Germania comparaverat, mittendi. Quum Amirallius ea de cauſa petiiſſet, ut ſibi liceret triginta cataphractorum equitum turmas totidem cohortes cogere, nullo negotio impetravit. Ad illorum peditum ſtipendium pecunia opus erat: rogatu Amirallii Rex Theſaurarium ad ſe ſuum accerſit: ei mandat, ut Amirallio pecuniæ quantum ſatis eſſe videretur, curet, Vetat ne numerationis cauſæ, Theſaurariorum inſtituto, ſubſcribantur: tantum hac formula utatur: Summa hæc pecuniæ Amirallio numerata eſt, illo die, Regis mandato, certis de cauſis, quas Rex aſcribi vetuit: eique libello Rex ſua manu ſubſcribebat. Simul Rex ſuo apud Belgas legato Monduceto literas dedit, ut operam omnem in iis, qui Genliſiano prælio capti fuerant, liberandis navaret: quod mandatum Monducetus ſumma fide ac diligentia confeciſſe dicebatur. Non multis ante diebus Joanna Navarrorum Regina (de qua ſuperius mentionem fecimus) Lutetiæ

in aula

in aula repetino morbo oppreſſa interijt, annum agens ætatis xliij. *Cumque permagna ſuſpitio eſſet, eam veneno extinctam, corpuſque à medicis ob eam cauſam inciſum eſſet, nulla tum veneni ſigna reperta ſunt. Verùm aliquanto poſt A.P. indicio compertum eſt, eam* venenatis odoribus affectam, *quibus delibutæ chirothecæ fuerant à Renato unguentario Regio, Italo: qui Lutetiæ tabernam habet in ponte ſancti Michaëlis propter Palatium: quod à medicis, qui caput non inciderunt, neque cerebrum inſpexerunt, animadverti non potuit. Hunc eundem conſtat ſuperioribus annis* Pomum odoriferum *venenatum Ludovico Principi Condæo eadem de cauſa obtuliſſe, quod cum Princeps chirurgo ſuo, cui Craſſo nomen eſt, reliquiſſet, Craſſus odore delectatus, ita ſenſim affectus intumuit, ut parum ab interitu abfuerit. Eius morte regnum ad Principem Henricum ipſius filium, cui Regis ſororem pactam ac deſponſam diximus, redibat. Rebus, uti videbatur, tota gallia pacatiſſimis, concordiaque ordinum omnium conſtituta, dies illis Navarricis nuptijs dicta eſt: quam diem omnes qui religioni ſtudebant, eò ſibi optabiliorem ducebant, quo Regis animum mirifice in illas propenſum animadverterent: bonique omnes certiſſimum illud civilis concordiæ pignus ac firmamentum eſſe ſtabuebant: quum ex contrario Guyſiani, cæterique publicæ tranquillitatis hoſtes, magnopere illas horrerent. Ubi ea dies venit, nuptiæ regio apparatu ante fanum Pariſienſe celebratæ ſunt, certaque verborum formula ita compoſita, ut à neutrius religione abhorreret, Regis imperio per Cardinalem Borbonium Navarri Regis patruum pronunciata eſt, matrimoniumque ſumma Regis & bonorum omnium gratulatione contractum. Sponſa in templum miſſificationis audiendæ cauſa magno comitatu pompaque introducta eſt. Sponſus interea, qui ab illis ceremonijs abhorreret, una cum principe Condæo Henrico Ludovici filio & Amirallio cæteriſque nobilibus eidem religioni deditis inambulans extra templum, ſponſæ reditum expectabant. Dum hæc Lutetiæ geruntur, Stroſſius, quem maritimis copijs præfectum docuimus,*

mus, Rupellæ oram legens crebro centuriones ac milites è ſu
numero per ſpeciem coëmendi res neceſſarias in oppidum ſub
mittebat: ipſe interdum eodem accedebat. Idem in alter
Galliæ parte, per eos ipſos dies equites cataphracti Gonzag
ducis Nivernenſis faciebant proximè oppidum charitum
quæ charitas vulgò nominatur, in flumine Ligeri pontem ha
bet, atque in religioſorum poteſtate, propter magnum eorun
numerum ad id tempus permanſerat. Hæc turma ex eo
rum equitum numero eſt, quos rex in ſingulis provinciis a
lere conſuevit: quorum plerique ſunt Itali ducis ſui Ludo
vici Gonzagæ populares, cui regina mater ducis Nivernen
ſis filiam & hæredem in matrimonio collocarat. Petebant
ab oppidanis ut Tranſvectionem (quam Monſtram appel
lant) obire in eo oppido liceat: Ejus rei ſe poteſtatem à re
ge accepiſſe, literaſque regias proferebant. Lugduni auten
præfectus urbi omnium eorum qui religionem profitebantur
cenſum haberi, eorumque nomina in libello perſcripta ſibi af
ferri juſſit, qui libellus aliquanto poſt, ex eventu, Sangui
neus appellatus eſt. Confectis Lutetiæ nuptiis quod tempu
ſibi Amirallius domum ſuam redeundi conſtituerat, de ſu
diſceſſu cum Rege colloquitur. Tantus autem erat ludorun
apparatus, tanta conviviorum ac ſpectaculorum magnificen
tia, tantumq; Regis in res illas ludicras ſtudium, ut non mod
ad graviora negotia, ſed ne ad ſomnum quidem capiendun
ſatis temporis haberet. Nam in aula gallica choreæ, ſaltatio
nes, theatrales ludi, quibus Rex impenſius delectatur, ple
runque noctu fiunt: quodque diei tempus ad conſi
lium habendum & res adminiſtrandas *opportunun*
eſt, id propter nocturnas bacchationes neceſſario in ſomn
conſumitur. Tanta porrò virorum ac mulierum, quæ in re
ginæ matris Gynæcæo ſunt, familiaritas, tantaque jocand
& colloquendi licentia eſt, ut nationibus cæteris, incredibi
lis, omnibus bonis, parum ad tuendam nobilium virginun
pudicitiam opportuna videatur: Quinetiam ſi quis ex Ita
lia leno, ſi qua lena, ſi quis fœdæ ac ſpurcæ libidinis magiſte
eo accedat, mirificos ſibi perexiguo tempore favores conci
liat.

liat: tanta autem Italorum paſſim tota Gallia, præſertim in aula poſt regni procurationem reginæ matri commiſſam, multitudo eſſe cæpit, ut nonnulli eam Italogalliam, alij Coloniam, alij colluviem Italicam appellent. His aulicis inſanijs fiebat, ut Amirallius à Regis colloquio & gravioribus negotijs tractandis prohiberetur. Verum ubi qui ab Eccleſijs reformatis miſſi ad aulam fuerant queſtum de injurijs, quibus plerique religioſi paſſim afficiebantur, Amirallium de diſceſſu cogitare intellexerunt, celeriter ſuos ad illum libellos poſtulataque deferunt, orant ne prius ex aula decedat, quam Eccleſiarum cauſam egerit, earumque poſtulata Regi ejuſque conſiliarijs detulerit. Hac de cauſa ſtatuit Amirallius tantiſper ſuam diſceſſionem differre, dum ſibi de illis poſtulatis in ſenatu Regis agere liceret. Nam Rex operam ſe illis rebus propediem daturum, atque in conſilio affuturum promiſerat. Ad eam moram negotium aliud accedebat. Debebantur Germanis equitibus, qui noviſſimo bello pro religionis partibus pugnarant, ſtipendij nomine magnæ pecuniæ: quam rem Amirallius incredibili ſtudio & ſollicitudine animi procurabat. Omnibus his de rebus Amirallius, data facultate (uti deliberaverat) ad ſanctius Regium conſilium retulit, augusti menſis die xxij. qui fuit quintus à nuptijs Navarricis *dies, multumque temporis in actione illa conſumpſit. Sub meridiem cum è Senatu domum, magno nobilium comitatu reverteretur*, Ecce tibi ſclopetarius quidam è proximarum ædium *feneſtra utrumque Amirallij brachium glandibus plumbeis transfigit. Ubi ſe Amirallius vulneratum ſentit, nihil perturbatus, ſed eodem quo ſolebat vultu,* per illam, *inquit,* feneſtram *hoc factum eſt. Videte quinam in illis ædibus ſint: quod tandem iſtud flagitium eſt? Tum nobilem quendam è ſuo comitatu ad Regem mittit, qui hoc ei nunciet. Rex per id tempus parva pila cum Guyſio exercebatur: qui ſimulatq; de Amirallij vulnere audivit, admodum, ut videbatur commotus, reticulum quo ludebat in terram abjicit, Deumque ſuo more deteſtans, Nunquamne inquit, mihi pace frui licebit? ſimulque ludum abjecit.*

cit. & Navarreno affine ſuo ad ſe accerſito in arcem ſe ſuam recepit. Nobiles qui cum Amirallio unà erant, impetum in ædes, unde vulneratus fuerat, faciunt: ibi mulierculam unicam reperiunt ædium illarum cuſtodem, ac paulo poſt puerum, ejus qui vulnus inflixerat, ſervulum: ſimul fiſtulam ferream in menſa ejus conclavis, unde auditus ictus fuerat, deprehendunt: Sclopetarium non reperiunt: celeriter enim per poſticum diffugerat, atque aſcenſo equo, quem præ foribus frenatum habuerat, magno curſu ad portam Antonianam contenderat, ubi recentem equum, ſi forte opus eſſet, diſpoſitum habebat: alterum etiam ad portam Marcellinam. Tum juſſu Regis complures urbem egreſſi admiſſis equis in omnes partes illius perſequendi cauſa contenderunt: neque tamen illum in devia loca delatum, & jam in arcem quandam receptum aſſequi potuerunt. Poſtulatu Navarreni & Condæi, cæterorumque rogatu, Rex continuo facinoris illius quæſtionem decrevit: cujus rei negotium tribus è parlamento pariſienſi delectis mandavit, Thuano & Morſantio prætoribus, & Violæo ſenatori. Primùm intelligitur ædes illas eſſe ſacerdotis cujuſdam Canonici Sangermani, cui nomen eſt Villemuro, qui ducem Guyſium primis literis ab ineunte ætate imbuerat, perpetuoque in ipſius clientela permanſerat. Tum mulier, quam in ijs repertam docuimus comprehenſa atque ad illos perducta dixit, ſuperioribus proximis diebus veniſſe ad ſe Challeium quondam Guyſianæ, nunc Regiæ aulæ, magiſtrum, eique præcepiſſe, ut hominem illum, qui vulnus inflixerat, liberaliter acciperet, eique cubiculum & lectum, quo uti Villemurus ſoleret, attribueret: ejus enim amicum ac perfamiliarem eſſe, gratiſſimumque illi hoc futurum: nomen Sclopetarij diligenter cælatum eſt. Nonnulli Manrevetium nominabant, qui Movium, fortiſſimum & ſummæ virtutis virum, præpoſitum ſuum tertio civili bello perfidioſe interfecerat, ſimulque in hoſtium caſtra perfugerat. Sed plerique Bondotum quendam ex eorum numero, qui Regij Sagittarij vulgò appellantur, proferebant. Mulieris confeſſione ad Regem perlata, continuo

Rex

Rex Naſſeium cuſtodiæ ſuæ magiſtrum ad ſe accerſit. Mandat ut Challeium comprehendat, adſeque adducat. Challeius ſimulatque ſcorpionis ictum audierat, in Luparam arcem regiam confugerat, ſeſeque in Guyſij cubiculum receperat, unde mandati regij certior factus, continuo ſe ſubduxerat. Quum de ipſius diſceſſu Naſſeius eſſet admonitus, reſpondit illum eſſe hominem ſpectatæ nobilitatis: non eſſe dubitandum, quin ubi opus eſſet, ſeſe regi & magiſtratibus ſiſteret. Dum hæc geruntur & Amirallio vulnera obligantur, Thellignius juſſu ipſius ad regem proficiſcitur, demiſſiſſime illum ſoceri verbis orat ne gravetur ad ipſum accedere: dubiam ipſius ſalutem videri: habere quædam quæ ad illius ſalutem magnopere pertinerent, quæ certo ſciat neminem ex iis qui in ipſius regno vivunt, illi renunciare audere. Reſpondit Rex liberaliter, ſe non gravate ad illum iturum, breviqùe ſpacio interjecto iter ingreditur: regina mater ei ſe comitem adjunxit, unaque dux Andicus, dux Monpenſerius Eccleſiæ Romanæ devotiſſimus cliens, Comes Rhetius Reginæ matris familiariſſimus, Chavignius & Entragnius, qui poſtea ſigniferi in carnificina Pariſienſi fuerunt. Ubi rex Amirallium benignè, ut ſolebat, ſalutaſſet, deque vulnere & valetudine comiter interrogaſſet, reſpondiſſetque Amirallius ita placido & ſedato vultu, ut omnibus qui aderant, admirabilis ejus moderatio & patientia videretur, tum Rex permoto, ut videbatur, animo, Tibi (inquit) mi Amiralli, plaga, mihi contumelia impoſita eſt: at ego (Dei mortem conteſtans) juro me & plagam & contumeliam ita ſevere vindicaturum, ut nunquã ex animis hominum ea memoria deleatur. Simul quæſivit ſatiſne ipſi probarētur delecti Judices, quib. habendæ quæſtionis negotium commiſerat? reſpondit Amirallius, non poſſe ſibi non magnopere probari, qui Majeſtati ipſius probati eſſent: rogare tamen, ut Cavannius in illorum conſilium admitteretur, quanquam non eſſe difficilem ejus facinoris inveſtigationem: neque enim dubium eſſe quin à duce Guyſio beneficium illud ſibi obveniſſet: cujus ultionem quidem Deo permittebat: tantum ab ipſius

Majeſtate Regia ſuppliciter ac demiſſe rogabat, ut ea de re quæſtio haberetur. reſpondit Rex, magnæ id ſibi curæ futurum, ac nihilo lentius injuriam illam vindicaturum, quam ſi ſibi metipſi facta eſſet. Tum ſemotis pauliſper Regijs fratribus, eorumque matre, Amirallius, ut ex eo poſtea cognitum eſt, monere Regem cœpit, ut eorum quæ ſæpenumero ab ſe audiſſet, de nefarijs quorundam conſilijs, meminiſſe vellet, gravem ſe plagam accepiſſe, ſed nihilo minorem illum manere: jampridem paratas vitæ ipſius inſidias, quas, ſi ſaperet, mature devitaret. Cæterum ubi ex hac vita Deus illum ad ſe recepiſſet, ſibi non eſſe dubium, quin à pleriſque invidis & malevolis æſtimatio ſua in varias calumnias propter ſuperiora bella vocetur: ſed diſſidiorum auctores ſæpe Regi demonſtratos, eorumque cauſas explicatas: Deum ſe teſtem habere animi erga Remp. & Regem fideliſſimi: neque quicquam ſibi unquam charius patria & communi ſalute fuiſſe. Ubi Rex ad ea quæ viſum eſt reſpondit, tum ſublata voce magnopere illum hortatus eſt, ut ſe in arcem Luparam deportari pateretur: periculum eſſe, ne qua per plebem concitatam ſeditio, neve quis motus in civitate inſana & turbulenta naſceretur. Hæc Regis oratio quorſum pertineret nondum intelligi poterat. Nam etſi ſtolidiſſima & inſaniſſima plebs Pariſienſis ſemper præter cæteras habita eſt, tamen non modo Regis adventu & præſentia, verum etiam ſola nominis pronunciatione facillime celeriterque ſedatur. Itaque Amirallius Regi multis verbis gratias egit, cauſamque attulit, medicorum conſilium, qui veriti ne ſuccuſſu augeretur dolor, negabant eum loco movendum eſſe. Tum comes Rhetius ad nobiles quoſdam Amirallij familiares converſus, vellem (inquit) Amirallius conſilio Regis obtemperaret. Nam periculum eſt ne quis in urbe motus ejuſmodi oriatur ut eum Rex comprimere facile non poſſit. Quâ re cognita, etſi quorſum illud conſilium pertineret, nondum quiſquam ſuſpicabatur: viſum eſt tamen Amirallio atque ipſius amicis poſtulandum à Rege ut præſidiarios aliquot milites è ſuorum numero ſibi attribueret. Reſpondit Rex, ſibi conſilium illud magnopere

probari,

probari, ac plane in animo habere Amiralli salutem non ſecus ac ſuam tueri: deniq; Amirallium ſe tanquã oculi ſui pupillam *conſervaturum: ſibi admirandam illius viri conſtantiam & fortitudinem eſſe viſam, neque unquam ante id tempus crediſſe tantam animi magnitudinem in mortalem quemquam poſſe cadere. Simul dux Andicus regis frater Coſſinio legationis Regiæ tribuno mandat, ut manipulares aliquot in ſtatione pro foribus ædium Amiralli diſponat. Hoc Coſſinio non facile quiſquam vel Amiralli partibus infeſtior vel Guiſianorum ſtudioſior inveniri poterat: quod etiam eventus, ut paulo poſt intelligetur, demonſtravit. Addidit præterea dux Andicus videri ſibi è re Amiralli futurum, ſi plures ipſius amici & familiares, qui in ſuburbiis diverſabantur, propius ad ipſum accederent: ſtatimque mercatoribus regiis imperavit, ut quibus in eo vico hoſpitia ſuperioribus diebus aſſignarant, eos illinc migrare juberent, atque in ipſorum locũ amicos Amiralli ſubſtituerent: quo conſilio nullum ad ea, quæ poſt acciderunt, oportunius excogitari potuit. Nam qui ex ſuburbiis diffugere potuiſſent, non modo intra urbis mœnia, verum etiam intra unum eundemque anguſtum vicum circumcluſi tenebantur. Poſtridie vicorum Magiſtri, qui vulgò Quaternarii dicuntur, cauponas diverſoriaque omnia obeunt, eorumque qui religionem profitebantur nomina, notatis ſingulorum diverſoriis, in libellis perſcribunt, quos mature ad eos, à quibus mandatum illud acceperant, deferunt. Poſt meridiem Regina mater regem, ducemque Andicum, Gonzagam, Tavannium, Comitem Rhetium nomine Gondinum, in hortos ſuos qui vulgò Tegularii dicuntur, educit. Hunc locum, quod eſſet à turba remotior, ad extremum conſilium capiendum maxime idoneum judicabat. Demonſtrat captos jam teneri eos, quibus jam diu inſidiati fuerant: Amirallium utroque brachio captum lecto teneri, neque movere ſe poſſe: Navarrum & Condæum hoſpitio in arce exceptos: noctu portas claudi, excubias locari, fugere illinc comprehenſos non poſſe: ita ducibus captis non eſſe metuendum ne*

qui deinceps ex religioſis tumultuentur: præclaram rei gerendæ facultatem dari, nam ſigniferos omnes intra Lutetiam circumcluſos eſſe, reliquos in aliis oppidis, omnes inermes atque imparatos: vix denos hoſtes inter millenos catholicos reperiri: Pariſienſes eſſe in armis: hos poſſe conficere armatorum delecta ſexaginta millia: unius horulæ ſpacio hoſtes omnes è medio tolli, ſtirpemque ac nomen impiorum hominum deleri poſſe: niſi rex oportunitate temporis utatur, non eſſe dubitandum, quin ſi Amirallius valetudinem recuperet, tota Gallia quarto civili bello propediem exardeſcat. Probata Reginæ ſententia: conſultius tamen videtur, ut Navarri vitæ partim propter ætatem partim propter affinitatem parcatur. De Condæo deliberatur, placeret ne propter ætatem relinqui, an propter paternum nomen interfici: ſed Gonzagæ ſententia valuit, ut terrore mortis & cruciatus à religione abduceretur. Ita ex conſilio diſceditur, ut proxima inſequente nocte ſub lucem res geratur, totiuſque negotii adminiſtratio duci Guyſio deferatur. Amirallius certior factus armorum motum fremitumque & minas tota urbe exaudiri, multaque ad tumultum pertinentia comparari, mittit, qui hoc ſuis verbis Regi nunciet. Reſpondit Rex, nihil eſſe quod Amirallius metuat, mandatu id ſuo fieri, non paſſim ſed certis tantum locis, delectoſque abs ſeſe fuiſſe, qui arma caperent, ne quis in urbe motus à plebe concitatâ naſceretur. Ubi Guyſius ſatis parata omnia judicavit, Marcellum (de quo ſuperius mentionem fecimus) ad ſe vocat, eique præcipit, ut Magiſtros vicorum (quos decuriones vocant) in curiam Vrbanam (quæ domus civitatis vulgò dicitur) aliquanto poſt mediam noctem accerſat: habere ſe à Rege mandata quædam nova & ſingularia, quæ ad illos perferri velit. Maturè omnes conveniunt: facit verba novus mercatorum præfectus Carronius, Guyſianis aliquot ſtipatus, in his Entragnio & Tnygallartius. Dicit Regi eſſe in animo ſeditioſos omnes, qui ſuperioribus annis adverſus Majeſtatem ſuam arma tulerant,

lerant, de medio tollere & ſtirpem ſceleratorum hominum extinguere: peropportunè accidiſſe ut principes & ſigniferi intra urbis mœnia quaſi carceribus incluſi tenerentur, ab ijs initium eadem illa nocte factum iri: de reliquis ut idem primo quoque tempore per ſingulas provincias fieret, regem curaturum: irruptionis ſignum non tuba, ſed ſonitu Palatini horologij lucem datum iri, quod eſſe magnis rebus ſolenne non ignorarent: inſigne autem, quo ab reliquis internoſſi poſſent, futurum linteolum candidum lævo brachio alligatum, & crucem albam pileis præfixam: viderent ut mature animis armiſque parati eſſent. Guyſius interea Centuriones qui cuſtodiæ Regiæ præerant Vaſcones, Gallos Helvetios, eadem de re certiores facit, eoſque ut parati animi ſint, hortatur. Aliquantò poſt dux Guyſius, unaque regis Henrici nothus (Eques vulgo dictus) quos agmen armatorum ſequebatur, ad ædes Amirallij proficiſcuntur.

Has utraque vici parte Coſſinius diſpoſitis ſclopetarijs obſeſſas tenebat. Amirallius de ſtrepitu fremituque armorum certior factus, etſi vix decem domi haberet, qui arma ferre poſſent: in cubiculo verò duos chirurgos, concionatorem unum & cubicularium unum aut alterum: terreri tamen nondum potuit, fretus, ut ſæpe dictitabat, regis erga ſe benevolentia multis magniſque rebus teſtata: confiſus præterea plebem pariſienſem, ſi ſuæ inſaniæ adverſari regem ſentiret, quantumvis concitatam, tamen ut primum Coſſinium cum excubijs pro foribus animadverteret, quieturam. Simul commemorabat juſiurandum de pace conſervanda toties à rege & ipſius fratribus eorumque matre publice interpoſitum, atque in acta publica relatum: fœdus præterea cum Angliæ Regina nuper eandem ob cauſam factum: pactaque cum Uraniæ principe conventa: fidem principibus germanis datam: Urbes aliquot in Belgarum finibus tentatas, alias regis mandatu captas: nuptias ſororis ſexto ante die celebratas, quas cruore funeſtari

non pateretur: denique nationum exterarum & poſteritatis judicium: pudorem, gravitatem, conſtantiamque regiam, fidem publicam & Iuriſgentium ſanctimoniam, quæ omnia nefario ſcelere velle pollui, portenti ac prodigij ſimile videretur: Coſſinius ubi principes adventantes vidit, fores pulſat, quarum cuſtodiæ illum ab Andico duce præfectum diximus: qua de cauſa vetus proverbium uſurpabant, præclarum ovium cuſtodem, ut dicitur, lupum. Ingreſſus nulla fere difficultate, armatorum turbam introducit: hos proceres ſubſequuntur. Quos in primo aditu ac veſtibulo Coſſinius offendit, hos ſpiculo, quo armatus venerat, interficit. Quod ubi Amirallius cognovit, confeſtim è lectulo à ſuis ſublevatus, injecta nocturna toga in pedes ſurrexit, ſuoſque hortatur ut ſaluti ſuæ fuga conſulant, neve amplius de ipſo ſint ſolliciti: ſpiritum ſe, quem fruendum acceperat, repoſcenti Deo libentiſsimo animo in ipſius manus commendaturum: vim hanc non tam in ſuam pernitiem quam in chriſti contumeliam, & tot eccleſiarum cruciatum paratam eſſe, quarum eccleſiarum defenſionem, piorum omnium rogatu multis ſuis periculis & ærumnis ſuſtinuerat. Conſcendit interea in ſuperiorem domus partem Germanus quidam Benueſius, in familia Guyſij educatus, cui Cardinalis Lotharingus unam e ſuis nothis filiabus nuptum collocaſſe dicitur, unaque cum illo Coßinius Vaſco, Attinius Picardus Amirallij cliens & familiaris, qui ſuperioribus annis Andeloti vitæ inſidiatus fuerat, itemq; Hanfortius Arvernus, omnes ſcutis gladijſque armati & loricis tecti. Quum in Amirallij cubiculum irrupiſſent, tum Benueſius eum adortus, ſtrictumque gladium intentans, Non tu inquit Amirallius es? Ita vocor, reſpondit ille ſedato & conſtanti vultu, quemadmodum ex illis poſtea cognitum eſt: tum intentum in ſe gladium intuens, Adoleſcens, inquit, reſpice ſenectutem & infirmitatem hanc meam at. ille (Deum deteſtans) primò gladium in Amirallij pectus defigit, tum continuo in caput adegit. Attinius autem ictu bombardulæ pectus tranfixit. Cum ne hoc quidem vulnere Amirallius occumberet,

ret, tertiam ei plagam Benueſius in crus inflixit: ita ſemi animis concidit. Quod ubi Guyſius audivit, qui in area cum cæteris proceribus reſtiterat, magna voce cõclamat, Abſoluiſtine Benueſi? At ille, Abſolui inquit. Tum Guyſius, Eques noſter (hunc regis Henrici nothum eſſe diximus) niſi oculis viderit, non credit: deyce per feneſtram. Tunc à ſuis Comitibus Benueſius adjutus, ſublatum Amirallij corpus per feneſtram abycit. Cum ob vulnus in capite acceptum & os cruore delibutum minus agnoſceretur, Guyſius procumbens & linteolo ſanguinem abſtergens, Agnoſco, inquit, ille ipſe eſt. Simul janua cum alys proceribus egreſſus, ad multitudinem armatorum exclamat, Commilitones fortunatum principium habuimus: deinceps ad reliquos pergamus, nam ita Rex jubet. quæ verba identidem magna voce inculcabat: Ita Rex jubet: hæc regia voluntas: hoc illius imperium eſt. Simul Campanæ palatinæ pulſu ſignum dari atque ad arma conclamari juſſit, pronunciarique conjuratos eſſe in armis, qui Regem interficere conentur. Ac tum Italus quidam è Gonzagæ ſatellitio caput Amirallij abſcidit & medicaminibus conditum Romam ad Papam & Cardinalem Lotharingum miſit: alij manus amputant: nonnulli pudenda. Tum Baiuli & calones cadaver ita mutilatum & ſanie cruentum per urbis vias triduo traxerunt, poſt extra urbem ad patibulum deportarunt, reſteque ex pedibus ſuſpenderunt. Interea procerum ſatellites in omnia ædium Amirallij cænacula ruentes, quos vel in lectulis vel latitantes offendebant, multis illatis vulneribus contrucidabant. In eo numero fuerunt pueri ingenui Circumpedes ampliſſimo loco nati: fuit etiam Comes Rupifocaldius, qui propter elegantiam ingenij & virtutem Henrico regi chariſſimus fuerat, & huic Regi propter eandem cauſam acceptiſſimus eſſe videbatur. Hunc Nanceius, de quo ſuperius diximus, interficere juſſus erat: ſed cum propter cognationem & familiaritatem id recuſaſſet, Labergius Arvernus Regi ſe obtulit: ea tamen lege, ut præfecturam equitum, cui Rupifocaldius præerat, Rex ei mandaret. In eo-

dem

dem numero fuit Thellignius Amirallij gener, adoleſcens ſumma ſpe & animi & ingenij præditus: cui Rex multos jam annos tantam benevolentiam & vultu & verbis oſtenderat, ut nemo gratioſior apud eum haberetur. Hic quum acerbam ſibi eſſe vitam exclamaſſet, quod Regis fidem tantopere ſemper apud ſocerum commendaſſet, oblatam necem recuſare noluit: multique alij florentiſſimi juvenes paſſim toto illo vico interfecti ſunt. Tum procerum ſatellites Coſſinijque milites oſtiatim graſſari cœperunt: ſimul ædes Amirallij, cæteræque omnes direptæ ac depopulatæ ſunt, nihilo ſecius, quam urbe capta fieri ab incenſis ſpe prædæ militibus conſuevit: multique illo latrocinio è mendicis repente divites facti ſunt. Nam Guyſius, Monpenſerius, Eques Henrici nothus, Gonzaga, Tavannius, proceresque alij prædationis & rapinarum præmio multitudinem ad cædem & trucidationem excitabant, regiſque hanc eſſe voluntatem magna & clara voce prædicabant. Ita quantum diei tempus fuit à prima luce ad veſperam, excitata rapinis & latrociniis multitudo, cruentos gladios intentans, tota urbe graſſata eſt: ac ne ætate quidem confectis & mulieribus, infantibuſve abſtinuit: cæſorumque cadavera per feneſtras gratulandi cauſa deijciebant, ut nullus fere vicus, nulla platea non cadaveribus occiſorum conſtrata videretur. Dum hæc in urbe geruntur, Rex Navarrenus & Princeps Condæus (quos Rex in arce ſua Lupara hoſpitio exceperat) mandatu ipſius evocati atque ad ipſum deducti ſunt. At comites eorum, cubicularij, clientes, pædagogi & nutricij fidem Regis magna voce implorantes è cœnaculis deturbati atque ab Helvetiys ſatellitibus regiys in ipſius Regis conſpectu multis vulneribus conciſi ac trucidati ſunt. Sed ex illorum occiſorum numero, nullius æquè ut Pilleſij caſus à multis deploratus eſt: cujus utrum major in colenda religione pietas, an in re militari virtus fuerit, dici non poteſt. Itaq; cum maximam ſuperioribus annis, præſertim ex oppidi Sanjandangelici defenſione (quod rex obſidione & oppugnatione premebat) rei bellicæ gloriam adeptus eſſet, Regi imprimis charus & ac-

ceptus

ceptus videbatur. Hunc & Lerannium Odovij filium Navarrenus regis voluntate (quæ quorſum pertinerent nondum intelligi poterat) in conclavi, quod ipſius cubiculum tangebat, retinuerat, ibique pernoctari juſſerat. Quum aliquanto ante lucem concurſum hominum, armorumque ſtrepitum, clamoreſque & trucidationes audiviſſent, celeriter ſurrexerunt, ſtatimque Nanceyus (de quo ſuperius mentionem fecimus) ad eos venit, iiſque regis verbis denunciat, ut in aream deſcendant, tum ut gladios deponant, poſtremo ut arce exeant. Pilleſius ubi ſe in militum trucidantium turbam depulſum videt, & occiſorum corpora conſpicatur, maxima voce (ut Rex exaudire poſſet) fidem regiam conteſtans, ſimulque nefariam perfidiam deteſtans, pallium pretioſum, quo tectus erat, prehendit & cuidam noto ſuo porrigens, En tibi inquit à Pileſio munus: poſthac Pileſij indigniſſimo caſu perempti memineris. Mi Pileſi (inquit alter) non ſum ex iſtorum numero: de pallio gratiam habeo: iſto nomine non recipiam: oblatumque pallium recuſavit: ſimulque Pilleſius, ab uno ex præſidiarijs militibus ſpiculo transfixus occubuit: atque hunc vitæ exitum vir florentiſſimus & fortiſſimus habuit. Tum ipſius corpus in acervum aliorum impoſitum eſt: quem cum prætereuntes aſpicerent, milites conclamabant: Ibi ſunt qui impetu in nos facto regem interficere conati ſunt. Lærannius autem gladio tranſfixus, cum in Reginæ Navarricæ cubiculum fuga ſe recepiſſet, ab illa tectus, atq; ab inſectantium impetu conſervatus eſt. Hujus vitam paulo poſt à fratre deprecata eſt: quinetiam medicis ſuis commendato valetudinem ſimul & vitam reſtituit. Cum hæc Lutetiæ geruntur Stroſſius (quem ad Rupellam copijs omnibus acceſſiſſe docuimus) magnū militum ſuorum numerū in oppidū introducit, per cauſam cōvivij in Caſtello) quod Catenariū appellant) cum amicis celebrandi: ſed propter oppidanorum ſuſpitiones atq; excubias, à quibus ſuas inſidias caveri animadvertit, re infecta diſceſſit. At Caritiani (quos ab equitib. Italis circūventos demōſtravimus) minus ad oppidi cuſtodiam attēti, ſub noctē oppreſſi, paucisq; poſt dieb. trucidati ſunt. Poſtridie

illius

illius diei, quibus in locis Lutetiæ latitantes inveſtigari poterant, carnificina renovabatur. Simul bajuli, reliquique infimi de plebe ac perditi homines veſtimentorum diripiendorum cauſa, occiſorum corpora nudabant, eaque in flumen Sequanam deijciebant. Rapinarum autem ac depopulationum præmia fere ad bajulos & milites omnia redierunt, ad regis ærarium pars nulla aut perexigua. Nam quæſtus illi ſolus obvenit is, qui ex vacantibus (ut loquuntur) officijs, magiſtratibus ac præfecturis percipi potuit: quorum tamen partem nonnullis aulicis largitus eſt. Nam Amirally præfecturam ad Marchionem Villaſtium detulit: Cancellariam Navarricam interfecto Francurtio repente ad Henricum Memmium Mallaßiſium, qui noviſsimæ pacis interpres atque internuncius fuerat: Quæſturam theſaurariam interfecto Pruneſio ad Villequierium: præturam, quæ ſubſidiaria vocatur, interfecto Plateano ad Nullium: reliquas præfecturas conſuetudine ſua ijs qui præſentem pecuniam afferebant, vendidit. Nam aliquot jam Galliæ Regum inſtitutum apud exteras gentes inauditum hoc fuit, ut omnia commoda, jura, beneficia regni ſui venalia habeant, magiſtratuumque omnium & quæſturarum mercatum palam precio in ſingulos conſtituto inſtituant: neque ullus tota fere gallia reperitur, qui non aperte prædicet, ſe munus illud ſuum impenſo precio mercatum eſſe: non eſſe mirandum ſi replere rei familiaris lacunam velit. Itaque tota gallia jus præſenti pecunia emi ſolet, neque quantumvis multis factis cædibus quæſtio ulla decernitur, niſi præſens pecunia tabulis & ſcripturarijs oſtentetur. Confecta jam pariſienſi carnificina & quadringentis, ut dictum eſt, ædibus expilatis, confeſtim nuncij celeres in omnes regni provincias, mutatis ad feſtinationem jumentis, dimittuntur, qui regis nomine denuncient, ut pariſienſe exemplum reliquæ civitates omnes imitentur, quoſque apud ſe reformatæ religionis cultores habuerint: eos jugulandos curent. His mandatis incredibile dictu eſt, quanta cum alacritate multò maxima civitatum Galliæ pars, obtemperarit.

At rex

At rex perfidiæ infamiam (quod credi par eſt) veritus, literas ad provinciarum ſuarum rectores dat, celereſq; nuncios in Angliam, Germaniam, Helvetiam dimittit, qui ſuis verbis nuncient, magnum Lutetiæ motum ſeditionemque accidiſſe, quam ipſe iniquiſſimo animo tulerit: Guyſium plebem concitaſſe, impetumque armatis hominibus in cohortem, quæ Amirallio præſidij cauſa attributa fuerat, feciſſe; tum ædes ingreſſum, ipſum unaque comites & domeſticos ipſius omnes interfeciſſe: regem ægre arcem ſuam Luparam, in qua ſe una cum matre & fratribus continebat, ab illis periculis incolumem ſervaſſe: quarum literarum exemplum poſterius ſubjectum eſt. At idem Rex potentiſſimus & gentium omnium conſenſu chriſtianiſſimus vulgo dictus, biduo poſt in ſenatum (quod parlamentum vocant) proficiſcitur, magno comitatu fratrum & principum omnium ſtipatus. Coactis ſenatoribus verba pro tribunali facere incipit: demonſtrat ſe certiorem factum fuiſſe, Amirallium cum aliquot ſuis gregalibus, de ipſo interficiendo conjuraſſe, idem conſilium adverſus fratres ſuos, Reginam matrem, regemque Navarrum iniyſſe: ob hanc cauſam amicis ſuis imperaſſe, ut ipſum conjuratoſque omnes de medio tollerent, & adverſariorum inſidias anteverterent. Hanc ſuam teſtificationem rex in acta ſenatus referri perſcribique imperavit, ſimulque & per præcones pronunciari & per typographos promulgari, edique libellum hoc argumento iuſſit, cædem Amirallij gregaliumque ipſius regis imperio factam eſſe: ſic enim maieſtati ſuæ placuiſſe, propterea quod de ipſo necando, fratribus ipſius & Regina matre, & rege Navarrorum interficiendis coniurarant: vetare ne deinceps cœtus aut conciones de religione habeantur. Audita regis oratione, Chriſtophorus Thuanus, primus illius Parlamenti prætor, homo levitate ſimul & crudelitate inſignis, ampliſſimis verbis regi gratulatus eſt, quod inimicos ſuos, quos bello atque armis vincere non potuerat, dolo atque fallacijs ſuperaſſet: veriſſimumque vetus illud Ludovici Galliarum regis atavi ſui verbum eſſe docuiſſet, qui hanc unam

ſe latiſ-

ſe latinam ſententiam ſcire dictitabat : Qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare. At fiſci advocatus Pibracius pauca elocutus ſummam hanc orationis habuit : etſi rex cauſſam irarum juſtam gravemque habuit, tamen clementiæ & manſuetudini ſuæ magis conſentaneum videri, finem cædibus & rapinis imponere, neque pati diutius ſine cauſæ cognitione talia facinora committi : orare ut deinceps jure uti vellet, quod unicum regnorum atque imperiorum firmamentum eſſe conſtaret : periculoſum plebi exemplum ad imitandum eſſe datum. Quum in hanc ſententiam Senatuſconſultum rege auctore factum eſſet, repente precones & buccinatores tota urbe dimiſſi ſunt, edictumque regis nomine promulgatum, ut deinceps cædium ac trucidationum finis fieret, atque ab expilationibus & rapinis abſtineretur. Quo cognito varij paſſim tota urbe ſermones hominum, ac præſertim eruditorum, audiebantur. Nam plerique multos ſe hiſtoricos legiſſe aiebant, ſed nihil ex omnium ſeculorum memoria ejuſmodi cognoviſſe : ſimul facinus hoc regis cum illo Mithridatis comparabant : qui quondam in Aſia uno nuncio *atque una literarum ſignificatione centum quinquaginta civium R. millia necari juſſerat.* Alij *cum Petri Arragonij qui octo Gallorum millia in Sicilia, quam ipſo abſente occuparant, trucidarat. Verum hoc inter illa videri intereſſe, quod Reges illi in peregrinos & alienigenas ſævierunt, Rex in ſuos cives, non tam poteſtati quam fidei ſuæ commiſſos : illi nulla fide niſi peregrinis illis ipſis data obligati erant, hic recenti fœdere cum regibus principibuſque vicinis ad ſervandam quam juraverat pacem aſtrictus erat : illi nullas ad fallaciam artes Majeſtate regia indignas adhibuerant, hic pro illecebra, ſororis conſanguineæ nuptijs abuſus fuerat, ejuſque nuptialem ſtolam ſanguine pene reſperſerat : cujus indignitatis ne poſteritatem quidem omnium ſæculorum immemorem futuram. Alij rurſus diſputabant, etſi truculentum iſtud conſilium, nonnullis aulicis utile viſum eſſet, tamen non modo dignitatem regiam, verum etiam univerſæ gentis exiſtimationem honeſtatemque cum illa utilitatis ſpecie pugnare. Ari-*

ſtidem

ſtidem Themiſtoclis conſilium de claſſe Lacedæmoniorum clam incendenda publice pro concione repudiaſſe, quantumvis eo facto frangi Lacedæmoniorum opus neceſſe eſſet. Furium Camillum proditos ſibi à Ludimagiſtro Faliſcorum principum liberos non recepiſſe, ſed eum nudatum, virgiſque cædendum pueris reddidiſſe. Pauſaniam memoriæ tradidiſſe Philippi Macedonis poſteros idcirco in tantas calamitates incidiſſe, quod ille juſiurandi Religionem & fidem in fœderibus datam negligere ſoleret. Alij Veterem duodecim Tabularum legem proferebant, Patronus ſi clienti fraudem faxit, ſacer eſto. Diſputabant præterea, quam fidem Vaſſallus domino debeat, eandem hunc illi debere: quibus de cauſis & quas ob felonias Vaſſallus feudum amittit, iiſdem de cauſis dominum jus ſuum Vaſſalitium amittere. Dexteram ab antiquis fidei regiæ pignus dictam: hanc ſi rex negligeret, nullam cum eo juris communionem eſſe, neque à ſuis civibus, neque ab exteris Regem exiſtimandum. Regias prædicari virtutes has ſolere, juſtitiam, manſuetudinem, clementiam: crudelitatem vero & ſævitiam cum in aliis omnibus tum præcipue in regibus vituperari. Laudatum ſeculis omnibus Scipionem, qui dicere ſolebat, malle ſe civem unum ſervare, quam mille hoſtes occidere: quam vocem Antonius Imperator pius cognomento dictus, crebris ſermonibus uſurpabat. Turpiſſimum de adoleſcente Tyberio elogium illud fuiſſe, quum lutum ſanguine maceratum appellaretur. Reges quidem jus Vitæ & necis in ſuos cives habere ſed non niſi cauſa cognita & quæſtione conſtituta. Majus imperium fingi non poſſe, quam fuerit Romæ dictatorum, penes quos pacis ac belli, vitæ ac necis ſumma poteſtas erat, & ſine provocatione: ſed iis jus non fuiſſe ſine cauſa cognita in civem quenquam animadvertere. Solos denique latrones ſine judicio & cauſæ cognitione vitam hominibus eripere. Cui dubium videretur, quin iſta tanta immanitas, tanta chriſtiani ſanguinis profuſio, fructus ſit execratæ aulicorum vitæ? Paſſim nunc tota Gallia ſcortationes & vagas libidines ita liberas atque uſitatas eſſe, ut jam pleræque

Gallicæ mulieres communes prope videantur. Non poſſe Deum diutius tam nefandas blaſphemias, tam aſſiduas ſanctiſſimi ſui numinis execrationes & contumelias tolerare.

Eſse apud exteras gentes incredibile, Gallos catholicos hanc ſibi notam, qua ab aliis internoſcantur, præſcripſiſse, ut tertio quoque verbo Dei caput, mortem, ſanguinem, ventrem deteſtentur. Mirandum videri, Regem ipſum iſta dejerandi & blaſphemandi conſuetudine tãtopere delectari. Hanc contagionem etiam ad ruſticos & paganos manaſse, quorum nemo jam tria verba ſine fœdiſſima Numinis contumelia & horrenda execratione pronunciare ſoleat. Quis nefarias libidines, quis tribades aulicas, quis Cynædos fœdiſſimos diutius ferre poſſit? Denique naturam rerum jam quodammodo cum Deo de tam diuturna patientia & manſuetudine expoſtulare: neque terram gallicam diutius iſta portenta ferre poſse. Iam vero cui probari poſſit Amirallium conjurationem illam intra Lutetiæ mœnia fecisse? Nam in aula Legio regia perpetuò in ſtatione & excubiis eſse ſolet: arcis veſtibulo, Vaſconum, Scotorum & Helvetiorum cohortes dies noctesque præſident: Rex ipſe cum antea ſemper tum verò eo tempore vel maximè propter ſororis nuptias, magnas principum, procerum ac nobilium copias habebat: Lutetiæ porro conſtabat ſexaginta armatorum delecta millia trium horarum ſpacio vocari cogique ad arma poſse, præſertim adverſus Amirallium, cui infeſtiſſimos fuiſſe pariſienſium animos nemo ignorat: præterea nobiles adoleſcentes, qui eò cum Navarro & Condeo nuptiarum cauſa venerant, ſuaſque conjuges, ſorores & conſanguineas adduxerant, nihil tum niſi de pompa & ludicris certaminibus & veſtium atque ornamentorum apparatu cogitabant. Denique utro tempore factam ab Amirallio conjurationem probari poſsit? priuſne quam vulnus acciperet? at tum regem ſibi amiciſsimum habebat, liberaliſsimum quidem certè & beneficentiſsimum ſentiebat, neque alium in gallia benigniorem ſperare facile poterat. An igitur poſt vulnus acceptum? quaſi vero duobus tantis vulneribus acceptis æger, ætate affectus,

fectus, utroque brachio captus, quorum de altero amputando medici deliberabant, trecentis adoleſcentibus comitatus, ſexaginta armorum millia adoriri potuiſſet: aut tam exiguo tempore de tanto ac tam immani facinore conſilium capere. Vix enim ad horas quadraginta, poſt vulnus acceptum vitam perduxit, quo ſpacio interdictum illi à medicis fuerat, ut ab omni colloquio abſtineret. Tum ſi cujus criminis inſimulabatur, an non Coſſinio, ejuſque cuſtodiæ commendatus, atque obſeſſis viis interclusus, in poteſtate regis erat, ut ſi videretur, momento temporis in carcerem abduci poſſet? Quid ita quæſtio & judicium more & legibus & gentium jure non conſtituebatur, teſtes judiciorum more comparabantur? Præterea, ut Amirallius cum aliquot ambactis & clientibus ſuis conjurarit: tamen cur in reliquos innocentes, cur in matresfa. virgineſque generoſas ac nobiles, quæ illò nuptiarum cauſa venerant, ſævitum eſt? Cur tot prægnantes mulieres contra gentium omnium inſtituta ante partum editum, in flumen abjectæ? Cur tam multi ætate grandes, multi qui morbo affecti lecto tenebantur, multi togati, ſenatores, advocati, procuratores, medici, multi eruditiſſimi bonarum artium doctores ac magiſtri (in his Petrus Ramus toto terrarum orbe celebratus) multi denique ſtudioſi adoleſcentes, inauditi, indicta cauſa, indemnati ſupplicio affecti ſunt? Præterea ſi Amirallius tres fratres ſuſtuliſſet, cui dubium eſt, quin omnes provinciæ, civitates, parlamenta, omnes denique omnium generum atque ordinum homines celeriter ad arma ituri fuerint, & nullo negotio religioſos omnes oppidis incluſos oppreſſuri, juſtiſſimamque cædium ac trucidationum illarum cauſam apud exteras nationes habituri? Nam quantum ad Navarrum, quid abſurdius fingi poteſt? An non Amirallius eum in ſua poteſtate per quadriennium habuerat? Nunquid ipſe eandem cum Amirallio Religionem colebat? Cui tandem (ut Caſſius ille diſputare ſolebat) cui inquam, ex religioſis ea cædes bono atque utilitati fuiſſet? Nonne catholicis odio erat? Denique Amirallius neminem ſibi amiciorem ſperare neque ab ullo alio in-

juriæ acceptæ ultionem ſperare poterat? Poſtremo, in eorum ædibus qui interfecti ſunt, quænam arma, quæ tela reperta ſunt? quibus conjecturis judices ad facinus inveſtigandum duci conſueverunt. Atque hæc quidem homines cordati paſſim in urbe Lutetia ſubmurmurabant. Verum ut ad inſtitutum revertamur, quo tempore regium illud interdictum Lutetiæ promulgatur, non modo alijs in oppidis ſimiles lanienæ & carnificinæ exercebantur, Aureliæ, Andibus, Avarici, Trecis, Atiſſioduri: Verum etiam in ipſa urbe Lutetia, in ipſis carceribus quos ad reorum cuſtodiam inſtitutos conſtat, ſi qui ſuperioris diei ſævitiam effugerant, à furente, ruënte, turbante populo mactabantur: quo in numero tres præſtantes dignitate viri fuerunt, Moninius ex militari laudem adeptus, Lomenius regis ſecretarius, tota Gallia, propter diuturnum in aula miniſterium, celebratus, & Chappeſius juriſconſultus 80. prope annos natus & magnum in foro Pariſienſi nomen conſecutus. Et quoniam Andij (quæ civitas Andegavenſis vulgo dicitur) facta mentio eſt, non prætermittendus, Maſſonij Riverij caſus videtur. Hic Eccleſiæ paſtor non modo vitæ ſanctimonia, verum etiam ingenij & doctrinæ laude inſignis habebatur, primuſque Pariſienſis eccleſiæ fundamenta jecerat.

Facto pariſienſis cædis initio celeriter Monſorellus quidam, hoſtis religionis teterrimus, in Andium civitatem miſſus eſt, ut illius cædis nuncios omnes anteverteret. Is ut primum in urbem delatus eſt, in Maſſonij domum ſe deduci juſsit. Ibi uxorem eius in ædium veſtibulo reperit. Hanc blande ſalutat, atque ut Gallorum & præſertim aulicorum conſuetudo fert, oſculatur: quærit ubi vir ipſius ſit: reſpondet, illum in hortulo inambulare: ſtatimque Monſorellum ad illum perducit: qui ubi Maſsonium comiter complexus eſt, Scin'tu, inquit, qua gratia hunc venerim? ut te regis juſsu interficiam, idque in hoc ipſo temporis veſtigio. Nam ita mihi rex mandavit, ut ex iſtis literis cognoſces. ſimulque intentam bombardulam oſtendit. Maſsonius nullius ſe criminis conſcium eſſe reſpondit: unum deprecatu

eſt, u

eſt, ut ſibi Dei miſericordiam implorandi & ſpiritum ipſius in manus commendandi ſpacium daretur: quam precationem ubi paucis verbis abſoluit, oblatam ab altero necem æquo animo recipens glande plumbea trajectus occubuit. Ut ad Lutetiam revertamur, cum Amirallij corpus, pedibus, ut diximus, è patibulo pariſienſi ſuſpenſum certatim à pariſienſibus viſeretur, Regina mater, ut eo ſpectaculo ſuos oculos expleret, eò quoque proficiſci voluit, unaque regem & cæteros filios ſuos deduxit: ſed nocte inſequenti corpus à quibuſdam ſublatum, & ut creditur, terra conditum fuit. Per id tempus quum aulici complures admurmurarent, Regem non modo apud exteras gentes, verum etiam apud omnium ſeculorum poſteritatem, infamiam ſubiturum, Morvillerius (de quo ſupra mentionem fecimus) qui inter pragmaticos & rabularios facile totius galliæ princeps numeratur, & Ieſuitarum in Galliam introducendorum auctor & princeps fuit, ad reginam matrem accedit: docet optimum factu videri, ut nonnulli ex ijs qui paucis illis diebus ex fuga & latebris comprehenſi fuerant, Dicis cauſa, in judicium adducantur & more majorum quæſtio de ijs exerceatur, ut delectorum aliquot judicum ſententia damnati, palàm, populo inſpectante ſupplicio afficiantur. Adhibentur in conſilium, Birageus, Limogius, Thuanus & Belleurius. Non modo Morvillerij ſententiam comprobant, verum etiam ſuadent, ut homo fæneus in Amirallij formam habitumque fictus (nam corpus ut jam dictum eſt, reperiri non potuit) per urbis vias à carnifice traheretur, arma vexillaque ipſius confringerentur: eius memoria damnaretur: arx villæque omnes everterentur: liberi infames, ignobiles atque inteſtabiles pronunciarentur: arbores omnes, quæ in ſaltu eſsent, ad ſex pedum altitudinẽ cæderentur. Erant in comprehenſorum numero Cavannius libellorũ in regia ſupplicum magiſter, & Briqmaldus, de quibus ſupra commemoravimus. Hic ætatem in bellis veteribus ſub Franciſco & Henrico regibus tranſegerat, atque uſu rei militaris, in primis eorum hominum qui nunc ſunt, exercitatus habebatur, jamque ad an-

num prope lxx. *acceſſerat. Iis omnibus in carcerem abdu-ctis repente tortor & carnifex oſtenduntur, cruciatuſque & laceratio corporis denunciantur, niſi confeſtim ſua manu ſcribant ſe conſilium de Rege & ipſius fratribus & regina matre & Navarreno rege interficiendo una cum Amirallio iniiſſe: exclamant omnes, mortem ſe animo æquiſſimo, quando ita Regis voluntas ferret, obituros: tantam carnificinam ferre non poſſe: ſuppliciterque à regia manſuetudine & clementia cruciatum illum deprecari: fretos tamen miſericordia Dei, ſperare ſe quantumvis magnos dolores potius quam tantam in ſe infamiam admittant, & impudentiſſimum illud mendacium & falſum crimen agnoſcant, toleraturos. Qui primi dati judices fuerunt, auditis illorum clamoribus ac defenſionibus, exiſtimationem hominum veriti, negarunt ſe in illis damnandis certiſſimam infamiam ſubituros. Itaque repente alij in eorum locum ſubſtituuntur. His tortor & ſcriba qui maximè idonei viſi ſunt, apponuntur, celeriterque Briqmaldus & Cavannius adumbrato judicio damnati, ad patibulum, quod eſt in platea urbis celeberrima, multis hominum millibus inſpectantibus, deducuntur. Ad hoc ſpectaculum regina mater regem cæteroſque filios & generum Navarrenum deducit. Quum ad hunc extremum actum aptiſſimum videretur, Briqmaldum audiente univerſo populo veniam à Rege petere, ſubmittuntur qui eum moneant, ſi vellet, vitam nullo negotio redempturum: Regem natura clementem & miſericordem eſſe, ſi veniam ab illo peteret, & crimen fateretur, facile impetraturum. reſpondet ille forti & magno animo non ſuas ſed Regis ipſius partes eſſe, veniam iſtius culpæ à Deo deprecari, ſe criminis iſtius veniam nunquam petiturum, cujus ſe expertem atque innocentem eſſe ſciat, Deumque teſtem habeat:* Deum *tamen nihilominus ſupplicare, ut hanc Regi culpam condonet. Ita duo ſummi & clari viri laqueis à carnifice in collum inſertis, de ſcalis dejecti, & reſte ſuſpenſi ſunt. Simul homo fœneus Amirallij figura funibus alligatus ac ſuſpenſus eſt, præpoſtero judiciorum more, cum Amirallius prius occiſus,*

poſt,

poſt damnatus eſſet. Sed cum in omnibus prope oppidis magnæ cædes factæ ſunt, tum vero nulla lugdunenſi *trucidatione horribilior atque immanior memoratur. Literis ad Mandelotum urbis gubernatorem ex aula perlatis, primum per tubicinem ac præconem edici jubet, ut omnes religionis cultores domum ad ſe conveniant. Nulla mora interpoſita omnes ad illum adeunt, ijs imperat, ut in carceres, qui ab apparitoribus demonſtrabuntur, duci ſe patiantur. Dicto parent: ducenteſque apparitores ſequuntur. Hi propter multitudinem, varios in carceres illos diſpertiunt. Tum Mandelottus carnifici publico ſuis verbis nunciari jubet, ut adſcitis aliquot ſocijs atque adminiſtris, eos qui in carceribus incluſi erant, jugulatum eat. Reſpondet Carnifex, ſe lege agere niſi in damnatos & publicis ac patentibus locis non ſolere: alium ſi vellet, trucidatorem quæreret. Mandelottus à carnifice repudiatus, militibus, qui in arcis præſidio erant, ut id facerent mandat. Reſpondent milites, dignitatis ſuæ non eſſe, in vinctos ac ſupplices arma capere: ſi quam illi ſeditionem excitaſſent, ſi ab ijs læſi aut laceſſiti fuiſſent, paratiſſimis animis dimicaturos. Ab his quoque rejectus, ad extremum nautis & lanionibus negotium illud defert. Hi paulo poſt in carcerem intromiſſi, machæris & ſecuribus rem gerunt: quos ad pedes proſtratos, ſublatis in cœlum manibus ſupplices, Dei atque hominum miſericordiam implorantes videbant, his ludibundi digitos & ſummas manus amputabant: tantuſque tum urbe tota clamor ejulatuſque mulierum & puerorum exauditus eſt, ut innumeri pontificiæ religioni deditiſſimi ſævitiam illam deteſtarentur, neque jam homines, ſed plane immanes feras, formam hominum indutas in carcerem ingreſſas putarent. Satis conſtat complures matresfam. uterum gerentes horrore tanto perfuſas fœtum eieciſſe: quin etiam ex area carceris, qui Archiepiſcopalis appellatur, in proximas urbis vias calidus fumanſque ſanguis manare viſus eſt, atque flumen Ararim luce palam, cohorreſcentibus multis, influere. Fuit in illo Archiepiſcopali carcere vir natu grandis Franciſcus Colutius,*

tius, mercator Pilearius, unaque duo ipſius filij adoleſcentes, quos ſtudioſe ſemper religione imbuendos, inſtituendoſque curarat. Is ubi laniones ſtrictis machæris ad ſe venientes conſpicatus eſt, filios cohortari cœpit, ne oblatam à Deo mortem recuſarent: fatum illud religionis Chriſtianæ eſſe perpetuum, crebraque hujuſmodi ſacrificia in Eccleſijs Chriſtianis accidere: Chriſtianos ſeculis omnibus inter homines tanquam oves inter lupos, columbas inter accipitres, victimas inter ſacrificos fuiſſe, ſemperque in poſterum uſque ad mundi occaſum futuros eſſe. Tum ſenex adoleſcentes ambos amplexus, unaque cum iys procumbens, Deique miſericordiam magna voce implorans, multis vulneribus ab illis lanionibus una cum filiys trucidatus eſt: longoque poſt tempore, tria illorum corpora arcte inter ſe circumplexa, miſerandum multis ſpectaculum præbuerunt. At Mandelottus interea jocandi (ut videbatur) cauſa, per præconem edici juſſit, ne quis cædem in urbe faceret: ſi quis trucidationum auctores indicare vellet, ſe centum illi ſcutatos aureos pro indicij præmio daturum: neque ex eo tempore jugulandi, prædandi & expilandi modus factus eſt. Poſtridiè, qui dies erat calendarum Septembris, maxima cadaverum pars in Ararim abjecta eſt: reliquam partem Mandelottus, ut oculos paſceret atque animum cruore imbutum ſatiaret, in alteram fluminis ripam navigio tranſportari, atque in viridi gramine deponi imperavit, proxime Abbatiam, cui nomen eſt Eſnèa. Ibi Lugdunenſes, atque imprimis Itali, quorum in illo oppido propter mercatum magna copia eſt, aliquandiu ſuos oculos explerunt, atque illos corporum acervos, quibus potuerunt contumelijs affecerunt, ſuamque crudelitatem non ſolum in vivos, ſed etiam in mortuos exercuerunt. Ac tum accidit quiddam, quod propter nefariam crudelitatem prætermittendum non videtur. Venerunt ad illud ſpectaculum pharmacopolæ quidam: inter illos corporum acervos opima quidam animadvertunt: confeſtim ad lanios accedunt: demonſtrant ex adipe humana confici medicamenta ſolere: poſſe illos aliquantulum quæſtus ex ea re facere: quò cognito, lanij

ad illos

ad illos acervos advolant, opimiora deligunt, hæc gladiis incidunt, adipemque detractum pharmacopolis accepto precio divendunt. Dum hæc Lugduni geruntur, rex certior factus, complures ex cæteris oppidis, relictis conjugibus ac liberis diffugiſſe, & partim in ſylvis partim apud amicos & miſericordes latitare, blandis illos verbis eliciendos & revocandos curat. Miſſis quoquoverſus nunciis ac literis, confirmat ſe trucidationes iſtas & immanes carnificinas, indigniſſime tuliſſe: daturum operā ut ſevere atrocitas tanta vindicetur: ſi quid Amirallius cum paucis conſciis conſpiraſſet: ſi quid clandeſtini conſilii cæpiſſet, non æquum eſſe, tam multos innocentes ſupplicio paucis debito circumveniri. Hac Regis oratione permulſi complures, præfectorumque literis deliniti, rurſus ſe in ſedes ac domicilia ſua recipiunt: quo in genere Rothomagenſes, Diepenſes & Tholeſani præcipue numerantur. Vix biduum interceſſit, quum illis imperatur, ut in carceres abeant, ubi omnes incluſi ſunt: tum ſicarii apponuntur infimi de plebe ac perditi homines, qui eos omni cruciatu affectos necarent. Neque per dies amplius 30. toto Galliarum regno jugulandi, trucidandi, diripiendi modus factus eſt. *Itaque parvulorum infantium, viduarum ac puerorum, qui honeſtiſſimo loco nati, nunc parentibus orbati vitam vagam atque inopem perſequuntur, fere jam ad centum millia numerantur. Sub id tempus edici rex jubet, ut qui magiſtratus aut præfecturas gererent, niſi celeriter ad catholicam, apoſtolicam & Romanam eccleſiam redire vellent, ſuis ſe illis muneribus civilibus abdicarent. Neque ullum fuit oppidum, ullus vicus aut pagus ita tenuis, in quo non omnes religionis cultores vel miſſificationi intereſſe, vel ferrum e veſtigio recipere cogerentur: quin etiam multis locis accidit, ut qui tam inſperato ac repentino malo perculſi religionem abjurarant, tamen aliquanto poſt interficerentur. Quæ dum paſſim omnibus in oppidis gerebantur, Rex interea literas & nuncios in omnes partes dimittebat, ſimulque per tibicines pronunciari jubebat, placere ſibi ut edicta ſua pacificatoria obſervarentur: etſi minus colendæ*

atque in publico exercendæ religionis poteſtas fieret, at certe intra domeſticos parietes retinendæ profitendæque libertas permitteretur, ſimulque bonis ac fortunis religioſorum abſtineretur. Tum qui paucis ante diebus, miſſis ad omnes provinciarum rectores literis, nunciarat Amirallium Cognatum ſuum magno cum animi ſui dolore à Guyſio interfectum, ſeque maximo in diſcrimine verſatum eſſe: idem nunc pronunciari per tubicines jubebat, ſceleratum atque impium Amirallium mandatu atque imperio ſuo interfectum fuiſſe. Qui ſuperioribus diebus religionis libertatem pacificatorijs edictis permiſſam nova auctoritate confirmarat, idem ejuſdem cultoribus non modo præfecturas atque honores abrogabat, verumetiam abjurandæ deteſtandæque religionis formulam conceptis verbis præſcribebat. Quarum rerum ne cui fides in dubium veniat, exemplum literarum & edictorum & abjurationis inferius ſubſcribemus.

Formula

Formula abjurationis hæreſeos: item confeſſio fidei, quam edere debent, qui à fide aberrarunt, & in ſinum Eccleſiæ recipi cupiunt, typis excuſa Lutetiæ apud Nicolaum Roffetum, in novo Virginis Mariæ vico habitantem ſub Saturni inſigne, cum Regis privilegio.

Hæc eſt abjuratio cui ſubſcribere debent, omnes qui in Gallia adhuc ſunt, ut ſibi vitam redimant.

Imprimis ij qui à fide aberrarunt, ſi in ſinum matris Eccleſiæ recipi cupiant, Parochos eorumq; vicarios adire debent, ut ex illis quid facto opus ſit intelligant. deinde ad Reverendum Epiſcopum & diocæſanum aut ejus vicarium officialem remittentur, ut eam abjurationis & confeſſionis formulam pronuncient, quæ ſequitur.

EGo N. oriundus &c. diocæſis &c. habitans urbem &c. agnoſcens Dei gratia, veram fidem Catholicam & Apoſtolicam, à qua vitio & culpa mea deſeci ab anno, &c. cupienſque in gregem & ouile Chriſtianum redire, id eſt, in eccleſiam Catholicam Apoſtolicam & Romanam, fateor me abjuraſſe & anathema feciſſe, quin etiam nunc coram te Domine & Antiſtes; abjuro deteſtor & anathema facio omnem errorem & hæreſin Lutheranam Calvinianam & Huguenoticam, aliaſque omnes hæreſes qualeſcunque ſint, quibus hactenus inquinatus & contaminatus fui, aſſentior veræ fidei eccleſiæ matris noſtræ: teque oro per nomen Dei & ejus filij Ieſu Chriſti & glorioſæ Virginis Mariæ matris ipſius, omniumque ſanctorum & ſanctarum Paradiſi, ut me in gregem & ovile populi Dei recipias, qui ſub imperio Papæ vivit, quem Dominus noſter Ieſus Chriſtus Vicarium in eadem

eccleſia

eccleſia conſtituit, promittoque me paratum eſſe libenter ad ſubeundum & patienter ferendum pænitentiam quam mihi imponere volueris, in abſolutionem peccatorum quæ commiſi eo tempore, quo hæreſes illas ſequebar. quorum peccatorum veniam deprecor à Deo & ab eadem eccleſia, & à te, quem Deus creator paſtorem conſtituit, petoque abſolutionem cum ejuſmodi pænitentia quam fore ſalutatem judicabis & ſatiſfacere pro meis peccatis & delictis poſſe. Porro ut ex animo me iſtam abjurationem feciſſe & facere cognoſcas, confiteor inſuper coram Deo & coram te, me credere quæ continentur in Symbolo Apoſtolorum & in Symbolo Sancti Athanaſij, aliiſque fidei confeſſionibus, quæ quondam editæ receptæ & approbatæ fuerunt in Concilijs Eccleſiæ Catholicæ Apoſtolicæ & Romanæ, quibus Sancta Eccleſia Romana in miſſa utitur, nimirum Credo *in unum Deum patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ viſibilium omnium & inviſibilium & in unum Dom. I. C. filium D. Unige. ex patre natum ante omnia ſæcula, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum conſubſtantialem patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines & noſtram ſalut. deſcen. de cælis, & conceptus eſt de S. S. qui carnem humanam à Maria virgine aſſumpſit, & homo factus eſt, crucifixuſque pro nobis ſub Pon. Pila. paſſus & ſepul. eſt, &* III. *die juxta ſcripturam reſurrexit & aſcen. ad cælos & ſedet à dextris patris, & iter. ventu. eſt judicare viu. & mort. cujus regnum finem non adipiſcetur. Et in S. S. vivificantem, qui ex patre & filio procedit qui cum patre & filio ſimul adoratur & conglorificatur, qui per prophetas locutus eſt. In unam Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſ. peccat. expecto reſurrectionem mortuorum & vitam æternã.* Credo *præterea, agnoſco & confiteor quicquid continetur in libris tum veteris tum novi teſtamenti, quos eadem ſancta Catholica eccleſia, Apoſtolica & Romana comprobavit ſecũdum interpretationem & intellectum ſanctorum doctorum ab eadem approbatorum: repudioque aliam omnem interpreta-*

tionem

tionem tanquam falſam & erroneam. Agnoſco VII. *ſacramenta ejuſdem eccleſiæ Catholicæ Apoſtolicæ & Romanæ inſtituta fuiſſe à Do.n. I. C. eaque eſſe neceſſaria ad ſalutem humani generis, quamvis non omnia neceſſario ſingulis tribuenda & conferenda ſint, agnoſco ſcilicet hæc eſſe 7. Sacramenta, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam hoc eſt ſanctum altaris ſacramentum, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem & Matrimonium: agnoſco eadem ſacramenta conferre gratiam, Baptiſmum autem & confirmationem & ordinem non poſſe ſine ſacrilegio iterari. Agnoſco eadem ſacramenta vim habere, quam eadem eccleſia docet, formamque & uſum quo Chriſtianis adminiſtrari ſolent eſſe ſanctum & neceſſarium.* Agnoſco *præterea ſanctam Miſſam eſſe ſacrificium & oblationem veri corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini aqua diluti: eaſque materias panis & vini ſub prædictis ſpeciebus in Miſſa per vim verborum conſecrationis, quæ à ſacerdote pronunciantur, tranſſubſtantiari & in ſubſtantiam prædicti corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti licet qualitates & accidentia maneant in dictis ſpeciebus conſecratione facta.* Agnoſco *præterea & confiteor Concomitantiam hoc eſt quod recipientes corpus Jeſu Chriſti ſub ſola ſpecie panis, una etiam recipiunt ſanguinem I. C.* Confiteor *interceſſionem ſanctorum pro vivis & mortuis eſſe ſanctam, piam & ſalutarem Chriſtianis, neque illam ullo modo honori Dei eſſe contrariam.* Item *preces quæ fiunt in eccleſia pro fidelibus defunctis, ijs ad remiſſionem peccatorum prodeſſe, & ad imminuendum pœnas quas propter illa patiuntur.* Agnoſco *eſſe Purgatorium, in quo animæ quæ detinentur, adjuvantur orationibus fidelium.* Confiteor *honorandos & invocandos eſſe ſanctos regnantes cũ Jeſu Chriſto, eoſq; pro nobis apud Deum intercedere, eorumq; reliquias eſſe honore proſequendas.* Præcepta *& traditiones eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, Romanæ, quæ tum ad formã & ceremoniam divini cultus, tum ad ejus celebrationem attinent, prodeſſe ad populum Chriſtianum, ad pietatem excitandam, & ad Deum ſuum reducendum:*

utpote

12 - 3

utpote jeiunia, à cibis abſtinentiam, feſtorum obſervationes, & quæ ad eccleſiaſticam politiam pertinent, juxta Apoſtolorum & Sanctorum patrum traditionem, quæ à primitivæ eccleſiæ tempore hucuſque retenta & continuata eſt, & in eccleſiam introducta per conciliorum ſtatuta, quam agnoſco eſſe ſanctã & piam & cui volo & debeo parere tanquã præſcriptæ & dictatæ à S. S. auctore & gubernatore eorum quæ ad conſervationẽ religionis Chriſtianæ & eccleſiæ Catholicæ Apoſtolicæ & Romanæ pertinent. Item *credo & agnoſco omnes & ſingulos articulos peccati originalis & juſtificationis.* Affirmo *atque aſſeuero retinendas eſſe nobis imagines Jeſu Chriſti & ejus ſanctæ matris & ſanctorum, iiſque honorem & reverentiam tribui oportere.* Confiteor *poteſtatem Indulgentiarum in eccleſia à Chriſto eſſe relictam, earumque uſum eſſe valde ſalutarem.* Agnoſco *& fateor Eccleſiam Romanam eſſe matrem & caput omnium eccleſiarum, eamq; à S. S. regi & gubernari: omneſque particulares inſpirationes quas nonnulli prætendũt, quæ eccleſiæ illi Romanæ adverſantur, eſſe Diaboli ſuggeſtiones, diſſenſionum Principis, & qui unionem corporis myſtici mundi ſalvatoris diſſoluere conatur.* Denique *promitto me diligenter obſervaturum quæcunque conſtituta ſunt à ſancto concilio nuper Tridenti habito. Deoque & tibi polliceor me nunquam ab eccleſia Catholica Apoſtolica & Romana defecturum, quod ſi ſecus fecerim, avertat hoc Deus, me pœnis Canonum eccleſiæ & conſtitutionum in eos qui in apoſtaſian labuntur ſubiicio. Atque hanc abjurationem & fidei confeſſionem ſignavi. N.*

Emm
V 11

F619
G998o